This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600042948X

34.

396.

. ERNESTI THEOPH. DE BENGEL

ARII NUPER IN ACADEMIA TUBINGENSI PROFESSORIS THEOLOGI,
S. AC PRAEPOSITI ECCLES. CATHEDR., PRIMARII ET INTER MATUT.
EDEM D. GEORGII CONCIONAT., ET SUPERATTEND. SEMIN. THEOL.
EQUITISQUE INSIGN. COR. WÜRTTEMB.

'USCULA ACADEMICA

EDIDIT INDICESQUE ADJECIT

M. JO. GODOFR. PRESSEL

ARCHIDIACONUS TUBINGENSIS

IN ACADEMIA TRADENDAE THEOLOGIAE PASTORALIS,
IATRIMONIALI DICASTERII SUPREMI, QUOD EST TUBINGAE, SENATU
ASSESSORIS ECCLESIASTICI PARTES SUSTINENS.

HAMBURGI,
APUD FRIDERICUM PERTHES.

MDCCCXXXIV.

396.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

PRAEFATIO.

Prodeunt hic omnes, quas b. Bengelius noster inde ab anno, professoris in academia hac theologici munus suscepit (1806.), ıe ad emortualem ipsius (1826.) vario tempore et occasione as scripsit commentationes academicas. Quas vel sylloge hac as, vel omnis prorsus sive augmenti, sive immutationis ex- .es recusas esse, neminem autumo accusaturum. Ad posterius n quod attinet, cum ipsius auctoris fato subito abrepti nullae iterint secundae curae, ab aliena manu (solertiorem vero, non tram dicimus!) quid additum, quid correctum tulisses? Edi- .s videbatur, tum ut accurate reddendas curaret commentatio- (quod quamquam remoto sub hac urbe loco typis exprimeren- , praestitum tamen pro diligenti cura arbitror), tum ut varios ıficeret eosque, ne nihil actum sit, largiores indices, tam ad ı et vocabula, quam ad biblica loca et auctorum citatorum mul- ıdinem pertinentes (quod curae habui, ut excusanda sit forsan ɔiositas, cum excusatum putem, in auctorum indice pro con- ıo ejus titulos librorum non ubique plenos et ad verbum, sed sensu passim et brevibus expressos esse). Unum tamen, sed ctoris, non meum, additamentum habes p. 53 — 55. Eo enim :o cum ablegasset Bengelius ad ea, quae de animorum in orco *οὐπαρξει* in libro monuisset periodico: *tübinger gel. Anzeig.* d. a. 07. p. 444 — 450., ea in commodum lectoris inserenda curavi.

Omnino autem commentationes has, quamquam inde a sexto ıjus saeculi anno per duo decennia confectas, sylloge hac red- tas esse, id ut a discipulis et amicis ejus desiderantissimis pro- ıtum, ita nec ab aliis aegre latum iri existimo. Ut enim maxi- a sit hac aetate novorum usque cupiditas, et, quod non ignoro, alde immutata et a superiorum decenniorum indole diversa sit

philosophiae et theologiae natura et facies, id tamen, dummodo ne praeteritorum quorumque fastidium sit ridiculum, inter recentissimae etiam cujusque artis studiosissimos non poterit non constare, quo fuerint intentiora superiorum studia, quo graviores animi, quo uberior et diligentior eruditio, eo majoris etiam posthac facienda et eo diutius suae auctoritatis mansura esse, ut non omnia, quae praeterlapsa protulerit aetas, ita non pauca tamen, non singula tantum. Jam vero Bengelii haec laus, et optime parta et inter aequos ac locupletes quosque arbitros indubie ita obtinens, ut, ingenium viri quod, mores qui fuerint, quanta praesertim rei christianae, tum ingenio, tum animo et omni vita conceptae, reverentia, quantus veri rectique amor, quanta eruditio et scientia fuerit, ne et levius ac obiter, et praeter necessitatem tetigisse videar, tacendum esse ducam.

Paucula tamen quaedam ad aliquot hujus libri commentarios annotare hic liceat, ut ad haec, quae diximus, aliquantum, ita ad alia forsan nonnihil facientia.

Incipit omnis hujus sylloges frons a *commentario inaugurali*, supplementa quaedam ad introductiones in librum psalmorum exhibente. Cujus origines diutinae sane et altioris sunt carminum istorum investigationis. Bengelio enim, diacono (inde a Januario 1800 usque ad ver 1806) marbacensi, ecclesiae württembergensis antistites cum, ut summaria componeret in psalmos publicae recitationi inservientia, mandavissent, non ascetico tantum huic operi indulsit, sed etiam commentarium ad omnia pertinentem in psalterium confecit, non illum quidem vel isto tempore ob adversas scilicet mercaturae librariae res, vel posteriore etiam, otium quippe retractando sufficiens detrectante, publici juris factum, ipsa vero hac dissertatione praeclarissima studiorum specimina proponentem.

Eum *duodecim* excipiunt *commentarii ad doctrinam de animorum immortalitate pertinentes*. Quos et argumenti ipsius gravitate et tractandi methodo summa summae rei capita ex omnibus partibus illustrante commendari, nec non ejusdem argumenti ac generis commentationibus tum superiorum, tum recentiorum (in quibus summe venerandi Olshausen in opusc. theoll.) egregie interesse non est quod moneam. Hoc vero scias velim, intimis prorsus beati auctoris sensibus et studiis eos esse superstructos. Quip-

ıi altioris hominum naturae et nexus inde nostri cum Deo terno rerum ordine vividissimam nullo non tempore et laeıam conscientiam fovens et cum ob alia, tum ob ipsum ›bservantissimus rei christianae cultor, die viridium festum ;resso cum ex levi operatione chirurgica decumbens a dignisconjuge, quam vellet in recreandum animum recitationem, rogatus esset, paschale quid poscens, inter ipsos rerum aeırum sensus festum illud subit, cujus vespertina hora necoto prorsus terrestri hac statione defunctus est.

Jam ad caeteros sylloges hujus commentarios non est quod ılare moneam, excepto *de conversione Pauli* programmate que, certissime, quod videbatur, per ipsum auctorem recocendo. Id enim cum vernacule redditum a cultore Bengelii, ore nunc Ehningensi ad Achalmum, *Niethammer,* ante typos inae Beati oblatum esset, dubius hic quidem, „utrum comntatio haec, licet ad illustrandam originum christianarum grassimam rem haud infructuosa afferens, neque vero, quae nova sent, multa ostentans, neque ingenii inter complures obtinen- theologos vel rationalisticae, vel mysticae indoli indulgens, ultos nactura sit lectores," promisit tamen, additurum se nonlla evulgandae forsan versioni. Sed variis de causis mora typoı illata eadem mortis iniquitas, quae tot alia Bengelii nostri, s quoque curas secundas intercepit, ut sine additamentis illius so emortuali auctoris anno prodiret libellus:

eb. die Bekehrung des Ap. Paulus zum Christenthum,

eine Abhandlung von Prälat D. v. Bengel, aus d. Lat. übers. von Pfarrer Niethammer in Ehningen unter Achalm.

ıd subsistatur in his! Deus vero opt. max., Bengelii, dum in his rris ageret, qui fructuosissima reddidit inter plurimos studia, puscula ejus haec academica, mercaturae librariae ope latius unc exitura, prosperrimos ulteriores fructus proferre velit, juıae inprimis et verecundae ac diligentis librorum sacrorum interretationis, sobriae res historicas tractandi rationis, gravis omnio et fructuosi theologiae studii, et intimae hinc evangelii ac sarorum reformatorum reverentiae, nec non dignissimae viri ipsius praestantissimi inter multos et in futurum memoriae!

Scribebam Tubingae die XXIII. Julii A. MDCCCXXXIV.

CONSPECTUS COMMENTATIONUM.

pag.

I. Dissertatio theologico-critica ad Introductiones in librum Psalmorum supplementa quaedam exhibens, scripta et publice defensa m. Majo MDCCCVI. ad munus Professoris theologiae quarti, extraordinarii, rite adeundum, ... 1 — 26

II. Quid in augenda immortalitatis doctrina religioni christianae ipsi hujus conditores tribuerint? Diss. theol. m. Sept. MDCCCVIII. a sex examinis theologici candidatis, seminarii regii alumnis, publice defensa, ... 27 — 42

III. Dissertationes historico-theologicae: quid doctrina de animorum immortalitate religioni christianae debeat, ex causae natura et ex rebus factis monstrantes:

1. Pars I. m. Sept. MDCCCIX. a septem examinis theologici candidatis, seminarii regii alumnis, publice defensa, 43 — 68
2. Pars II. m. Sept. MDCCCX. a quinque examinis theologici candidatis, seminarii regii alumnis, publice defensa, 69 — 86
3. Pars III. m. Sept. MDCCCXI. a septem examinis theologici candidatis, seminarii regii alumnis, publice defensa, ... 87 — 108
4. Pars IV. Sect. I. m. Sept. MDCCCXII. a duodecim examinis theologici candidatis, seminarii regii alumnis, publice defensa, ... 109 — 130
5. Pars IV. Sect. II. m. Sept. ejusd. a. MDCCCXII. ab undecim examinis theologici candidatis, seminarii regii alumnis, publice defensa, ... 131 — 164
6. Pars V. Sect. I. m. Sept. MDCCCXIII. a tredecim examinis theologici candidatis, seminarii regii alumnis, publice defensa, ... 165 — 190
7. Pars V. Sect. II. m. Sept. ejusdem a. MDCCCXIII. a tredecim examinis theologici candidatis, seminarii regii alumnis, publice defensa, ... 191 — 214
8. Pars VI. Sect. I., progr. pentecost. a. MDCCCXV. . 215 — 228
9. Pars VI. Sect. II., progr. pentecost. a. MDCCCXVI., 229 — 248
10. Pars VI. Sect. III. ultima, progr. pentecost. a. MDCCCXVII., ... 249 — 272

IV. Interpretatio loci Paulini Rom. II, 11 — 16., progr. in fest. Christi natalit. a MDCCCXIII., ... 273 — 288

pag.

V. Operis in Sacris reformandis peracti indoles religiosa magis, quam politica, defenditur et commendatur; progr., sacrorum Luthero duce reformatorum solennia saecularia tertia ab academica tubingensi a. MDCCCXVII. diebus Novembris IV. et V. celebranda publico nomine indicens, ... 289 — 320

VI. Observationum de Pauli ad rem christianam conversione Act. IX, 1 — 16. XXII, 3 — 16. XXVI, 9 — 20. narrata,
1. Part. I., progr. in festo Christi natalit. a. MDCCCXIX, 321 — 336
2. Part. II., progr. in fest. Christi natalit. a. MDCCCXX, 337 — 352

VII. Symbolarum ad solvendam quaestionem illam: an Judaei Jesu et apostolis antiquiores iisque aequales naturam divinam vel humana saltim majorem in Messia apparituram praestolati sint?
1. Part. I., progr. pentecost. a. MDCCCXXII., . . 353 — 372
2. Part. II., progr. in fest. Christi natalit. a. MDCCCXXII., 373 — 386
3. Part. III. ultima, progr. pentecost. a. MDCCCXXIII., 387 — 406

VIII. Observationum de λογῳ Joanneo Part. I. (eaque unice restans), progr. in fest. Christi natalit. a. MDCCCXXIV., . 407 — 426

Corrigenda.

p. 7. lin. ult., pro *symb* l. *symb.*
— 9. not. 11. lin. 5., pro לעבות l. לעבות.
— — lin. text. penult., pro *Dividi* l. *Davidi.*
— 15. l. 25. pro טזמור l. מזמור.
— 23. not. 31. l. 4. pro *concedat* l. *concedat.*
— 31. lin. text. penult. pro: *ante perf.* l. *ante*, *perf.*
— 32. l. 3. ima, pro *ceternm* l. *ceterum.*
— 36. not. 14. l. 20. pro *anctor* l. *auctor.*
— 49. l. 8. pro *sumserimus*, l. *sumserimus.*
— 75. l. 9. pro *possent* l. *possunt.*
— 82. not. 29. lin. 11., pro *betitud.* l. *beatitud.*
— 91. not. 9. lin. 10. ima, pro ἡγειϑαι l. ἡγεισϑαι.
— 92. not. 9. l. 1. pro προσδεξαϑε l. προσδεξασϑε.
— 146. not. 48. l. penult., pro: *cuctoritate* l. *auctoritate.*
— 149. not. 54. l. 8., pro ואינגו l. ואיננו.
— 151. l. 5. ima pro מעשה l. מעשה.
— 153. l. 28. pro עשיתי l. עשיתי.
— — — — pro בתרחתיות l. רקמתי בתרחתיות.
— 156. n. 64. l. 1. pro: *Qnid* l. *Quid.*
— 158. l. 15. pro מימים l. מימים.
— — l. 22. pro ארפא l. ארפא.
— 179. not. 30. l. 27., pro ἡμηρᾳ l. ἡμερᾳ.

p. 179. not. 30. l. 6. ima pro: חיה l. חיה.
— 180. not. 31. l. 11. pro Sir. VII, 17. l. VII, 19.
— 184. l. 3. ima, pro II. 9, 14. l. II. 8, 14.
— 185. not. 37. l. 19. pro: *Jesephus* l. *Josephus*.
— — — — l. 3. ima pro μενουσυν l. μενουσιν.
— 204. not. 25. l. 8. pro *infid.* l. *insid.*
— 205. not. 27. l. 24. pro 641. p. 461.
— — — — l. 5. ima pro *locnm* l. *locum*.
— 209. not. 34. l. 11. pro *cundem* l. *eundem*.
— 222. l. 5. pro: *fccerint* l. *fecerint*.
— 235. l. 5. ima, pro: experti vid., l. experti esse vid.
— 238. l. 16. pro: Matth. XXXVI. 32. l. Matth. XXVI. 32.
— 240. n. 15. l. 1. pro: Schuster l. Schuster.
— 247. pro *cc.* pone ג, pro αα pone *aa*.
— 248. pro ββ pone *bb.*, pro אא p. αα., pro בב p. ββ., pro גג p. γγ.
— 264. l. 12. post *Denique* pone: ββ.
— 265. l. 6. ima pro *definito* l. *definito*.
— 266. n. 30. l. 14. pro Amnonio l. Ammonio.
— 269. l. 23. pro *in de* l. *inde*.
— 275. l. 17. *cpistolae* l. *epistolae*.
— 280. l. 11. pro *quae* l. *qua*.
— 281. n. 14. l. 6. pro *putemus* l. *putamus*.
— 283. l. 4. pro: *scrmonis* l. *sermonis*.
— 292. n. 1. l. 2. ima pro *arme* l. *armes*.
— 294. n. 6. l. 2. ima pro *obscquium* l. *obsequium*.
— 333. l. 4. et not. 21. l. 5. pro נת l. בת.
— 335. n. 26. l. 3. ima pro *Phrisaeismo* l. *Pharisaeismo*.
— 358. n. 6. l. 3. pro *occurent* l. *occurrent*.
— 361. n. 13. l. penult. pro XXIX, 5. l. XXVIII, 5.
— — text. l. 6. pro *Sam. VI.* 21. l. 2 *Sam. VI.* 21.
— 362. n. 14. l. 13. pro VI. 94. l. VI. 13.
— 363. l. 16. pro *Cassellensi* l. *Casselensi*.
— 364. n. 16. l. 3. post: *et* 7. claude parenthesin.
— 366. l. 16. pro כסאך l. כסאך.
— 368. n. 27. l. 5. ima pro: 152. ss. l. 300. ss.
— 375. l. 4. ima pro: 1 Cor. XV. 26. l. 1 Cor. XV. 25.
— 376. n. 2. pro p. 30. s. l.: p. 24. not. 32.
— 380. n. 9. l. 8. ima pro: 13. l. 43.
— — — — l. 3. ima pro: *ad Ps.* l. *an Ps.*
— 390. n. 4. l. 1. 2. pro εκδισιν l. εκδικησιν.
— — — — l. 5. ima pro: *messianae* l. *messiani*.
— — — — l. 4. ima pro: *depromtum* l. *depromtam*.
— 392. n. 8. l. 5., pro 178. s. l. 180.
— 393. l. 5. ima (text.) pro: *diser.* l. *disser.*
— — — — — pro πρωσωπ, l. προσωπ.
— 395. n. 12. l. 34. pro *Angelico* l. *Anglico*.
— 397. n. 16. l. 2. pro *eos* l. *eo*.
— 398. n. 19. l. 2. dele το *comma* post *Onkelosi*.
— 400. n. 23. l. 20. pro: *piori* l. *priori*.
— 401. n. 23. l. 18. pro *ut* l. *ubi*.
— — — — l. 5. ima pro: *meminem* l. *neminem*.

I.

DISSERTATIO THEOLOGICO-CRITICA

AD INTRODUCTIONES

IN LIBRUM PSALMORUM

SUPPLEMENTA QUAEDAM

EXHIBENS.

Cum in obeundo professionis theologicae munere, cui, Deo providente, Serenissimi Regis nostri clementia me praeficere dignata est, partes mihi obveniant eae potissimum, ut sacros Veteris Foederis libros publicis lectionibus illustrare coner, non absonum mihi visum est, dissertationis, qua officii capessundi potestatem acquiri leges postulant, materiam ab eodem campo petere. Deinde ex omni illo exegeseos V. T. ambitu caput quodammodo generalius tractandum eligere, quam interpretandae singulari textus Ebraei particulae scriptionem, certamine inaugurali ventilandam, adstringere, satius duxi. Incidi igitur in id, quod titulus innuit, consilium, et, quae ad justam libri Psalmorum lectionem praeparandam post varia Virorum celeberrimorum et nostrae et superioris aetatis studia addi posse judicarem, ulteriori examini subjicere institui. Etsi enim me minime lateat, inter omnes V. T. libros vix deprehendi alterum, in quo tanta commentatorum interpretumque multitudo, quanta in uno Psalmorum libro, operam locaverit suam, atque ita factum esse, ut et ea ipsa, quae ad isagogen in Psalmos referri soleant, praeterquam quod in introductionibus, omnem V. T. canonem spectantibus, locum suum invenerint, sigillatim tractata et retractata essent frequentissime; haud tamen persuadere mihi potui, nihil omnino superesse, quod ad varia illa tot auctorum conamina cauta lance ponderanda, adjuvandamque divinorum carminum lectionem, theologiae biblicae finibus congruam, conferri utiliter queat. Ut autem in afferendis iis, quae mihi de hisce rebus meditanti in mentem venerunt, ordine quodam progrediar, versandum

erit *primum* in origine carminum, quae Psalmorum nomine comprehendimus, universa, *deinde* de aetate singulorum determinanda librique collectione explicanda nonnihil monendum, *denique* regulae quaedam, quas in historica Psalmorum interpretatione sequi oporteat, commendandae videbuntur.

I. DE PSALMORUM ORIGINE UNIVERSA.

Quicquid de Psalmorum singulorum et aetate et occasione statuerimus, magnam certe eorum partem ad Davidis tempora referendam esse, ultra omnem dubitationem positum, nec ab ullo facile Critico dubitatum sumo [1]). Sed quis est, quem non justa quaedam subeat miratio, cum tantam contemplatur elegantissimorum carminum copiam, quae Homerico aevo priora, nationis, literarum artiumque cultu nec multis post seculis clarae, protrusit genius? Quis est, qui supersedere queat quaerere, unde genti Ebraeae, Aegyptiorum qualibuscunque scientiis, servitii jugo durissime premente, parum profecto imbutae, longis deinde per deserta Arabica itineribus, continuisque post occupatum solum patrium bellis, et domesticis illis et externis, ad ipsa usque Samuelis ac Saulis tempora magis magisque efferatae, tanta subito cogitandi, dicendi, scribendi fecunditas, tanta ingenii poëtici in mitissimos quosque flores profusa efficientia extiterit? Audio in explicandae hujus rei auxilium vocari *scholas* illas quas dicunt *prophetarum*, sive, si malis, vatum collegia, quae a Samuele si non instituta primitus, at confirmata saltim atque amplificata esse constat [2]). Et dandum omnino erit, multum inde luminis accedere quaestioni modo memoratae. Facilius enim celeriusque et excitari et excoli et propagari potuit poëseos lyricae facultas, et in satis largam carminum messem enasci, cum communibus studiis

1) conf. not. 14.

2) Hanc Psalmorum originem maxime urget Ven. Nachtigal, in libro inscripto: Psalmen gesungen vor Davids Thronbesteigung, Hal. 1797. p. 3 ss. Sed eodem jam provocavit J. G. Carpzov in Introd. ad libros can. Bibl. V. T. Part. II. p. 97 s. cf. etiam Lowth de sacra poësi Hebr. T. II. prael. XXV. p. m. 489 s.

exercitiisque inter sese sociarentur erectiora popularium ingenia, sensusque ejus, quod pulcrum ac sublime esset, cum ipsa scribendi arte, publica institutione mutuoque certamine perficeretur. Sed cavendum esse putaverim, ne nimium uni huic causae tribuamus. Nolim equidem praetermittere, quae ad animos civium, *rerum divinarum sensusque corporeos excedentium cogitatione* magis magisque imbuendos *praeparandamque literarum communiorem peritiam* contulit Mosis disciplina, omnisque populi ex Aegypto in terram patriam educti historia, cujus recordatio, cum legis ipsius studio arctissime cohaerens, sacerdotum Levitarumque officiis non potuit non ali et conservari [3]). Quem enim lateat, quam arcto invicem vinculo conjunctae sint religionis forma sublimior, ad res in facto positas jugiter accommodata, et ipsa genii poëtici audacior, sed castior venustiorque elatio? Aut quis dubitet, artem illam, ad effanda cogitata literis scriptis utendi, a Phoenicibus Aegyptiisve [4]) cum Mose profecto communicatam, et ab eodem ipso magnae certe legum suarum parti asservandae adhibitam, nec iis, qui ad tuendam et exsequendam legem ab eo constituti sint, peregrinam esse potuisse, nec aliorum quoque Ebraeorum notitiam diu fugisse [5])? Praeterea, cum ipsius Mosis aetate *poëseos illud cum arte musica connubium*, ex quo concinniora et elegantiora carminum genera pronata esse potissimum videntur, iniri coeperit [6]), nec desint poëmatum hebraicorum ad

3) Quae vulgari sententiae, sacerdotii Levitici originem ab ipso Mose, Pentateucho duce, repetenti acute opposuit clar. DE WETTE (Krit. Versuch über die Glaubwürdigk. der Bücher der Chronik, Halle 1806. inprimis pag. 226—259.) iis dubito an quidquam evinci possit, nisi quod facile ab omnibus concedatur, legum scilicet Leviticarum exercitium bellicosis Judicum temporibus quodammodo interruptum, et ab ipsis interdum posteriorum temporum sacerdotibus, aut regum aut populi gratiam captaturis, negligentius habitum, auctoritati autem sacerdotali novos subinde fines a regibus constitutos esse etc. Sed eam rem curatius persequendi spatium jam non datum est.

4) Non est hujus loci, quae in utramque partem de hac causa a Viris doctis disputata sunt, dijudicare. cf. S. V. VATERI Comment. in Pentat. T. III. Abh. über Moses und die Verf. des Pent. p. 522 s. et quae ejus libri censura extat in Ephemerid. literaturae universae, Halae prodeuntibus, d. a. 1805. Nr. 330. 331.

5) cf. immortalis HERDERI librum vom Geist der ebr. Poësie, P. I. p. 358 ss.

6) Exemplum ejus consuetudinis praebet Maria, Aaronis soror, maris rubri transitum canens ad tympanum, Exod. XV. 20.

erit *primum* in origine carminum, quae Psalmorum nomine comprehendimus, universa, *deinde* de aetate singulorum determinanda librique collectione explicanda nonnihil monendum, *denique* regulae quaedam, quas in historica Psalmorum interpretatione sequi oporteat, commendandae videbuntur.

I. DE PSALMORUM ORIGINE UNIVERSA.

Quicquid de Psalmorum singulorum et aetate et occasione statuerimus, magnam certe eorum partem ad Davidis tempora referendam esse, ultra omnem dubitationem positum, nec ab ullo facile Critico dubitatum sumo [1]). Sed quis est, quem non justa quaedam subeat miratio, cum tantam contemplatur elegantissimorum carminum copiam, quae Homerico aevo priora, nationis, literarum artiumque cultu nec multis post seculis clarae, protrusit genius? Quis est, qui supersedere queat quaerere, unde genti Ebraeae, Aegyptiorum qualibuscunque scientiis, servitii jugo durissime premente, parum profecto imbutae, longis deinde per deserta Arabica itineribus, continuisque post occupatum solum patrium bellis, et domesticis illis et externis, ad ipsa usque Samuelis ac Saulis tempora magis magisque efferatae, tanta subito cogitandi, dicendi, scribendi fecunditas, tanta ingenii poëtici in mitissimos quosque flores profusa efficientia extiterit? Audio in explicandae hujus rei auxilium vocari *scholas* illas quas dicunt *prophetarum*, sive, si malis, vatum collegia, quae a Samuele si non instituta primitus, at confirmata saltim atque amplificata esse constat [2]). Et dandum omnino erit, multum inde luminis accedere quaestioni modo memoratae. Facilius enim celeriusque et excitari et excoli et propagari potuit poëseos lyricae facultas, et in satis largam carminum messem enasci, cum communibus studiis

1) conf. not. 14.

2) Hanc Psalmorum originem maxime urget Ven. Nachtigal, in libro inscripto: Psalmen gesungen vor Davids Thronbesteigung, Hal. 1797. p. 3 ss. Sed eodem jam provocavit J. G. Carpzov in Introd. ad libros can. Bibl. V. T. Part. II. p. 97 s. cf. etiam Lowth de sacra poësi Hebr. T. II. prael. XXV. p. m. 489 s.

versantium caussam, vel 3) denique ad explicandas singulares illas, quibus multos Psalmos compositos miramur, rationes optima dux futura sit?

Ita celeberrimum NACHTIGAL in eorum carminum classem, *quae, juvene Davide, in Samuelis maxime schola, composita esse videantur*, Psalmos non *octavum* solum et *decimum nonum*, qui Davidi pastori adscribi cum magna veri specie possunt, sed complures etiam alios, quos seriori aevo vindicare multa vestigia suadent [8]), referre video, omnemque illam classem distribuere in Samuelis, Davidis aliorumque Samuelis discipulorum carmina; in quam sententiam vix incidisset, nisi sumtum prius a se fuisset, *ex ipsa vatum schola* superesse debere non Davidis solum, sed et ipsius Samuelis ceterorumque ejus sodalium complura carmina. Verum ut hoc ipsum sumeret, inductus esse videtur eo, quod in explicandis poëseos lyricae inter Ebraeos efflorescentis causis plus justo tribuerit prophetarum collegiis, alia quae non minus huc valuere momenta, quamvis nec incognita sibi nec plane dissimulata, studiosius respicere negligens. Quo accidit, ut loculum, a se effictum, modo, qui videretur, aptissimo, sed precario illo aliquantum, aliisque rationibus criticis parum conveniente, farciret, nec satis perpenderet, quod ipse aliis locis fassus est, poëmata illa, quae in ipsa Samuelis schola genita esse cogitantur, si non omnia, at pleraque tamen vel deperdi vel retractando disparere facillime potuisse. Eodem pertinet, quod et Psalmum XC. Mosi, cui inscribitur, a plurimis etiamnunc interpretibus relictum, ad eandem illam scholae Samuelis propheticae aetatem referat auctor ingeniosissimus, quod, quamvis argumento muniret a styli convenientia ducto [9]), ideo tamen potissimum statuisse videtur, quia Samuelis scholam disciplinarum artiumque ingenuarum in gente Ebraea quasi matrem haberet, superiori autem aevo de honore ipsi debito (v. supra

8) v. c. Ps. CXLV. I. CXI. CXII. XCI. XCV.

9) Nescio vero, quid nos jubeat, Mosis et Davidis (Samuelisve) dictioni discrimen interponere majus eo, quo laudatus Psalmus, asperiorem quandam prisci temporis simplicitatem ubique prodens, a stylo Davidico revera abhorret. cf. quae de lenta linguae Ebraeorum scriptae immutatione pluribus monuit S. R. ECKERMANN in symb theol. T. V. fasc. I. p. 100 ss.

p. 5 ss.) nonnihil detraheret. Sed, quod minime praetereundum est, ne argumentum quidem Psalmi XC. Samuelis temporibus *ullo modo* convenire apparet, nisi *singularis illa disciplinae poëticae ratio,* quae in Samuelis schola valuisse a Viro laudato perhibetur, *revera valuisse concedatur;* verbo, nisi in illo jam vatum collegio, quod sub Samuele floruisse constat, *certamina quaedam canendi,* in difficilioribus qualibuscunque capitibus, a praeside propositis, alterno studio versantia, credamus instituta fuisse. Inde enim fieri potuisset, ut res vel historicae, a Samuelis tempore longe remotae, vel philosophicae, ab aetatis ratione nihil certe momenti mutuantes, ut, v. c. quaecunque mirabilius acciderant genti Israëliticae, aut, quae de vitae humanae termino conjicere licebat, aliaque ejusmodi, Samuelis discipulorumque ingenia occuparent, carminumque contentiones excitarent. His positis Psalmi XC. XCI. XCV. CIII. 1 — 18 omnes in unum fasciculum computati, res Israëlitarum per Arabiae deserta proficiscentium, certatim canere dicuntur. Sed primo quae ponuntur, non satis firma esse existimaverim. Si enim vel maxime demus, doctorum Judaeorum collegia, inferiori aevo instituta (בתי מדרש), nihil aliud fuisse, quam continuatas quasi ac repetitas prophetarum scholas (quod ipsum vereor ut plane exploratum sit); eumque in illis obtinuisse morem, ut sophorum discipuli difficiliora quaecunque problemata, ab antistite proposita, mutuis responsis, in carminis plerumque formam redactis, solverent; si demus insuper, singularem illam rationem, qua Proverbia, liber Coheleth, sententiae Siracidis, liber Sapientiae, aliaque V. T. scripta seriora composita sunt, aptissime tum explicari posse, cum eos libros omnes pro meris collectionibus habeamus carminum in sophorum scholis *certatim* fusorum [10]); nullo tamen modo inde consequetur, eundem morem ipsa jam Samuelis aut Davidis aetate in scholis propheticis receptum fuisse, nec, quae huc allata sunt, argumenta magnam vim

10) Id anquirere, jam non attinet. Sed liceat commendare egregiam censuram libri sapientiae, a doctissimo Nachtigal in vernaculam versi, quae extat in A. L. Z. d. a. 1800. Nr. 201.

habere videbuntur [11]). Deinde, si certissima essent, de quibus modo dubitavimus, magna tamen cautione opus foret, ubi ad ordinem Psalmorum chronologicum definiendum illis uti aggrediamur, *ne alia temporum vestigia, et interna et externa, negligere periclitemur.*

2) Quid statuendum sit de eo consilio, quo *complurium Psalmorum in una quadam re similiter versantium convenientiam* a scholis illis prophetarum, singularibusque, quae ibi obtinuisse dicuntur, exercitiis derivari placuit, ex iis, quae jam observata sunt, satis patere putaverim. Immo, ut dicam, quod res est, quicunque vel animadverterit ad notionum priscae Israëlitarum genti obversantium angustos limites, vel perpenderit, quanto momento vates Ebraeus, religionis reique publicae patriae amans, non potuerit non aestimare certas quasdam prae aliis ex parvo numero materias; unam aliquam a pluribus Psalmorum scriptoribus, ab uno pluries tractatam esse, adeo non est cur miretur, ut argutiori ejus rei explicatione carere optime queamus.

3) Quod denique attinet *rationem illam, qua Psalmorum non pauci compositi esse videntur, miram ac singularem,* mihi quidem persuasissimum esse fateor, eo rectius illam perspici, gratiasque ejusmodi carminibus insitas eo justius aestimari pleniusque sentiri, quo magis absimus ab ea opinione, qua *diversa poëmata a variis auctoribus certaminis caussa edita, in unius saepe Psalmi formam postmodum redacta esse perhibentur.* Psalmus XI., ut hoc exemplo utar, consutus esse conjicitur ex summis aliorum carminum, quae, an in montana fugiendum, an ad Saulis potius aulam redeundum Dividi sit? certatim respondissent. Sed nescio, an hoc sumendo injuriam illaturi si-

---

11) Ne eo quidem loco, quo copiosissime sententiam suam exposuit Ven. Nachtigal, (commentationem puto, Ill. Eichhornii bibliothecae lit. bibl. Tomo IX. p. 379 ss. insertam) satis idoneum ejus rei argumentum deprehendere mihi licuit. Inscriptionem, v. c., Psalmo LXXXVIII. praemissam: שיר etc. לענות, (quae ipsa an genuina sit, facile queat dubitari) certamina illa canendi innuere debuisse, quis audeat contendere? cum vocabulum ענות de *uno* carmine, *alternis choris decantando*, monere voluisse queat.

mus cantico, quod optime cohaerere, rotundisque numeris elegantissime vinctum esse mihi quidem videtur. Orsum nempe ab eo: »ad Jehovam confugere Psalten, bonoque animo fore«, postquam removerit, quae amici suaserant, revertitur (v. 4) ad consilium, ab initio significatum, eoque ulterius exponendo concluditur; cum contra vix possit intelligi, quid moverit quempiam, ut diversorum carminum, quorum alterum montana petere suaserit, alterum aulam dissuaserit repetere, disjecta quaedam membra hoc modo contexeret? —

Illustrandae singulorum quorundam Psalmorum structurae, solvendisque, quae subitae sententiarum personarumque mutationes in illis obviae non possunt non movere, dubiis criticis plus frugis sperandum esse existimo ab antiqui illius moris, quo *alternis choris decantari solebant carmina*, solertiori recordatione, lubensque confiteor, in enodandis, quibus nonnulla eorum premuntur, difficultatibus frustra laboratum iri, nisi diversos choros, quibus singulae sententiae restituantur, distinguere licuerit. Quamvis autem facile largiar, iis ipsis, quae de Samuelis schola memoriae tradita sunt, carminum etiam choricorum consuetudinem, eo tempore receptam, quodammodo *confirmari*, idem tamen et aliunde satis certum esse, non minus persuasum habeo. Neque impetrare a me possum, quin verbo moneam, magna in hoc quoque negotio moderatione opus videri, ne forte, carminum priscorum constructionem ex chororum discriminibus illustraturi, unum alterumve Psalmum dulcissimis, quibus ornatus esset, decoribus exuamus.

Quae de Psalmorum origine universa hucusque disputavimus; quae speciatim diximus de eorum ratione, qui plurimum in hac quaestione tribuerunt prophetarum scholis; eo maxime consilio prolata sunt, ut legibus, quas in definiendo psalmorum ordine chronologico criticum, in explicando singulorum contextu interpretem sequi oporteat, dignitas sua auctoritasque servetur; quod veriti sumus ne secus evadat, quamprimum carminum istorum scaturiginem nimis angustare, et quaecunque mira quodammodo ac singularia in illis occurrerint, ad morem in Vatum consessibus

institutum referre aggrediamur. Verum enim vero cum ad excitandum fovendumque literarum et poëseos studium scholas illas non parum valuisse et ipsi non inficiati simus, addere jam liceat, *alphabeticam* certe quorundam Psalmorum constructionem ab exercitiis, illic usitatis, verisimillime, meo quidem judicio, derivari posse. Qui enim a plerisque fuisse perhibetur ordinis alphabetici finis, ut memoriam in ediscendis tenendisque istis carminibus adjuvaret, eum quidem *omnibus* ejusmodi psalmis convenire vix crediderim [12]). Nec facile intelligi queat, quid impulerit vates Ebraeos, ut istis vinculis immitterent animum divino numine afflatum, nisi in eo quoque, quod quasi mechanicum haberet ars poëtica, *communi studio exercitos fuisse* eosdem sumamus; quod ubinam citius factum sit, quam in scholis illis prophetarum, quae et ipsam *linguae scribendae* peritiam perfecisse latiusque propagasse videntur? — Ita quaecunque in Veteris Testamenti libris occurrunt, acrostichides pro ludis quibusdam habendae erunt, quibus versificantium ars conata sit exerceri; quem morem et aliarum gentium Orientalium poëtas tum antiquiores tum recentiores secutos esse constat in carminibus, quae legi, non edisci voluerunt. Ceterum fieri potuit, ut certa quaedam ex illo numero carmina, ea potissimum, quae a musicis decantanda essent, alphabetico ordine construi non exercitii solius, sed et memoriae adjuvandae caussa amarent [13]).

---

12) Psalmus v. c. CXIX. neque musicis, quorum partes in eo nullae esse potuerunt, nec aliis facile eo consilio, ut memoriae mandaretur, traditus est.

13) Quod (ut obiter moneam) in carminibus V. T. alphabeticis plerisque una et altera litera deprehendatur *deesse*, id scribarum quidem incuriae non facile tribui posse, rectissime dudum observatum est. Sed videor equidem mihi, quaecunque abnormia in illis fuerint, a duabus potissimum caussis posse deducere: 1) quod complurium ejusmodi carminum *operae nonnisi primae* nobis supersint, quae ab ipsis forsan auctoribus postea demum suppletae ac revisae esse queant. Id maxime mihi persuasit Psalmus IX. qui cum alphabeticus futurus fuisse ex multis, quae continet, ejus ordinis vestigiis facillime cognoscatur, rudimentum nobis exhibet acrostichidis paulatim componendae. 2) Altera caussa est, quod nonnullae Alphabeti ebraici literae certum suum in ceterarum serie locum seriori demum tempore occupaverint. a) E sexta nempe Phoenicum litera (Fau seu Vau) orta videntur, tum ו, cui in Ebraeorum alphabeto sextus itidem locus assignatus fuit, tum molle ב, quod, quemadmodum υ suum Graeci, post ת (τ) inseruerunt. Jam fieri potuit, ut *aut* ו illud, *aut* ב illud mollius et in alpha-

II.

Sed cum veniendum jam sit ad secundum tractationis meae caput, quo *de aetate Psalmorum determinanda* eorumque *collectione* explicanda quaedam adjicere pollicitus sum, quod

1) ipsam Psalmorum aetatem attinet, a) *magnam eorum partem*, ne dicam, maximam *Davidis temporibus attribuendam* esse, iis, quae supra dicta sunt, occupavi [14]).

---

beti ordine, et in ipsa acrostichide Ebraica connumeretur (cf. S. V. Hasse de psalmis alphabeticis in ill. Eichhornii Biblioth. lit. bibl. T. VIII. p. 42 ss. et S. R. Hug Erfindung der Buchstabenschrift, Ulm 1801. p. 38 s.). Posterius Ebraeis antiquioribus solenne fuisse probabile est. b) צ et ע, chaldaeo-syriaca dialecto teste, saepius commutari invicem solebant, unde sequi potuit, ut צ (loco literae ע) modo praemitteretur literae פ, modo ע (literae צ confine) postponeretur literae פ.

Consideratis cunctis, quae in codice Ebraeo obvia sunt, carminibus alphabeticis, apparet: in Psalmis CXI. CXII. et CXIX. Prov. XXXI. et Thren. I. omnia ad regulam exacta esse; in reliquis vero alphabeticis V. T. carminibus, Psalmis scilicet XXV. XXXIV. XXXVII. CXLV. Thren. capp. II. III. IV. non deesse, quae ab usitata norma recedant. Ita

Ps. XXV. versus 2. incipit a voce אלהי, cum primam literam habere deberet ב; ubi sumi posse putem, vocem אלהי in margine scriptam fuisse, (quod frequentius accidit hujusmodi invocationibus), voculamque בך initium versus putandam. Desideratur versus a litera ק inchoaturus, quod addendus demum esset ab auctore, psalmum revisuro. Deest ו, literam ת sequitur פ, quod explicandum erit ex caussa sub num. 2. a) allata.

Ps. XXXIV. posterior haec anomalia recurrit; cetera omnia expedita sunt.

Ps. XXXVII. צ antecedit to פ, deest ע, v. supra 2. b). V. 39. orditur a voce: ותשועת, ubi forsan praef. ו minus momenti habere visum est, quin insequens litera ת pro initiali valeret.

Ps. CXLV. deest comma, cui praesit נ, accessurum, ut videtur, in retractando carmine. Denique

Thren. II. III. IV. litera פ praecedit tw ע, cf. 2. b).

Ceterum, quod ad Lowthi de sacra poësi Ebraeorum prael. XXII. p. m. 443. annotavit b. Michaelis. „posse," inquiens, „rei criticae aliquem usum praestare carmina alphabetica, quia indicio sint, non ita turbata omnia ac corrupta esse in psalmis, ut voluerint aliqui, restituere suis conjecturis antiquam lectionem professi," id nostra, quae in illis anomala sunt, explicandi ratione non parum confirmari, verbo monuisse satis erit.

14) Nec poenitet me ita sensisse, quamvis in alia omnia abire videam clar. de Wette l. l. p. 154. etc. Quod enim pro explorato sumit vir doctissimus, serioris aevi poëtas antiquiorum personam induisse singularesque eorum conditiones suis carminibus tractasse, tantum abest, ut certum mihi videatur, ut potius repugnare existimem huic sententiae omnem poëseos

Qui reliqui sunt, uno nonagesimo excepto, omnes, posteriori aevo vel compositi demum, vel retractati saltem, temporumque rationibus accommodati [15]) esse putandi erunt. Sed ulterius aliquantum procedere auserim fatendo, *Psalmorum seriem non adeo parvam ipsis Maccabaeorum temporibus* assignare, multa esse, quae mihi suadeant, quamvis eam sententiam, cum ab aliis non nullis proposita esset, plerisque adhucdum interpretibus valde displicuisse non ignorem.

Inesse nimirum certis quibusdam Psalmis vestigia haud pauca, quae Maccabaeorum aetatem, si ullam, spectare, rebusque gentis, quales tum fuisse constet, nisi unice, at aptissime profecto respondere videantur [16]), nec ab ipsis illis viris sagacissimis controversum esse arbitror. Eosdem consentientes me habiturum esse spero, si statuam, quae ejus aetatis indicia alii etiam Psalmi praebeant, licet minus aliquantum distincta, majorem tamen probandi vim mutuari posse *ab ipso loco*, quem posterioris generis carmina, juncta ac sociata prioribus, in Psalmorum libro teneant [17]). Sed res omnis in eo ni fallor haeret, quod in universum dubitandi caussa adsit, an nostrum quod habemus Psalmorum florilegium non unum modo et alterum tam serae aetatis carmen, sed et integram aliquam ejusmodi carminum seriem continere ullo modo credi queat? Ut enim concedatur, *col-*

Ebraeae, juvenilis illius quasi, genium. *Materiem* igitur cujusvis psalmi a momentis Davidem auctorem arguentibus eximere vix auserim. cf. quae s. lit. b) de inscriptionibus Psalmorum Davidicorum addentur.

15) Quae ita retractata et immutata sunt carmina, quotcunque sequioris seculi vestigia prae se ferant, *Davidica* audire, dum modo primum auctorem Davidem habuerint, rectissime pergebant.

16) Principem fere in iis carminibus locum vindicaverim Psalmis LXXIV. LXXVI. et LXXXIII. Ut enim priores illi rebus sub Antiocho Epiphane gestis omnino accommodatissimi, habent praesertim, quae cum I. Maccab. libri narrationibus ad verbum usque concinant, ita posterior hostium foederi, contra Judaeos inito, eas gentes annumerat, quas I. Macc. V, et a Josepho in bellorum Maccabaicorum narratione (Antt. l. XII. cap. 8.) recensitas videmus omnes ac singulas, cum easdem superiori tempore populo Ebraeo commune bellum intulisse annales sileant. Quae per partes exequi longius foret.

17) Maxime hoc ipsum valere putem de plerisque eorum carminum, quae et inscribuntur Assapho, et, si non Assaphum Davidis aequalem, (cui ipsi Psalmum certe LXXIII. non abjudicaverim), at nescio quem ejusdem nominis, quamvis serae aetatis virum auctorem revera habuisse videntur (LXXIII — LXXXIII).

lectionem libri, qualem nunc habeamus, et qualem Versiones veteres exhibeant, antiquiorem aevo Maccabaico habendam non esse (quod concedi debere, ex inferius dicendis patebit), quaeri tamen poterit, an *eodem ipso tempore nova etiam non pauca carmina* colligendis antiquioribus *addita fuisse* vero simile sit? Sed equidem et hoc sumendi idoneas suppetere rationes putaverim. Bellum enim illud sacrum, a meliore gentis parte prospere plerumque tum temporis gestum, fieri vix potuit, quin et ferventiori religionis patriaeque amore denuo accenderet animos, et ipsum poëseos Davidicae genium resuscitaret ac foveret. In tanto nempe periculo cum Numinis divini cultus nunquam antea versatus fuisset, quid mirum, quod, quicquid virium haberet ars musica et poëtica, intentum fuerit ad illum conservandum studiumque ejus, quantum fieri posset, restaurandum? Nec exstinctum ea aetate fuisse omnem poëseos sacrae, purioris illius ac vere patriae, inter Ebraeos florem, locupletissimum vadem habemus Jesum Siracidem [18]).

b) Cum de aetate Psalmorum definienda agitur, id specialiter inquirendum se offert, quaenam in hac caussa *inscriptionibus illis*, quas plerique eorum in fronte gerant, auctoritas constet? Qua in re si, quid ego sentiam, ingenue liceat fateri, maximo sane momento ista testimonia aestimanda esse, nec, nisi validissimis subinde in contrariam partem argumentis cogamur, a nobis deserenda, mihi quidem, integre rem perpendenti, persuasum mansit. Nolo recoquere ea, quibus alii (et inprimis celeberrimus *Eichhorn* in introd. ad V. T. Tomo III.) inscriptiones Psalmorum tum potissimum, cum auctores aetatemque indicent, carminibus maximam partem coaevas videri, dudum ostenderunt. Sed addere liceat,

α) antiquitati inscriptionum *Psalmis LXXII prioribus* in Codice Ebraeo praefectarum, non parum confirma-

---

18) Quis est, quem fugiat illa rerum ac verborum similitudo, qua Sir. c. XXXVI. Psalmis LXXIV. LXXVI. LXXX. LXXXIII. respondet? quem non afflet e Siracidis capite LI. genii Davidici aura? — Sed quis merum imitatorem eundem Siracidem pronunciaverit? Imitatorem qui quaerat, adeat, si placet, Psalterium illud, quod dicitur, Salomonis (in *Fabricii* Cod. Pseudepigr. V. T. p. 914 ss.).

tionis inde accedere, quod Versiones Alexandrina et Vulgata cum textu Ebraeo in ipsis his titulis constantissime consentiant, et Davidis certe nomen, in Ebraeo appositum, ne semel quidem omittant [quod secus est in sequentium Psalmorum, alteram omnis libri sectionem constituentium, titulis [19]).]

β) Ex *omnibus omnino Psalmis,* quibus in textu Ebraeo titulus, auctorem occasionemque indicaturus, praesit, *perpaucos* enotari mea quidem sententia posse, *qui inscriptioni sibi praefectae ipsi adversentur.*

Quamvis enim Psalmi haud pauci, quibus Davidis nomen praepositum est, *ab ipso Davide* conditi esse rectissime negentur, eosdem tamen *neque ad Davidis aetatem* referri debere, multo difficilius demonstratu fuerit. Sed quid sibi voluisse putanda est formula לדוד? An Davidem *auctorem* diserte praedicarit? — Id mihi quidem maxime dubium esse fateor. Si nempe consulas communem loquendi consuetudinem, formula לדוד innuisse videbitur, *quicquid Davidis, s. Davidicum ullo modo sit,* quicquid pertineat ad Davidem, seu ad Davidem sit referendum, ideoque *aut Davidi auctori, aut ejus aetati* psalmum attribuere, *aut materiem tantum psalmi in Davide versantem* notare potuisse. Triplicem in Inscriptionibus illis Davidicis formulae vicem deprehendis: לדוד, לדוד מזמור, מזמור לדוד. Quod attinet ad mediam: לדוד מזמור, eam vix licuerit vertere: *Psalmus Davidis;* postponi enim solet nomini regenti genitivus; sed ita latine sonabit: *Davidis* (a, de Davide —). *Psalmus —;* german. *Ein Psalm. Von David* (ut vocabulum מזמור mera appositione junctum sit). Jam etiam לדוד nude positum, simpliciter vertendum erit: »*Davidis* (a, de Davide; ad Davidem pertinens), nullo nomine regente subintellecto. Denique, eadem analogia duce, ipsum etiam מזמור לדוד indefinite sumendum videtur hoc modo:

19) Quos *non plane eadem* auctoritate gaudere, sed meris *nonnunquam* conjecturis niti, facile concesserim. Unde factum, ut in iis frequentius ab Ebraeo textu recederent veteres Interpretes; velut Ps. CXXII. CXXIV. CXXXI. CXXXIII. ab Alex. et Vulg. omittitur לדוד, Ps. CXXVII. לשלמה.

Psalmus; Davidis (a, de Davide). Quod ipsum etsi non modo denotare *possit* Psalmum Davidis, i. e. Psalmum, cujus auctor sit Davides, (ut Hab. III. 1. תפלה לחבקוק est deprecatio Habacuci, ab Habacuco fusa, et in arabicorum librorum titulis nomini auctorum praefixum reperimus ل), sed et plerumque, quod negare nolim, *ipso facto* hanc significationem sibi adjunctam habeat (quod scil. carminum ita inscriptorum plurima, in prioribus saltim LXXII. Psalmis, revera a Davide scripta sint); *non raro* tamen et huic formulae et reliquis: לדוד מזמור, לדוד, ceterarum significationum, quarum supra memini, una aut altera vindicanda erit. Id ut statuam, ea maxime caussa moveor, quod in Psalmis XLI. prioribus, [qui Psalmorum collectionem omnium antiquissimam constituunt [20]),] quum inscriptionibus לדוד, מזמור לדוד etc. notati sint, quatuor exceptis, *omnes, ne unus quidem* occurrat, qui *aetati* Davidicae non clarissime conveniat, sed multi ex altera parte, quos *ab alio auctore, Davidi coaevo*, proficisci idoneae rationes nobis persuadeant; v. c. Ps. II. XX. XXIV. XXXVII. Quonam vero jure in posterioris hujus generis carminibus formulam לדוד (per se ancipitem) restrinxerimus ad *auctorem* designandum, *hasque* solas inscriptiones (invito ceterarum in hoc carminum fasciculo inscriptionum exemplo) spurias pronunciaverimus, plane non perspicio. Confidere potius licebit, et eos Psalmos, quos Davidi auctori tribui, non facile admiserit argumenti ratio, *recte* tamen inscribi potuisse לדוד. *Tum* enim haec formula nihil aliud innuere voluisse putanda erit, quam: agere Psalmum *de Davide,* vel ad ejus pertinere aetatem. Similiter לשלמה Ps. LXXII. etc.

Accedit, quod et ii Psalmi, qui inferiorum temporum rationes subinde respicere negari non possint, *jure* tamen Davidi, Salomoni etc. inscripti esse queant, dummodo primam originem e Davidis Salomonisve aevo traxerint, serioris aetatis rebus addendo ac mutando postea accommodati (ut v. c. Ps. XIV. coll. LIII.). Sed id ipsum superius monendi occasio adfuit, not. 15.

---

20) Cf. quae mox dicentur sub num. 2.

2) *Collectionem* eorum carminum, quae Psalmorum nomine comprehendimus, diversis temporibus paulatim factam esse, praeter alios luculentissime ostendit Ill. EICHHORN, Einleit. ins A. T. T. III. §. 624 Duplex Psalmorum in Codice Ebraeo deprehenditur divisio, altera, qua in *duas* partes post Psalm. LXXII. dissecti sunt, altera, qua *quinque* eorum libri numerantur. Et posteriorem quidem istum dividendi modum quamvis non sine multa veri specie deduci videam inde, quod Pentateucho assimilare Psalterium Judaeis placuerit[21]), nescio tamen, an aliam etiam caussam historicam eidem subesse innuat minorum quinque partium mira inaequalitas. Cum nimirum Psalmi XLI. priores, quibus *primus* liber absolvitur, Davidi inscripti sint, quatuor exceptis, omnes, et (praeter Psalmum I. qui posterius demum universo Psalmorum volumini prooemii quasi loco praepositus esse videtur) ne unum quidem exhibeant, quem non *Davidis aetati* assignare gravissimis argumentis moveamur; quid est, cur dubitemus, eum librum aut ipsa Davidis aetate, aut non ita multo post collectum fuisse? — At liber *secundus*, licet longe plurima ejus carmina ad Davidis aevum non minus pertineant; habet tamen nonnulla, quae serius scripta esse apparet, immo, ut minimum dicam, unum profecto, quod Hierosolyma a Sanheribo impugnata spectet (Ps. XLVI.). Is igitur, qualem nunc volvimus, liber prius certe, quam *exeunte Ezechiae imperio* congestus esse haud potest, quin, si valeat S. R. SEILERI sententia, qua Psalmus LXIX. *Jeremiae* adscribitur[22]), si praeterea Psalmus LXVI. exilii Babylonici ad finem vergentis indicia non obscura praebeat, ne *Esrae* quidem temporibus anteponere licebit hujus libri collectionem. Et quicquid statuendum sit de opinione illa antiquitus tradita, in canone scilicet V. T. colligendo palmam omnibus aliis praeripuisse eundem illum Esram, facile certe concedetur, carminum Davidicorum

21) Id ipsum praeivit *Epiphanius* de pond. et mens. c. V. ed. Petav. Par. Tom. II. p. 162. „το Ψαλτηριον διειλον εις πεντε βιβλια οἱ ἑβραιοι, ὡστε ειναι και αυτο αλλην πεντατευχον."

22) Argumentum Psalmi, cum Jeremiae rebus, et eo, quo usus est, scribendi genere comparatum, sententiae supra allatae non parum favere existimaverim.

similiumque collectionem *supplendi* studium ab ipsius aetate non abhorrere potuisse. Sin forte mireris, quomodo factum sit, ut secundo huic libro, Davidis potissimum carmina exhibenti, Psalmorumque Davidicorum florilegium suppleturo, complura *seriorum* auctorum carmina (Ps. XLV. XLVI. XLVIII.) statim ab initio insererentur, quaedam etiam, *vix ante exilium, quin exeunte eodem composita* (Ps. LXIX. LXVI.), a tergo adjungerentur? — quod ad illa quidem attinet, ipsa inscriptio לבני־קרח eo valere potuit, ut hunc nanciscerentur locum; quod ad haec, omnem Psalmorum LXVI — LXXII. seriem appendicis loco, et ad explendum Voluminis spatium, libro nostro (quem Psalmus LXV. clausurus fuisset) additam esse eo magis conjecerim, quo facilius sumi queat, horum Psalmorum, et exeunte et absoluto exilio publice a gente Israëlitica decantatorum, ipso, quo collectio facta sit, tempore recentissimam fuisse memoriam [23]).

Alteram jam cunctorum Psalmorum *sectionem* (LXXIII — CL) cum *ea* maximam partem carmina, quae *finito* demum exilio ab ignotis auctoribus facta sint, complectatur, non paulo serius collectam priorique additam esse conjiciemus. Vix enim sumi poterit, clausa modo priore illa, novissima quoque anonymorum carmina statim collecta, sacratisque Musae Davidicae operibus adjuncta fuisse, cum e contrario *Maccabaeorum aetate* maxima universim cura adhibita esse videatur, ut non carmina solum sacra, sed et reliqua monumenta patria asservarentur dissipationisque periculo eriperentur. Imperabat enim id temporis ratio om-

23) Psalm. LXVI. et LXVII. publico nomine cantatos esse satis clarum est. Psalmus LXVIII. ab ipso Davide, ut publice per choros ederetur, compositus, locum suum prius etiam occupasse videtur in aliis carminum patriorum collectionibus, sed passim variatus et a nostri libri collectore denuo insertus. Psalmum LXIX. quamvis a Jeremia suo nomine fusum, Israelitis in exilio degentibus solemnem factum esse putaverim, et inscriptionem לדוד, sive a collectore libri nostri sit, sive minus, a multis, quas continet, sententiis imaginibusque Davidicis traxisse. Psalmus LXX. quem Psalmi XL. versus quinque extremi constituunt, a gente exule usurpatus et hanc ob caussam h. l. publicis carminibus associatus esse potest. Eundem repetit et amplificat Psalmus LXXI. Psalmus denique LXXII. a Salomone fortassis compositus, a populo et exule et restituto ad focillandam Salomonis cujusdam secundi expectationem adhibitus esse videtur.

nis; nec eorum, quae ad tuendum confirmandumque Jehovae cultum conducere ullo modo possint, duces Maccabaici quicquam infectum reliquisse putandi sunt. Praeterea singularibus quibusdam vestigiis historicis, librorum sacrorum studium isto inprimis seculo fervuisse, non obscure indicatur[24]); ac diserta illa de Juda Maccabaeo narratio, 2 Macc. II. 14. obvia: »ὡσαυτως δε και Ιουδας, τα διαπεπτωκοτα δια τον πολεμον τον γεγονοτα ἡμιν επισυνηγαγε παντα, και εστι παρ' ἡμιν,« — cum *in se* probabilis sit, quantulumcunque statuas de compilatoris fide, pro testimonio in hanc causam valente merito poterit haberi. Accedit, in quo caput rei vertitur, quod non singuli tantum Psalmi internis indiciis Maccabaeorum aevum referant[25]), sed et *compluribus V. T. libris, argumento suo spectatis, antiquior Maccabaeorum aetate origo vix possit adscribi, omnisque igitur V. T. canon ante illam aetatem constitutus esse jure negetur.* Quo posito, ipsa illa Maccabaicorum temporum vestigia, in Psalmis quibusdam obvia, plus momenti acquirent, nec diffidenter licebit instare: »*complures Psalmos imperante demum Antiocho Epiphane ortos, omnemque Psalmorum collectionem exeunte vel finito ejus imperio clausam esse.*«

Posterior praesertim Psalterii sectio omnis eo demum tempore constructa priorique adjuncta videtur. Habet enim illa *ab initio* statim (excepto forsan Ps. LXXIII) complura ejus generis carmina, quae res sub Antiocho gestas innuunt; alia ejusdem generis medium tenent locum (v. c. Ps. XCIII); duo tandem omne volumen absolvunt (CXLIX. CL.).

Ceterum, quid caussae lateat, quod carmina, altera sectione comprehensa, hoc utique modo, (qui negligere omnem ordinem videtur) disposita sint, et in tres partes tam inaequales distributa, de eo quidem certi quid conficere vix licuerit. Locus saltem erit augurando, quisquis fuerit, qui

24) Sufficiat h. l. meminisse versionis Alexandrinae, paulo prius coeptae, paulatim postea continuatae, quae ad revidendos libros originales sine dubio ansam praebuit; meminisse etiam, quanto studio libris sacris incubuerit Jesus Siracides (teste nepotis prologo, teste accurata, quam ipse, cap. potissimum XLIV — XLIX. prodit, eorum cognitione) etc.

25) Cf. p. 13 ss.

distribuere hanc Psalmorum sectionem aggressus sit, Psalmum LXXIII. et qui sequuntur, carminibus Davidis ideo continua serie agglutinasse, quod Assaphi nomen prae se ferrent [26]), Psalmos autem LXXXVIII. et LXXXIX. si ita ut nunc sunt inscriptos jam ipse deprehenderet, ea de caussa adjunxisse, quod Heman et Ethan Davidis praecentores non minus ac ille fuissent [27]). Deinde, cum tertius ac quartus liber *septendecim uterque* Psalmos complectatur, Psalmus vero CVI. a sequentibus (CVII. ss.) naturali intervallo sejunctus non videatur, quaerere possis, annon Psalmi LXXIII — CVI. singularem fasciculum, singularem rursus Psalmi CVII — CL. constituerint [28]), totumque Psalterii nostri volumen, primitus compositum fuerit ex *quatuor* carminum libris, antiquiore partim aetate, partim post exilium, partim denique brevi ante postremam collectoris operam ortis, dispositor vero, numerum quinquenarium, Pentateuchi ad instar, expleturus, tertium librum (LXXIII — CVI) in duas partes, aequales invicem, distinxerit? — Nec minus credibile est, primum libri, quem nunc habemus, quinti collectorem carminum illorum quae שירי המעלות inscribuntur (CXX — CXXXIV) fasciculum, prius jam collectum reperisse.

Sed nolo longior esse in rebus dubiis. Verbum addere liceat de eo, quod nuper a multis quaesitum est: *annon complura carmina, per se diversa, in unum subinde a collectoribus redacta sint, alia vero unius carminis fragmenta pro diversis carminibus ab iisdem habita?* Quod affirmare eo minus dubitaverim, quo magis in hac caussa veteres ipsos dissensisse, versiones antiquae docent. Sed *rarius* tamen, quam recentioribus quibusdam Criticis placuit, singulos Psalmos modo a textu Ebraeo discedente dirimendi occasio idonea et caussa redibit [29]).

---

26) Cf. not. 17.

27) Sin seriores statuas has inscriptiones, a vicinia Psalmorum, Assapho attributorum, ortae esse putandae erunt.

28) Quod si secus fuisset, quartus liber Psalmo CXIX. absolutus, et a Psalmis המעלות orsus fuisset quintus.

29) Ita verba illa, quae Ps. XXXII. 11. legimus, ejusdem Psalmi exitum non minus concinnum, quam sequentis initium constituerint. Psalmus

Restat, ut

III.

de regulis illis, quas in Psalmis historice interpretandis sequi oporteat, quaedam adjiciamus. — Scilicet quo confidentius equidem ponere posse mihi videor, canonem illum hermeneuticum, quo in explicandis quibuscunque veterum monumentis *et opiniones populares*, eo quo ipsa orta sint, tempore in vulgus regnantes, *et ipsorum auctorum singulares sentiendi modos,* singularesque, quibus in cognoscendis rebus circumscripti fuerint, limites (quantumcunque illos aut testimoniis historicis compertos habeamus, aut legitime argumentando possimus augurari) et *omnes denique temporum locorumque rationes,* quas a priscis auctoribus innutas deprehendimus, in subsidium vocare jubemur, ad explanandos praesertim Psalmos adhibendum esse constantissime, ejusque negligentiam, ex quo commentariis illustrari coeperint libri sacri, apertissimos in exponendis applicandisque carminibus istis, peperisse errores, eorumque venustatibus violentissime detraxisse; eo minus temperare mihi possum a *cautionibus* quibusdam *praecipuis*, quas ipso illo canone *rite usuri* observare cogamur, breviter memorandis. Ita

1) ubi de Psalmis *ex opinionibus publicis* explicandis agitur, maxime cavendum erit solertiori cuivis interpreti, ne *singulorum quorumque auctorum* ingenium atque scientiam ex illis metiatur. Habent enim et secula quaelibet et gentes suos quosdam viros, qui, prominentes e vulgo, sui ipsorum quasi interpretes praeconesque sint, et, cum id, in quo maxime excellent, *non extrinsecus* sibi affictum gerant, non satis juste aestimari queant ab eo, qui *ipsorum* genium mente comprehensurus ad extera assidue deflexerit oculos. Cujus rei luculentissimum specimen contemplatori haud cupido praebent vetustiores aetates ejus populi, cui *religionis*

LVII. satis cohaeret, nec in duo dissecari carmina flagitat; modo priores 6 versus in ipsis angustiis, sequentes superato periculo cantos, postmodum junxisse, aut totum carmen impetrata demum ope composuisse, sed ab initio periculum absolutum retractasse Davides ponatur. Aptior medelae, de qua agitur, criticae locus esse videtur in Psalmis XXVII. XXXVI. etc.

humanissimae ejusdemque omnium excelsissimae auctorem tandem gignere contigit. Nescio enim, an quaedam ejus religionis stamina in ipsis jamjam Mosis, Davidis, Salomonis, Esajae aliorumque, quibus antiquitas Ebraea gavisa fuit, virorum sapientium dictis *quaerenda* fuerint, nec dubito, si quis integro eos inspexerit oculo, eum quidem luminis divini, per disciplinam christianam in omne genus humanum plenissime emanaturi, praevios quosdam radios ipso facto in illis conspicaturum esse[30]. Qui radii, si *a paucis* suscepti, obscuram opinionum communium molem parum penetravere, quid caussae aderit, ut eos nihil aliud statuamus esse, nisi exilium illarum, quae in vulgus etiamnum valebant, notionum corusca quaedam involucra? Equidem maxime vereor, ne hoc modo iujurii non in auctores solum illos Ebraeae antiquitatis gravissimos, sed et in nosmet ipsos fiamus. Voluptas enim illa, qua Psalmi nominatim haud pauci perfundere lectorum animum valent, magnopere, si quid sentio, imminuetur, quamprimum puriores illae de Deo, cultuque ipsi tribuendo, de interna hominis dignitate ac praestantia aliisque ejusmodi rebus sententiae, quibus sublimitas eorum carminum quam maxime efficitur, ex iis evanuerint. Quamvis igitur multum absit, ut existimem, vulgares quorumque temporum de colendo Deo, de rerum omnium natura ac regimine opiniones, quas ipsi nonnunquam Psalmi non obscure innuunt, in iis explanandas negligendas esse, aut supersederi unquam posse cavendo, ne seriorum, ne recentissimae adeo aetatis de rebus divinis placita illis inculcentur, nihilo tamen magis omittendum duxerim auctorum sacrorum cum *semetipsis componendorum* diligentissimum studium, nec velim illos eo jure orbari, quod sanae mentis homines sibi vindicant cuncti, ut sententiarum suarum interpretes ipsi maneant.

2) Multis deinde Psalmis nonnisi *ab re*, quam respexerint, *in facto posita*, lucem suam affundi, extra controversiam versatur. Ubi nihil magis dolendum est, quam quod historicae illae carminum occasiones nonnisi *divinari* ple-

30) Cf. inprimis, quae de Mose ipso docuit S. V. Griesinger in libello nuperrime edito: *über den Pentateuch*, p. 12 ss.

rumque queant, et, quam incertum atque ambiguum subinde sit, quod in hoc genere conjicere audeamus, ex optimorum interpretum mira discrepantia evidentissime eluceat. *Sed caveas tamen, ne ab omni hoc, occasiones historicas eruendi, negotio plane deterrearis.* Quotiescunque enim in facto quodam singulari, cui Psalmus dedicatus sit, augurando pecces, *similem* tamen rem ab auctore spectatam esse, jure meritoque sumere poteris, et ita ne in ipsa quidem *singularum partium* interpretatione longius unquam a vero recedes, *in universum autem vividius veriusque interpretaberis*, quam si peculiares poëtae rationes animo concipere non fueris conatus; praeterquam quod *complures* psalmos ex historia *vere* illustrasse, in quibusdam licet erraveris, nunquam possit poenitere. Quod reliquum est, cum per se pateat, nec, quae in his rebus conjicere posse nobis videamur, pro certis commendare, nec historicae occasionis vestigia, ubi nulla sint, pro lubitu effingere licere; ipsam conjecturarum veniam pluribus confirmare aut suis circumscribere limitibus non opus erit. Valeant tamen et huc, quae de clar. DE WETTE sententia, aetatem auctoresque Psalmorum definiendi cuicunque tentamini opposita, supra monuimus (p. 12. not. 14.)[31]).

3) Historicae interpretandi methodo ad ipsos Psalmos applicandae nihil facile obfuisse magis videtur, quam quod, quemadmodum ceteris V. T. libris, ita et illis non modo *inesse debere* sumerentur *vaticinia Messiana frequentissima*, sed eos certe, quos ad Christum ejusque ecclesiam etc. in N. T. libris diserte relatos reperiamus, ab antiquioribus occasionibus exortos primitus putare, *nefas* simul haberetur. Quibus vinculis cum celeberrimi nostrorum temporum interpretes valedicere posse sibi visi sunt, quod primo, notionem Messiae ea, quae Psalmos plerosque genuerit, ae-

31) Et quamvis occasionum historicarum in *exponendis* Psalmis momentum *non omne* excludat vir laudatus, cum auctores, cujuscunque aevi fuerint, ad res Davidicas aliasve, quas antiqua memoria tradiderat, carmina sua saltem accommodasse, et ipse concedat, observare tamen licet, non modo *veriorem* esse, sed et *pulcriorem*, magisque, ut voce technica utar, *aestheticum* eum Psalmos explicandi modum, quo auctores in re recenti plerumque versati fuisse, suosque ipsorum sensus in carmina effudisse ponuntur.

tate dominatam fuisse, parum verisimile ducant, deinde vero, quae in N. T. occurrant, allegationes interpretationesque Messianas pro *meris accommodandi formis*, morem Judaeis solemnem secutis, habeant, aut etiam N. T. auctoribus, *tanquam suas*, relinquant; rectissime quidem illos fecisse crediderim in eo, quod neque oraculorum Messianorum in Psalmis *frequentiâ*, a superioribus interpretibus sumtâ, neque singulorum Psalmorum excitationibus in N. T. obviis detineri se passi sint ab historicis eorundem occasionibus *argumento duce* solertissime indagandis. *In ipsis enim illis Psalmis, qui ad Messiam a N. T. scriptoribus referuntur,* tam clara deprehendimus rerum, quas spectaverint, *antiquiorum* indicia, ut, qui ea parvi pendere velit interpres, omni omnino historice interpretandi arti et librorum sacrorum ad certam quandam regularum normam explicandorum cuicunque quae restat spei renunciare, si quid sentiam, cogatur.

Sed, quotquot N. T. libri exhibeant Psalmorum hujus generis interpretationes Messianas, eas ad unam *omnes* pro meris alludendi, comparandi, formulasque solennes usurpandi exemplis habendas esse, id ex concessis consequi maximopere equidem nego, nec deesse persuasum habeo allegationes, quas amplius valere res ipsa doceat, cum e quibusdam Psalmorum locis ipsa probandi argumenta apostoli depromserint, eosque de Christo agere, ex professo demonstrare annisi sint [32]). Nec major ratio adest, si Psalmum quendam ipsius, quo compositus fuit, temporis historiam spectare interna indicia ostendant, confestim exinde concludendi, N. T. scriptorem, qui *de Christo eundem agere revera perhibeat,* aut noluisse nisi κατ' ανθρωπον argumentari, aut *opinione tantum sua* ductum esse. Id potius ponere

---

32) *Apostolos* dico. In ipsius enim, qui servati nobis fuere, *Christi* sermonibus nescio an ullus monstrari queat locus, *ubi singulum aliquem Psalmum de se vaticinatum esse disertis verbis ipse affirmaverit.* Si locum Matth. XXII. 43—45. attuleris (quem prae aliis huc afferri posse, lubens consentio); nonne *hypothetice* locutus sit Servator? difficilius judicatu fuerit. — De summa rei conferri optem, quae eleganter non minus quam vere monuit S. V. Hufnagel in Diss. de Psalmis prophet. Mess. continentibus Sect. I. (inserta commentationibus theol. ed. a S. V. Velthusen etc. Tom. III.) p. 63. 72 ss.

audeo: *posse eundem aliquem Psalmum, qui rem in facto positam, aut coaevam sibi aut antiquiorem, ex ipsa auctoris mente solam spectaverit, jure meritoque Messianum nuncupari.* Quemadmodum enim horum carminum multa, cum primitus orta sint a rebus iis, quae auctoribus ipsis acciderant, atque singulares eorundem sensus expresserint, postmodum aucta subinde et immutata, et ab universo populo in sacris publicis obeundis adhibita atque repetita fuerunt; ita posteriorum seculorum Israëlitae, si qui meditandi solertia religionisque amore ceteris antecelluere, in multis Psalmis (et in iis praesertim, qui e Davidis laudatissimo imperio superessent), exspectationum, quas foverent, Messianarum praesidia quaedam deprehenderunt. Quicquid Davides sibi, quicquid Salomo, quicquid ab iisdem et ipsa sibi gens sperare didicerat, ad familiam posterosque eorum, populique futura genera transferebatur; quicquid completum in illis, ex parte saltim, esset, id magnifice repetitum perfectumque iri a rege, ex ipsis orituro, seculique aurei auctore futuro, exspectabatur. Interea subtiliores et ab eo, quod sensibus obnoxium est, remotiores regni Messiani imagines in perspicacissimorum quorumque vatum ingeniis paulatim efformatae, superioribus illis praesagiis sponte associabantur. Et recte haec quidem omnia. Tulit enim id ipsius, qui ad praestantiorem religionis morumque cultum educaturus erat gentem Israëliticam, divini spiritus consilium, ut Davides nescio quis secundus, sed, quantuscunque imaginando effingi posset; qui rex idemque sacerdos futurus, qui omnem qua polleret, imperii potentiam religioni et perficiendae et plus ultra propagandae impensurus, qui denique e magna cum hujus adversariis pugna victor esset evasurus, omne populi desiderium, omnem spem dulcissimam in se unum converteret. Ita vero praeparare voluisse supremum Numen et quasi praestruere, quae ad lucem salutemque non populo tantum Judaico, sed universo hominum generi comparandam ipsa tandem Jesu Christi disciplina collatura erat, nemini mirum videri queat, qui ab rerum humanarum historia, sublimioribus consiliorum finiumque divinorum momentis ponderanda non plane ab-

horruerit. — *Verissime* igitur apostoli psalmum, qui *solum* primitus Davidem spectaverat, non applicare tantummodo ad Jesum, et in describenda magistri divini magnitudine illo quasi interprete uti, sed et pro ipso in Christum vaticinio habere eundem potuere. Longo enim ante Apostolos tempore Messiana quasi *facta* erant ejus generis carmina, cum, annuente Dei consilio, ad Messiam futurum et paterentur referri et re ipsa relata fuerint [33]). Et nolim equidem refragari, si quis *duplicem* Psalmis quibusdam *sensum* tribuendum esse ajat [historicum nempe alterum, alterum mysticum] [34]), modo *ea, quam vix exposuimus, ratione accipiat formulam.* Nullam certe timendi caussam habebimus, ne lubrica hoc modo et ambigua evadat ipsa interpretatio. Pergit enim ea solas grammatices historiaeque regulas sequi, quibus studiose observatis *auctorum* sententia eruitur; qui postmodum accessit, sensus Messianus separatim, (sed *omnis*, quae sensim efformata fuit, Messiae imaginis continuo respectu habito) consideratur. Sed hanc rem, quae maximi quidem momenti est in universa de vaticiniis doctrina, uberius exponere, alia fortassis opportunitas concedet.

---

33) Cf. S. V. Müntinghe kurze Anm. zu den Psalmen, aus dem Holländischen ins Deutsche übers. von Scholl, p. 45 ss. ubi similem de Psalmo XLV. sententiam auctor cel. prodit; et Herderum imprimis in libro: Briefe das Studium der Theol. betreff. II. Th. 17. 18. 21. Br. pagg. maxime 279 ss. 330.

34) Id a Venema, Ernestio, Dathio aliisque factum esse, satis notum est.

II.

QUID IN AUGENDA IMMORTALITATIS DOCTRINA

RELIGIONI CHRISTIANAE

IPSI HUJUS CONDITORES

TRIBUERINT?

Si in aestimanda quacunque religione maximi momenti non possit non esse quaerere, quomodo ad confirmandam regendamque vitae post mortem immortalis expectationem, animis humanis altissime infixam, ea se habeat? et vero si ipsa, quam profitemur, Jesu Christi doctrina eo etiam nomine ab omnibus sui cultoribus, quid dicam? ab hostibus quibusdam suis celebretur, quod immortalitatis notitiam clarissimam atque ad bene sancteque vivendum accommodatissimam cum genere humano communicaverit; quid illa post antiquiores et philosophorum scholas et populorum religiones *proprium* in hac laude ac praecipuum jure suo sibi vindicet, diligenter indagare nec superfluum nec alienum habebitur. Sunt vero quaedam, quae ad dilucidandam atque solvendam istam quaestionem, parcius, dum omnem ejus ambitum spectes, nostro tempore [1]) ventilatam, etiamnum

1) Multum in re nostra versatos fuisse constat vetustissimos Patres, Apologetas potissimum et qui Graecorum philosophemata cum disciplina christiana arctioribus vinculis copulare ausi sunt, *Clementem Alexandrinum, Origenem*, alios. Cum enim in eo essent, ut *novitatis* maculam a sacris christianis abstergerent, celeberrimos quosque veterum poëtas atque philosophos de praecipuis religionis capitibus (de animorum v. c. perennitate) similiter sensisse, sed hausisse ex antiquiore omnibus Mose aut ipso certe *Logo* doctore usos, et magno post se intervallo relictos esse a Christo et apostolis, larga exemplorum copia evincere illi quidem annitebantur. Nec, qui recentioribus seculis defendendae atque confirmandae religionis christianae divinitati operam navarunt, supersedere se posse arbitrati sunt, quin ipsius de immortalitate sententiam cum coaevorum Christo, antiquiorumque populorum ac philosophorum placitis compararent. Satis erit, omnium loco compellasse apologetices christianae aptius instruendae auctorem, H. Grotium (de ver. rel. christ. L. II. c. V. in Opp. theol. ed. Bas. 1732. fol. T. IV. p. 37. s.) Joh. Leslandium (in „the advantage and necessity of the Christian revelation" etc. Lond. 1764. 4. II. T.) et propiorem aetati nostrae b. Lessium (in libro: über die Religion, ihre Geschichte, Wahl und Bestätigung, in 3 Theilen, Goett. 1784. 1785. T. I. p. 25 ss.). — Singulari etiam libello,

addi queant. Cum enim ferre videatur ratio rei, ut, postquam cognitum sit, quid in doctrina de immortalitate animorum augenda religioni christianae ipsi ejus conditores, Christus et apostoli, tribuerint? indagetur deinde, quomodo inter Judaeos potissimum, sed et inter alias celebriores gentes, tum ipsa Jesu et apostolorum aetate, tum anteriori aliquantum tempore eadem doctrina sese habuerit, et quid, his ipsis consideratis, ad illam vel in se perficiendam, vel confirmandam, vel propagandam et conservandam, vel cum morum disciplina melius conjungendam etc. religio nostra attulisse putanda sit etc.? — ne illud ipsum quidem, quod *primo loco* quaerendum diximus, plane transactum esse arbitramur, nosque in eo uno, ut vult scribendi quae adest occasio, jam continemus.

I.

Notissimus est Pauli locus ex omnibus in hac caussa princeps: 2 Tim. I, 10. »— ιησου χριστου, καταργησαντος μεν τον θανατον, φωτισαντος δε ζωην και αφθαρσιαν δια του ευαγγελιου« κ. τ. λ. ubi spem vitae post mortem perennis soli Jesu Christi evangelio deberi, clarissime affirmare videri possit apostolus. Et quamvis adeo nihil obstet, quo minus vocem ζωης positam esse statuamus eo sensu, qui *beatitatis* notionem involvit [2]), ut potius ea interpretatio ab orationis etiam contextu suadeatur [3]); idem tamen contextus dubitare vix sinet, quin ipsius felicitatis a Christo oblatae *post corporis interitum perennitas maxime* a s. scri-

inscripto: philosophisch-theologische Abhandlung über das Verdienst der christlichen Religion um die Lehre von der Unsterblichkeit der menschlichen Seele. Flensburg und Leipzig 1788. 8. non inscite id argumentum tractavit Anonymus, quamvis multa omittens, quae ad caput rei quam maxime pertinerent, multa obiter degustans.

2) Veluti Rom. VIII, 10. coll. 6. 11. 13. (v. b. Stobaii Diss. de beata vita post mortem, not. 35. in Opusculis acad. T. II. p. 89.) et alibi frequentissime.

3) Opponit enim apostolus ζωην και αφθαρσιαν a Christo patefactam *calamitatibus illis* evangelii caussa perferendis, quas fugere dedecori futurum foret Timotheo, v. 8.; suoque ipsius exemplo (utpote qui fiducia Domini, *praemium* sibi suum in magnam illam diem reservare certissime valituri, ad mala omnia sustinenda confortetur) discipulum erigere studet v. 12. cf. ad ipsum v. 10. cel. Heinrichs (N. T. ed. *Koppianae* Vol. VII. Gott. 1798), qui, licet in communi vocis ζωη notione acquiescat, universum tamen loci sensum similiter concipit.

ptore spectetur, *hujusque* cognitio doctrinae evangelicae beneficio accepta referatur. *Mortis* enim *corporalis* malorumque *in hac vita* perferendorum (v. 8.) formidinem compesci vult ζωης και αφθαρσιας, i. e. *vitae* (beatae) *ab omni mortis dolorumve potestate atque periculo exemtae*, certa spe; quam datam esse a Christo monet, qui ejusmodi vitam post corporis fata instare, evangelio suo clarum fecerit, mortemque ita ipsam vi sua orbarit (καταργησε) [4]). Sed *omnem* immortalitatis cognitionem atque fiduciam a *solo* Jesu Christi evangelio repetiisse Paulum, quod *F. Socino* [5]) ejusque asseclis visum est, id equidem persuadere mihi nullo modo possum. Ita enim locum nostrum intelligi nec ipsa ejus verba postulant, nec alia ejusdem apostoli effata suadent. Multum nempe abest, ut loci nostri dictionibus ullam vim inferat, qui de cognitione atque exspectatione aeternae beataeque post mortem vitae, Evangelii beneficio *novae luci exposita*, maxime *confirmata*, amplissime *propagata* sermonem esse contenderit [6]). Nullo potius negotio ostendi posset, verbum φωτιζειν ex linguae graecae consuetudine *majorem* tantummodo quendam lucis *gradum*, quo res aliqua aut persona, obscurior ante perfusa esset, saepissime indicare [7]). Atque ut maxime conceda-

---

4) Formula non dispari in aliam paululum sententiam utitur auctor ep. ad Ebraeos, c. II. 14 s., ubi *eam* mortis formidinem, quae e peccatorum conscientia (v. 17.) judiciique post fata instantis prospectu maxime oritur, et ab ipso *mali moralis auctore* in humanum genus invecta est, *morte* potissimum *Christi* (v. 16. 17) ab omnibus, qui fratres ipsi esse voluerint (v. 11), ablatam, atque ita tyrannum illum vere mortiferum potestate sua privatum (καταργηθηναι) gloriatur. conf. ad l. n. b. Storr in „Pauli Brief an die Hebräer erläutert" p. 37 s. et, quem amicissimum colo, C. C. Flattium in libri: philos. exeg. Untersuchungen über die Lehre von der Versühnung Gottes mit den Menschen," P. II. p. 198 s.

5) cf. v. c. Responsionum ad Palaeologum pro Racoviensibus P. IV. in Bibl. Frr. Poll. T. II. p. 108.

6) Grotius ad verba: φωτισαντος κ. τ. λ.: „— de qua vita spes quidem fuerat aliqua ex conjecturis, sed non disertum et sine umbris promissum. Itaque recte dicitur Christus vitam illam corrumpi nesciam tanquam ex tenebris in lucem eruisse. Quicquid enim Philosophi, quicquid Rabbini ea de re dicunt, tenebrae sunt, si ad lucem Evangelii comparantur."

7) Id vel ea exempla commonstrant, quae S. V. Schleusnerus in Lex. ad l. n. affert ex *Diogene Laertio;* quorum unum duntaxat liceat apponere ex L. IV. c. 67. „διεδεξατο (κλιτομαχος) τον καρνεαδα, και τα αυτου μαλιστα δια των συγγραμματων εφωτισεν" — non quod *ignota* prius fuissent, sed quod *obscuriora*, et digna, quae *illustrarentur*.

mus, *pauca* esse alia Pauli loca, quibus hominum Christo doctore antiquiorum de animi post mortem conditione sententiam tetigerit:

II.

sunt tamen *quaedam*, ubi, vitae futurae expectatione nec nationes gentiles plane carere, nec gentis suae majores plane caruisse, clare pronunciare videtur apostolus. Illuc quidem pertinet effatum illud apostoli, multis nominibus memorabile, Rom. II. 14—16.: »nationes scripta lege carentes, rem legis ipsam suis mentibus inscriptam habere argui testimonio conscientiae suae, qua fiat, ut intimis cogitationibus suis modo accusent semetipsos modo excusent, memores (s. praesensu acti) *temporis cujusdam futuri, quo occulta hominum judicaturus sit Deus* (et quidem, quod Evangelium apostoli addat, per Jesum Christum)«[8]. Huc

8) In explicando h. l. maximam partem me consentire apparet b. Storrio, qui accuratissime eum tractavit in Doctr. christ. parte theoret. §. 17. not. a. c. d. Praeter minutiora tamen quaedam, quae notare alienum foret, in eo potissimum a praeceptore desideratissimo recedendum esse arbitror, quod verba: „εν ἡμερᾳ ὁτε κρινει ὁ θεος τα κρυπτα των ανθρωπων κατα το ευαγγελιον μου δια ιησου χριστου," v. 16; conjungat cum *universa ista sententia*, esse gentibus legem quandam intus infixam (v. 15), adeoque ita interpretetur (l. c. not. d.): „*Propter futurum tempus* (εν ἡμερᾳ) judicii divini, quia Deo rationem de nobis et de factis nostris reddere debemus, *natura ita comparatum est, quomodo* v. 15. *legimus*;" qua ratione facile patet nihil jam habere omnem hunc locum, quod aliquam futurae vitae expectationem gentilibus a Paulo tributam esse, probare queat. Equidem ut versiculum nostrum proxime antecedentibus nectere praeferam, eo inducor, quod 1) ipsa orationis series ad propiora potius quam ad remotiora illum referre suadeat; quod 2) durius videatur, dictionem εν ἡμερᾳ vertere: „*propter* tempus," si *ipsa caussa, qua motus* hanc mortalibus naturam indiderit Deus, indicari statuatur, cum praepositio εν *occasionem* caussamque occasionalem saepissime, caussam *moventem* raro indicet, nostroque loco eo minus indicare posse videatur, cum is, qui motus esse diceretur, ue *nominatus* quidem esset, 3) denique, quod *nulla plane ratio dari posset*, cur apostolus formulam: κατα το ευαγγελιον μου, fuisset inserturus, nisi verbis proxime antecedentibus *gentilium*, *Evangelii hujus expertium*, cogitationes expresserit (conf. b. *avi* Gnomonem ad h. l.). Ultimo hoc argumento ab illa etiam loci nostri explicatione detinemur, qua versiculus 16. conjungitur cum v. 10. et omnia interposita (v. 11—15.) parentheseos loco habentur; quae, post Grotium, b. Moro (Praelectt. in Ep. Pauli ad Romanos, ed. Holzapfel, Lips. 1794. 8. p. 20.) et recentissimo quoque hujus epistolae commentatori, Ven. Boehme (Ep. Pauli ad Romanos graece ex recens. noviss. Griesbachii cum Commentario perpetuo, Lips. 1806. 8. p. 28. s.) placuit, quorum neuter ad hoc dubium animum advertit. Ceterum non nego, ipsam, quae statuitur, *parentheseos formam* cum stilo graeco atque hellenistico (vel ipsius Pauli) mihi quidem videri conciliari vix posse. Quicquid

vero referri fortasse poterit ep. ad *Galatas* c. III. et ep. ad *Romanos* C. IV. v. 13 ss. quo utroque loco (quicquid de singularum partium et nexu et sensu statueris) id agit apostolus, ut promissa divina *Abrahamo* facta ad illos omnes *qui Deo per Christum fidem habeant*, sine ullo gentis discrimine spectasse ostendat, cum *ex fide sua* ipse etiam Abrahamus illa promissa nactus esset, ejusque *progeniem* constituerent, quicunque *fide* similes ejus evaserint. Unde illico sequitur, in *bonis Abrahamo promissis omnem illam salutem*, quae *Christi asseclis obtingat credendo;* salutem itaque non temporalem tantum, sed eam maxime, quae *post fata expectanda* sit, numerasse Paulum; quod ipsum etiam disertis verbis priore certe loco (Gal. III. 14. 16—19. 21 s. 29. coll. IV. 5—7) exprimitur. Et probe equidem video, *potuisse* id ab apostolo fieri, etiamsi ejusmodi salutis notionem atque spem *ipsum Abrahamum* concepisse nequaquam cogitaverit; *potuisse* nempe ab eo sumi, Abrahamum promissa a Deo sibi facta, quamvis certissima fide apprehensa, *non plane* ac *distincte intellexisse.* Sed dandum vicissim erit, nullum in omni horum locorum contextu vestigium apparere *dubii* cujusdam, an *ipse Abrahamus* promissa divina sibi data sensu isto ampliore atque ad altiora humani generis desideria accommodatiore sumserit, nec sine veri specie quaedam ex ipso contextu posse afferri, quae innuere revera videantur, tribuisse apostolum Abrahamo coelestis cujusdam haereditatis, a principali illa sobole sua (Gal. III. 16.) [9]) ad eos omnes, qui fide in sobolis suae summam cooptandi forent, redundaturae, nonnullam expectationem [10]). Confidentius hoc idem affirmare licebit, ubi ep. ad *Ebraeos* Cap. XI. 9. 10. 13—16. cum illis Pauli et-

enim de dictione Paulina narres, quam sit impedita, quam expers artis, quam immemor, ut ita loquar, sui: velim tamen, unum mihi proferas parentheseos ex Pauli scriptis certum exemplum, quod huic simile sit; ubi v. c. interrupta compluribus commatis oratio *uno jam tenore*, et sine *omni fili reassumti significatione*, pergat! Quae cel. Boehme l. c. citavit exempla, 1 Cor. VIII, 1—3. XV, 9. 10. 2 Thess. I, 10. — ex alio plane genere sunt.

9) Conf. J. F. Flatti nostri, cum summa veneratione compellandi, Annotationes ad h. l. in Progr. nat. Chr. d. a. 1804. p. 10 ss.

10) v. b. Storrii Prolusio de consensu epistolarum Pauli ad Hebraeos et Galatas in Progr. nat. Chr. d. a. 1791. p. 10 s. (in Commentt. theoll. ed. a *Velthusen, Kuinoel, Ruperti*, Vol. II. p. 402 ss).

fatis contulerimus. Quae epistola si Paulum auctorem habeat ipsum, nullus omnino locus esse poterit dubitando, quin *eidem Paulo* persuasum fuerit, spem civitatis alicujus stabilissimae, ab ipso Deo conditae (v. 10—16.), s. patriae melioris, sc. coelestis (v. 16.), Abrahamum cum filio ac nepote ex ipsa terrae patriae promissione hausisse; verique simillimum evadet, etiam prioribus illis locis eandem opinionem subesse argumentationi apostolicae [11]). Sin ab alio scripta sumatur epistola; at tantam illi inesse fatendum est cum docendi, argumentandi, res christianas illustrandi genere Paulino convenientiam, ut familiarem Paulo auctorem non agnoscere vix potueris, immo consultum plerumque habueris, ex ejus sententia et ea quae a Paulo obscurius dicta sunt, interpretari.

Quomodocunque vero hoc se habeat, exploratissimum certe manebit, ipsum *epistolae ad Ebraeos scriptorem* quandam futurae vitae fidem gentis suae majoribus tribuisse [12]).

In qua opinione consentientem sibi habuit *Petrum* quoque apostolum, qui ep. I. cap. I. 10 ss. *prophetas* saltem, de regni Messiani beneficiis vaticinatos, *magnificam illam animorum salutem*, pro fidei suae praemio a veri nominis Christianis reportandam, *sollertissime perscrutatos esse*, ait, anquirentes potissimum, quodnam tempus indigitaverit Christi spiritus sibi impertitus, *dum Christi et supplicia et gloriam deinde futuram praenunciaret?*

Similem in modum et ipse *Jesus*, cum *de suo per ex-*

---

11) Acutissime pro more suo id ipsum commonstravit b. Storrius, prolus. modo laud. cum qua contulisse non poenitebit ejusdem Comm. in ep. ad Ebr. ad h. l.

12) Eundem auctorem *Mosi* vitae aeternae *notionem* certe aliquam adscripsisse, Cap. XI. versiculus 5 testis afferri possit, qui locum Gen. V. 24. innuere asserit, *Enochum ea de caussa, quod Deo se probaverit* fide, non desiisse modo interesse hominibus (ουχ εὑρισκετο), sed *translatum a Deo* fuisse *ita ut a morte immunis maneret* (του μη ιδειν τον θανατον). At dubitamus, an id ipsum nostram ad caussam valde pertineat. Censemus enim, auctorem epistolae nostrae in isto Geneseos loco vitae cujusdam sempiternae notionem omnino (et recte quidem) deprehendisse, sed vitae sempiternae, quae *alia plane sit* ab immortalitate illa hominibus *communi*, quae potius Enocho, a Deo immortali, cui in deliciis fuerit, in sui consortium rapto, in probitatis suae praemium *quam maxime singulare*, nulla intercedente morte, contigerit. conf. Herderi Geist der ebr. Poësie, I. Th. Dess. 1782. p. 224 s.

trema supplicia in divinam gloriam reditu Sacros Veteris Foederis Viros vaticinatos esse confirmaret (quod non una vice factum esse constat, v. c. Luc. XXIV. 25 — 27. 44 ss.) *sublimioris cujusdam felicitatis*, quae angustos terrae limites excedat, nescio quem sensum *vatibus illis* vindicasse credendus est. — Nolim urgere aliud Christi dictum, quo frequentissime usi sunt, qui doctrinam de animorum immortalitate teste Servatore libris Mosaicis contineri statuerunt [13]), Luc. XX. 37. 38. (coll. Matth. XXII. 31. 32. Marc. XII. 26. 27.). Ipse enim Christus procul abest, ut inde, quod Jehova Deus Abrahami, Isaaci et Jacobi, longo abhinc tempore mortuorum, apud Mosen nuncupetur, *directe concludat*, necesse esse, ut patres isti vivere perrexerint, cum *mortuorum Deum* nunquam appellaturus sese fuisset Jehova. Cuivis enim sanae mentis homini, nedum Sadducaeis adversariis, Jesu doctoris verba insidiosissime captantibus, in promtu futurum fuisset, regerere, dicere se Jehovam Abrahami, Isaaci etc. quamvis mortuorum, Deum, quod, *dum vixissent*, eos foverit atque defenderit [14]). Verum enim vero non id agit Christus, ut for-

13) v. c. E. C. Colberg et J. D. Michaelis in Tr. communi: „Argumenta pro immortalitate animorum ex Mose collecta" (in *Michaelis* Synt. Comment. P. I. Gott. 1759. p. 98 ss.); Jerusalemius in libri: Betrachtungen über die vornehmsten Wahrhh. der Religion, Braunschw. 1785. Parte II. p. 617.

14) Equidem, ex caussa supra allata, me vix capere confiteor eos interpretes, qui omni loci difficultate expediri sibi videntur observando, argumentatum esse Christum contra Sadducaeos judaico interpretandi more et κατ' ανθρωπον — veluti b. Bauerum (in libri „bibl. Theol. des N. T.," T. II. Lips. 1801. p. 149 ss.), Ven. Stolzium (in „Erläuterungen zum N. T." ad Matth. XXII. 31. p. m. 134.) et Evangelii Matthaei commentatorem recentissimum, S. R. Kuinoelium (in Comm. in LL. N. T. hist. Vol. I. Lips. 1807. p. 563.), qui tamen et hoc addit, „Jesum rem non tam syllogismo convincere, quam potius animum percellere" verbis usus, quod ex S. R. Thiessio (Neuer krit. Kommentar über das N. T. I. Band, Halle 1804. p. 276.) disco, Alexandri Mori (in not. in Novum Foedus). Sed probandum prius erat, Christi argumentationem *eam fuisse*, qua, si non convictum, at certe *perculsum* iri Sadducaeorum animos *sperari potuerit;* difficile enim creditu foret, tam parvi auctoritatem suam habuisse divinum doctorem, ut casui discernendum committeret, anne argumentum, quod imbecillum esse ipse sentiret, mentium sibi adversariarum aciem momentaria quadam specie praestrictarum esset? — Aliud demonstrationis κατ' ανθρωπον genus in hoc Christi sermone deprehendit S. V. Paulus, qui (N. theol. Journal, B. 10. J. 1797. p. 995 s. Komment. über das N. T. Th. III. 1. Ausg. p. 256. 272 ss. 288 s. Zusätze p. 553 s.), e loco Mosaico non *thetice* pro resurrectione aut animorum immortalitate argumentatum esse Christum, sed Sadducaeorum quod-

mulae illi: »ego sum Deus Abrahami etc.« superstruat *exegeticum* pro immortalitate aut mortuorum resurrectione argumentum; sed ut argumentum *ex ipsa rei natura petitum* (*philosophicum*, ut ita dicam) annectat memoriae *rei*, quae per formulam istam significata erat. »Quomodo« — ita adversus Sadducaeos argumentari videtur magister sapientissimus — »quomodo Abrahami, Isaaci ac Jacobi Deum (*fautorem tutoremque*) sese praedicare [unquam [15])]

dam argumentum, contra illam doctrinam prolatum: „Deum nempe non mortuos, sed vivos curare, non mortuorum, sed *vivorum* Deum esse, ergo nec resuscitatorum esse mortuos" — ipso illo Dei ad Mosen sermone *removisse* statuit, ideoque verba ista apud *Matthaeum* (v. 32.): ουκ εστιν ὁ θεος θεος νεκρων, αλλα ζωντων, *interrogative* sumit: „Nonne (igitur) mortuorum quoque Deus est (curam habet) Deus, nec solum viventium (cum Abrahami, Isaaci etc. respectu, quorum Deus ipse sit, opem suam spondeat Mosi?)" Quae ratio prae aliis arrideret, nisi *primum* sermonis Jesu contextus luculenter monstrare videatur, *transire* jam ipsum (Matth. XXII. 31. Marc. XII. 26. Luc. XX. 37.) a *refutando Sadducaeorum ex lege Mosaica depromto dubio* (Matth. v. 23—28. Marc. v. 18—23. Luc. v. 27—33.) ad eosdem adversarios ex eodem Mose *oppugnandos* (conf. b. Storrium de beata vita post mortem not. 56.); nisi *deinde*, formulam: ουκ εστιν — αλλα ζωντων, sensu interrogandi sumere, duriusculum esset maxime ob voces extremas: „αλλα ζωντων" quibus addere cogitando deberemus: θεος εστιν ὁ θεος μονον (Zusätze p. 554.); nisi *denique* ii termini, quibus usum esse Jesum *Lucas* refert, (v. 37. „ὁτι δε εγειρονται οἱ νεκροι, και μωσης εμηνυσεν" v. 38. „θεος δε ουκ εστι νεκρων κ. τ. λ." „παντες γαρ αυτῳ ζωσιν") huic interpretationi tam manifeste obstent, ut ipse acutissimus illius auctor (Komm. p. 288 s. Zuss. p. 555.) παρερμηνειας accusare hunc Evangelistam coactus sit. Ceterum quamvis id in quo *caput* est hujus rationis: esse nimirum argumentationem Christi mere *negativam et antitheticam*, eo quoque modo teneri possit, ut formulam: „ουκ εστιν ὁ θεος θεος νεκρων, αλλα ζωντων" *indicative* nihilominus intelligas (ita fere: „Deum „mortuorum quoque rationem habere, ex loco Mosaico colligere potestis, „quo Jehova Abrahami, Isaaci etc. Deum se nuncupat Mosi. Manet autem, „modo meliori sensu, quod vos urgetis: non mortuorum, sed vivorum Deum „esse Jehovam; qui enim dicuntur et, si corpus spectes, sunt mortui, iidem „Dei judicio ac voluntate vivunt" etc.); attamen et universae huic de argumentationis Christi fine sententiae adversari apparet illud, quod cel. *Pauli* interpretationi primo loco opposui, et, quae *Lucas* habet, posteriorem quoque sententiae defendendae modum impediunt.

15) Plerasque argumentum Jesu illustrandi rationes, mihi quidem cognitas, in eo potissimum laborare putem, quod vim illius quaerant in *tempore, quo* Deus Abrahami, Isaaci etc. Deum sese vocaverit. Proxime a nostra sententia abfuerunt Grotius (ad Matth. XXII. 31 s.), b. *avus* ad eund. loc. et ex nostra aetate Ven. des Côtes (Auferstehung der Todten nach der Lehre des N. T. Kirchh. Bol. 1791. 8. p. 174 ss.) ac celeb. Leonardus Meisterus (in libello tenui, at bonae frugi: Jesus von Nazareth, sein Leben und Geist aus der Urquelle geschöpft nach dem Matthäus, Basel 1802. 8. p. 225 s.); sed quod ceteris interpretibus obfuit, nec ipsi plane evitarunt, ideoque id, in quo cardo argumentationis Christi vertitur, non firmiter satis tenuere. Ex omnibus, quantum scimus, (b. Gorzio in Erklärung des Matth. Stuttg. 1788. ad Matth. XXII. 32. fortassis excepto) temporis respectum missum fecit

potuisset *Deus veracissimus*, si eosdem patres istos, quibus Palaestinae possessionem pollicitus erat, post longas molestasque in terra illa peregrinationes, excidentes promissis, morti, eique sempiternae, ipsosque animos interimenti *reliquisset?* Vos, qui de *summo Dei* in gentis vestrae auctores *favore* gloriari et Mosen in eam rem testem adhibere soletis, quo tandem modo conciliare cum hisce testimoniis audebitis eam opinionem, qua omnium hominum animos evanescere post mortem nec ullum mortuorum in vitam rediturum esse statuitis? Qui morte obita et *omnes* mortui essent, nec unquam revicturi, eorum quidem Deum nunquam se nominaret Deus; atqui *viventium* Deus ipse dicitur, et *qui post mortem esse, vivere, beatitate frui perrecturi sint* (θεος δε ουκ εστι νεκρων αλλα ζωντων); omnes enim isti (Patriarchae) Deo vivi praesto sunt (παντες γαρ αυτῳ ζωσιν) « [16]). Magnopere vero in sermone Christi ita ex-

---

nuus Thiessius, qui (l. c. p. 277.) inanibus Sadducaeorum scrupulis nihil nisi τὴν δυναμιν του θεου του ζωντος opposuisse Jesum contendit (de quo tamen ipso valde dubitamus).

16) Hunc postrema haec verba interpretandi modum et ipse sermonis contextus suadet, et locus simillimus auctoris Judaici vel coaevi Christo vel paullum antiquioris, ejus puto, qui scripsit librum non parum memorabilem de *Maccabaeis* s. de imperio rationis, *Josepho* historiographo plerumque tributum, Maccabaeorumque libris in quibusdam Edd. *quarto* loco annumeratum. Ita enim ille Cap. XVI. extr. septem juvenum Maccabaeorum matrem ad mortis supplicia pro religione fortiter obeunda filios cohortantem inducit: „ετι δε και ταυτα ειδοτες (ειδοτας), ὁτι οἱ δια τον θεον αποθανοντες ζωσιν τῳ θεῳ, ὡσπερ Αβρααμ και Ισαακ και Ιακωβ, και παντες οἱ πατριαρχαι“ — et C. VII. 18. 19. suo nomine ita loquitur: „αλλ' ὁσοι ευσεβειας προνοουσιν εξ ὁλης καρδιας, οὑτοι μονοι δυνανται κρατειν των της σαρκος παθων· οἱ πιστευοντες, ὁτι Θεῳ ουκ αποθνησκουσιν, ὡσπερ γαρ οἱ πατριαρχαι ἡμων Αβρααμ, Ισαακ, Ιακωβ. ζωσι τῳ θεῳ.“ Unde apparet *primum*, *solenne* sub Christi aetatem Judaeis fuisse, *Patriarchas* dicere ζην τῳ θεῳ, cum ita esse *pro cognito* Maccabaeorum mater apud laud. auctorem sumat; *deinde*, formulam ζην τῳ θεῳ, cum *ex linguae genio* esse possit: vivere *voluntate* (jussu, beneficio) Dei, et eo fere sensu reipsa sumi videatur Rom. XIV. 7. 8., aut: „vivere in *honorem Dei*,“ quae significatio Graecorum non minus quam Ebraeorum loquendi consuetudini apprime respondet, (conf. S. R. Schleusnerum complura Graecorum exempla afferentem ad v. ζαω et, quae de dativo *commodi* ab Ebraeis usurpato monuit b. Storr in Obss. ad analog. et Synt. hebr. p. 290.) et saepissime in ipsis N. F. libris occurrit, v. c. Rom. VI. 10. 11. Gal. II. 19. etc. — immo quae ipsi nostro loco apta satis esset (conf. diss. *Storrianam* de beata vita post mortem l. c. p. 96.), ipso tamen hoc loco in eam, quam supra expressi, sententiam accipi debere. Satis enim patere videtur, maxime ex altero libri de Maccab. loco, VII. 18 s., ubi τῳ ζην τῳ θεῳ, opponitur: αποθνησκειν τῳ θεῳ, formulam; τῳ θεῳ ζην, *de Patriarchis usurpatam*, vix alio sensu venisse, quam eo, ut significet: *vivum esse Deo*, vivum *apparere Deo*,

ponendo me confirmat locus ep. ad Ebraeos supra laudatus, C. XI. 9. 10. 13 — 16. cum v. 39. 40. Quod enim Christus ex Dei oraculo, quo Abrahami, Isaaci et Jacobi Deum se professus est, colligere docet Sadducaeos, necesse esse, ut isti morte non plane perierint; idem ex eodem oraculo v. 16. derivat ep. nostrae auctor, ea ipsa de caussa, inquiens, professum se esse Deum illorum Deum, quod *civitatem* (coelestem) *paraverit* amicis, promissione terrenae patriae excidentibus (v. 13.). Quonam autem vinculo illi Dei oraculo annexa sit vitae sempiternae, gentis Ebraeae patribus destinatae, cogitatio ac fides, uberius h. l. illustratur eo, quod *illi ipsi,* quorum se Deum nuncupaverit Deus, promissa ab ipso terra nunquam potiti, sed peregrinorum instar in ea circumacti (v. 9.), vel e longinquo eam cum desiderio conspicati (v. 13.), diem supremum obierint, *ideoque* (ne fidem Deo suo habitam dimittere cogerentur) *aliam, nempe coelestem patriam ab ipso expectarint* (v. 9. 10. 13.); qui augurandi modus *verissimus fuisse affirmatur* (v. 16. »διο ουκ επαισχυνεται αυτους ὁ θεος θεος επικαλεισθαι αυτων, ἡτοιμασε γαρ αυτοις πολιν.«). Quamvis igitur gentis Ebraeae patres, aut Mosen, ita auguratos esse, *Christus* (Matth. XXII. 31 s. et locis parallelis) non item asserat, *ipsum* tamen ex Dei oraculo eodem fere modo argumentatum esse, quo auctor ep. ad Ebraeos (qui ante oculos ha-

---

hebraice: חיות לפני האלהים s. בעיני האלהים; quod confirmatur aliis similibus formulis, tum iis, quibus martyras piosque *apud* Deum *cum patriarchis* futuros esse idem liber pronunciat v. c. C. IX. 7 ss. XIII. 16. XV. 2.; quae, cum pervulgatae fuerint Judaeis, in ipsis Christi sermonibus ad designandam vitae alterius regnique Messiani felicitatem adhibentur: „εσται εν τῳ κολπῳ (τοις κολποις) αβρααμ," — „ανακλιθηναι μετα αβρααμ και ισαακ και ιακωβ εν τῃ βασιλεια των ουρανων" etc. Quod vero grammaticas rationes attinet, notandum est, in omnibus notioribus linguis eo subinde sensu venire casum tertium (conf. b. Koppium ad Gal. II. 19. et Wetstenium, locum persimilem nostro conferentem e *Ciceronis* Lael. c. 27.), nominatim vero Ebraicae consuetudini id respondere, cum praepositio ל, quod tirones norunt, qualemcunque relationem indicet, et, quod maxime huc facit, non raro ita posita sit, ut verti queat: apud, aut coram, veluti Ex. XIII, 7. Quemadmodum αποθανειν τῳ νομῳ Rom. VII. 4. Gal. II. 19. nihil aliud esse potest, quam ita se habere hominem respectu legis, quasi mortuus sit; sic ζῆν τῳ θεῳ est: respectu Dei non ita se habere hominem, quasi mortuus sit (conf. l. l. 4 Macc. VII. 19.), sed Dei judicio vivere eique vivum praesto esse.

buisse ejus sermonem videtur) Patriarchas (recte) ratiocinatos esse inquit, omnem id mihi veri speciem habere videtur [17]).

Quamvis autem ex ipso loco nostro evinci nequeat, futurae cujusdam vitae spem Mosi aut Patriarchis tribuisse servatorem, magisne huc sequi videbitur inde, quod Christus in eodem cum Sadducaeis sermone, Matth. v. 29. (coll. Marc. v. 24.) dubium ab adversariis prolatum *his verbis* reprehendat: »πλανασθε, μη ειδοτες τας γραφας, μηδε την δυναμιν του θεου« —? Equidem ne hoc quidem pro certo dixerim. Quid enim obsit, quo minus cum S. V. PAULO [18]) verba: μη ειδοτες τας γραφας, referamus ad *praeceptum* Mosaicum v. 24 ss. inepte a Sadducaeis applicatum, tam procul absum ut intelligam, ut potius hanc rationem orationis seriei accommodatissimam censeam. Non enim in eo jam Christus versabatur, ut animorum immortalitatem atque αναστασιν adversariis, sive ex S. Literis, sive ex rei natura demonstraret, quod postea (v. 31 s.) ultro facturus erat; sed ut *propulsaret* ipsorum argumentum ex lege Mosaica productum; cui proposito annon aptius fuisse fatendum est, reprehendere adversarios in literis sacris ad *impugnandam* αναστασιν *adhibendis hallucinatos*, quam vituperare eosdem ex ea ratione, quod literarum sacrarum de αναστασει *testimonia ignoraverint*?

III.

Quae si firma sint; quamvis 1) *res ipsa doceat*, doctrinam de animorum immortalitate *non plane novam* a Christo apostolisque *habitam* fuisse, cum, ubicunque eam tractarint, non *ita se gesserint*, quasi novi quid atque

---

17) Ea quoque quae Rabbini ad locum Exod. III. 6. (Matth. XXII. 32. citatum) similesque alios de Patriarchis annotarunt, quandam cum illa argumentandi forma *cognationem* habere videntur, veluti, quod in Schemoth R. legitur ad Ex. XXXII. 13.: „Memento Abrahami, Isaaci et Jacobi. Dixit Moses: Domine mundi, num mortui illi vivunt? Respondit Deus: num tu factus es haereticus? Quaesivit Moses: num mortui vivunt? respondit Deus: utique. Moses regessit: *si ergo vivunt, memento Abrahami, Isaaci et Jacobi*" — aliaque a LIGHTFOOTO, SCHOETTGENIO, WETSTENIO etc. ad Matth. XXII. 32. allata.

18) In Comment. ad h. l. p. 263.

inauditi a se proponeretur, Essaeorumque certe, nedum *Pharisaeorum* de vita post mortem placita ipsis [19]) non potuerint non esse notissima; 2) tamen *ex ipsius Jesu sermonibus illi tantum*, quibus in *suum* per supplicia *ad gloriam ascensum* prospexisse vates antiquos affirmat (quorum unum p. 35. citavimus), testes esse poterunt, vitae post mortem immortalis expectationem *majoribus suis* sanctisque V. T. scriptoribus cum tribuisse. In quo, ut vidimus, omnino secum conspirantes habet *discipulos*, quicunque rem nostram tetigerunt, cum et Paulus locis citatis futurae vitae augurium Abrahamo vindicet nonnisi contentum promissionis sibi posterisque per unum eorum explendae fiducia, et Petrus Prophetas de tempore suppliciorum divinorumque praemiorum Christo praenunciatorum sciscitantes in ipsam quoque *salutem* ab eo parandam diligentius inquisivisse existimet; auctor denique ep. ad Ebraeos, quisquis sit, licet loco laudato spem immortalitatis a populi sui majoribus exceptam cum felicitatis Messianae promisso non diserte societ, at cum *isto* certe promisso eam conjungat, quod illi fundamenti instar subjacuisse videretur. Verbo, quemadmodum in omnibus et singulis, quae ad Vetus Foedus pertinuerant, umbram quandam eorum, quae Novum constituerent, discipuli Servatoris, doctore auspice, conspexerunt, ita et alterius *post mortem vitae futuraeque resurrectionis spem, quae Evangelio debetur, anticipatam quodammodo et praeparatam fuisse atque e longinquo quasi affulsisse V. F. hominibus existimarunt; et conjunctim quidem cum universa spe bonorum illorum omnium, quae Novum Foedus allaturum esset.* Cum itaque 3) professi sunt Christus et apostoli, *regnum divinum, a priscis inde temporibus praedictum*, se jam praesens annunciare, ejusque *arcana* credentibus aperire (Matth. XIII. 11. Marc. XVI. 15. Act. XX. 25. 1 Cor. IV. 1. Col. IV. 3.), nullum est dubium, quin ipsam de futura vita institutionem, cum regno divino annunciando arctissime copulatam, in arcanis illis numeraverint, non quod plane nova esset, sed

19) cf. Paulum et Lucam Act. XXIII. 6 ss. Matthaeum C. XXII. 23. Marcum et Lucam locis parall.

quod *longe* quam *ullo antehac tempore* clarior, certior, perfectiorque, quemadmodum omnis regni divini notitia ab ipsis profecta non nova plane, sed multo evidentior, firmior, purior, sublimior, quam prius, exstitit. In eundem sensum Paulus apostolus in ipso loci ab initio allati (2 Tim. I.) contextu (v. 9. 10.) beneficium gratuitum, quod per Christum exhibendum hominibus, immensis abhinc temporibus (»προ χρονων αιωνιων«) *promissum* esset (»χαριν δοθεισαν«) jam *manifestatum* (φανερωθεισαν) inquit adventu servatoris »qui mortem potestate sua orbarit beatamque vitam corrumpi nesciam in lucem protraxerit.« De *promisso* nempe beneficii, ante longissima tempora facto, non de *aeterno ejusdem decreto* (Eph. I. 4.), verba capienda esse, locus parallelus ep. ad Tit. I. 1 ss. nobis persuadet, ubi *veram pietatis doctrinam, cum spe vitae aeternae conjunctam,* Deus veracissimus immensis abhinc temporibus (»προ χρονων αιωνιων«) *promisisse* (»επηγγειλατο«), suo autem tempore *manifestasse* (»εφανερωσε«) dicitur [20]). Unde iterum apparere existimo, magnam doctrinae christianae laudem in eo ponere solitos fuisse *apostolos*, quod vitae post mortem perennis expectationem, *quamvis non plane prius incognitam, sed cum regni Messiani spe* quodammodo conjunctam (quin ipsorum quoque *gentilium* animis, quanquam obscurius obversantem) *clarissime* ac *certissime,* Dei ipsius promisso satisfaciens, *revelaverit;* licet *Jesu ipsius* effatum, quo *hanc* doctrinae suae praestantiam totidem verbis asseruisse, aut facta cum vetere disciplina comparatione stabilivisse dici possit, vix suppetere videatur. Sed 4) quod *idem* discipulis praesignificaverat (Jo. XIV. 1 ss.) summum perennaturae post mortem vitae [21]) pignus — *suam* nempe, quae

---

20) conf. b. Storrii Brief an die Ebr. erläutert, p. 690. not.

21) Non *resurrectionis* tantum, sed omnem vitae post mortem perennaturae fidem suo ex mortuis reditu et, qui secuturus erat, ad patrem ascensu fulciri voluit Jesus (Joh. XIV.); neque omnino utramque anxie distinxit (cf. Matth. XXII. 31 s. et S. Ven. Stäudlin in Progr. Pasch. a. 1794. „doctrinae de fut. corporum exanimatorum instauratione ante Christum historia," in Commentt. theoll. edd. a Kuinoel etc. Vol. I. p. 271.). Pariter apostoli Jesum, cum vitae redderetur, omnem vitae immortalis beatitatisque aeternae spem magnifice confirmasse laetabantur, ipsam de *mortuorum corporum resurrectione* doctrinam facto illo *peculiariter* corroboratam esse, nunquam, si

certissime futura sit, *reviviscentiam* — *eo*, postquam eventus rem magnifice comprobaverat, de vitae aeternae spe excitanda ac munienda, unum omnium longe maxime meritum esse divinum magistrum, uno ore *apostoli* gloriati sunt (1 Cor. XV. 1 Petr. I. 3 s.). 5) Ceterum sicut apostoli, *ubicunque* in hac caussa versati sint, non tantum alterius post mortem vitae, in se spectatae, fidem, sed *vitae aeternum beatae* spem religionis christianae beneficio confirmatam atque perfectam laudarunt, ita tum *iidem* innumeris aliis locis, hoc ipso nomine Christianis gratulantur, quod mortis, futurae vitae, judiciique expectatio ipsis contigerit multo quam ante *gratior*, liberata nempe omni poenarum divinarum metu, ac cum felicitatis absolutissimae sponsione sociata (cf. dictum supra citatum Ebr. II. 14 s.); tum ipse *Christus* non uno loco hoc sibi meritum vindicavit Joh. V. 24. VIII. 51. X. 28. 29.

---

quid video, *urgentes*. cf. v. c. universam, quae 1 Cor. XV. occurrit, apostoli argumentationem.

III.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,

QUID

DOCTRINA DE ANIMORUM IMMORTALITATE

RELIGIONI CHRISTIANAE DEBEAT,

EX CAUSSAE NATURA ET EX REBUS FACTIS

MONSTRANS.

P. 1.

Quod dissertatione proximo abhinc anno conscripta tractare coepimus argumentum, nunc, redeunte simili ad scribendum occasione, ulterius persequi constituimus. Cum scilicet illic, quid in augenda immortalitatis doctrina religionis christianae conditores *sibi tribuerint,* ex ipsis eorum effatis commonstrasse nobis videamur; jam ad rem in se considerandam propius accedimus, inquisituri, quid de religionis christianae in istam doctrinam meritis judicare fas futurum sit, ubi rationem, qua in ea tradenda, confirmanda, summisque humanae naturae finibus accommodanda Christus et apostoli *ipso facto* versati sint, seu cum cardine caussae contenderimus, seu cum iis, quae anterior Christo aetas in hoc genere praeoccupasse deprehendatur. Appariturum esse speramus (liceat enim thematis instar praestruere sententiam, in quam re privatim perpensa adducti sumus), *verissime se habere,* quae tum de Jesu Christo, φωτισαντος ζωην και αφθαρσιαν δια του ευαγγελιου (2 Tim. I. 10), tum praesertim de spe quadam immortalitatis, gentilium animis obversata, majoribusque gentis Ebraeae inter ipsas regni Messiani promissiones divinitus instillata, sed, cum imperfecta adhuc atque subobscura fuisset, novae demum religionis beneficio ad altiorem certitudinis et claritatis gradum evecta, amplius propagata et cum laetissimo salutis sempiternae praesensu sociata, ipsum Servatorem ejusque discipulos pronunciasse ostendimus.

Eum vero in negotio nostro ordinem sequendum ducimus, ut.

primum, quaenam de animorum humanorum immortalitate futuraque post mortem vita *notio atque doctrina,*

quinam hujus *credendae*, *tradendae* et *confirmandae modus* sanioris cujuslibet *philosophiae religionisque rationibus maxime convenire* videatur, praemoneamus;

deinde exploremus, quomodo ad eandem illam notionem atque doctrinam, eundemque ejus credendae, tradendae et confirmandae modum se habuerint variae istae de immortalitate opiniones, quas proximis potissimum ante Christum seculis in *gentilium* nationibus aut vulgo receptas aut a philosophis decretas suisque argumentis ornatas, et, quas inter *Ebraeos* sive antiquitus traditas et oraculis divinis sancitas, sive sequiori aevo a scholis ventilatas reperimus? —

denique, quid, hisce positis, doctrina de animorum immortalitate, sive ipsam notionem illi subjectam, sive fidem ejus faciendam, sive nexum cum summis omnis religionis finibus conciliandum, sive tandem hominum, illa imbuendorum, ambitum spectes, *disciplinae christianae* acceptum referat? ex ipsis ejusdem fontibus repetamus. In quibus omnibus brevitati studere, et summa plerumque (quamvis discrimen quoddam, ut consilii nostri ratio feret, servando) capita tangere, argumenti ubertas justis scriptionis academicae limitibus comparata suadebit.

I.

Quaerentibus nobis

1) eam de animorum immortalitate futuraque post mortem vita *notionem atque doctrinam*, quae philosophiae religionisque rationibus convenientissima haberi queat, amplus in ipso limine campus pateret, ubi in novissima philosophiae religionisque construendae pericula examinanda excurrere possemus. Sed missis, quae alieniora a loco sunt, sumere licebit, immortalitatem animorum, si satisfaciendum sit postulato, ita debere concipi, ut mens humana, quae in ipsa *philosophandi* actione supra omne, quod sensuum est, eminens et altiori cuidam rerum ordini adscripta sibi appareat, intacta rerum externarum vicissitudinibus corporisque interitu pergere cogitetur in operando quae sua sint, immunior magis magisque evasura a sensuum imperio; ut ea, quippe quae in *volendo* agendoque liberam se sentiat

naturae necessitate, absolutaeque voluntatis radium aliquem in se reflexum foveat, naturae impetui nec in ipso fato succumbens, jam, ubi rerum terrenarum vinculis erepta fuerit, eo citius assurrectura judicetur ad perfectiorem usque pure volendi habitum, quo fortiorem per omnem vitam sese praestiterit in repellendis cupidinibus, quas libertati suae et eorum, quae in se bona sint, amplexui infestas deprehendisset; ut denique eadem *per se* nunquam non exstitura *suique* tanquam personae *conscia* mansura *praemiorumque igitur et poenarum*, quales cadere possint in mentem corpore solutam, capax futura ponatur. Quod ipsum tam longe absumus ut pugnare suspicemur

a) cum sanioribus quibusque *philosophandi* principiis, ut potius ultro exinde consequi existimemus. Finitas nimirum quasque naturas ex absoluta, semetipsam intuente atque manifestante, ita oriri, ut in eam tandem, abjectis, quos sui sensus infert, limitibus, redeuntes, eique hoc modo reconciliatae, compleant demum Dei existentiam et manifestationem, eumque τα παντα εν πασιν esse faciant, id equidem rationi, sui muneris memori, non modo non liquere unquam posse persuasum habemus, sed nec arridere. Quod enim (ne altius immittamur in ultima hujus opinionis receptacula) in mentibus creatis locum habere facile concedimus, ut, *esse* quicquam, *cogitare* non possint, nisi posito alio, in quo vim exserat suam, idem in absoluta mente ita se habere, eamque *ipso facto esse* non posse, nisi in mentibus finitis, tanquam in speculis quibusdam, sese repetentem et contemplantem, quas simulac reconciliatas habeat sibi, perfectam sistat sui manifestationem, quis soli *rationi* obsecutus, non intellectualem nescio quem intuendi modum sibi vindicans, contendere ausit[1])? Quis *fieri* simul et *esse* infinitam mentem imaginetur? quod profecto necesse est imaginari eos, quibus ita constitui illius existentia videtur. — An forte verendum fuerit, ne absurdi quid statuamus, et quod *sibimetipsi repugnet*, si animos, corpore solutos,

1) Cf. cel. Schelling, lib. „Philosophie und Religion (Tub. 1804. 8.)" p. 28—30. 39—42. 72 s.; sylloges commentatt. philosoph. T. I. („philos. Schriften, 1 B. Landsh. 1809. 8.") p. 430 ss. 493 s. et alia loca.

conscios sui perduraturos esse sumamus? Ego vero me ignorare lubens confiteor, quibusnam rationibus nostri conscientiam, intimumque illum, quo *iidem* jugiter nobis apparemus, sensum a corporis aut *ullius*, aut *hujus* contactu necessario pendere evinci queat. Quamvis enim facile concedam, personae suae, ut ita loquar, individuae conscium esse posse nonnisi eum, qui eorum, quae prius cogitarit, voluerit egeritque, *memoriam* quandam teneat, ipsam tamen memoriam cum corpore perdi penitus atque aboleri, natura animi, quantum cognita nobis esse potest, certe non persuadet, cum eum ad quaevis percipienda et ad servanda quaevis percepta corporis ope indigere, non tantum experiri nequaquam liceat, sed multa quoque ipsa experientia nobis obveniant, quae potius eundem et in percipiendo et in tenendo percepta a corporis sensuumque indigentia immunem subinde videantur innuere. Quid enim dicamus de abstractioribus quibusque mentis humanae notionibus, quid de ejus, quod bonum pulchrumque in se est, quid de libertatis moralis idea, animo concepta, ab iis, quae sensu corporali ministrante percipimus, longo intervallo remota? Num evanescere ea omnia in animo, sui ipsorum fonte, putemus, nec ullum sui vestigium relinquere demto instrumento, quo rerum externarum sensis et imaginibus in illo copulata et involuta fuerant? [2]) — An opponere fas erit eorum exempla, qui vitae organicae actionibus vehementius turbatis sensum sui omnem, et cum rerum externarum perceptionibus abstractiores quasque et altiores cogitationes amisisse videntur? Itane ex *turbatae* vitae organicae conditione conficere illico liceat, quomodo nexu cum corpore prorsus *sublato* sese habiturus sit animus? an inde, quod mens humana e syncope redux, cogitare se et agere deliquio durante non *meminerit*, eam nil plane tum cogitasse aut egisse colligere? — Ut taceam, si vel maxime detur, ad retinendas quascunque cogitationes prius in animo obvias actionumque ejus memoriam servandam opus esse sentiendi quodam organo, ipsum ejusmodi organon, subtiliora corporis

2) Cf. b. Jerusalem „fortgesetzte Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion, Braunschw. 1792. 8.“ p. 406 s.

stamina complectens, animo in morte vel manere conjunctum, vel conjunctum iri, non sine aliqua veri specie sumi posse. Sed quicquid sit (cavendum enim, ne experientia metiamur, quod omnem experientiam excedit): certe ipsa *conscientiae sui notione* cujusdam cum hoc corpore commercii notionem involvi nemo *probare* poterit, *animorum* vero *immortalitatem* nullam plane ponemus, simulac sui non conscios perennaturos eos esse sumserimus, Quodsi enim animus humanus nihil aliud est, quam id, quod cogitandi, volendi, libere agendi functionibus in ipso homine tanquam principium sui et caussa substernitur, cogitare autem et velle et libere agere, ex ipsa rei natura, non potest, nisi qui conscius sit sui, sponte jam sequitur, non ipsos animos perennaturos esse dicere eum, qui perennaturos, sed missa sui conscientia, largiatur. Et quamvis probe videam, sui conscientiam in mentibus finitis ipsius naturae finitae testem esse, animosque igitur humanos, quos sui conscios mansuros statuerimus, finibus suis negationique cuidam obnoxios nunquam non futuros a nobis statui; at *hanc* immortalitatis formam, si vel in *mortalitatis continuatae* appellationem incurrerit [3]), *unicam* esse video, quae *ipsis mentibus finitis* vindicari queat, eandemque longissime praeferendam duco *aeternitati* illi, quae animis, tanquam ideis divinis, ad unitatem cum infinito tandem redigendis, competere dicitur [4]). Nec sane metui locus erit, ut adoptata immortalitatis, cum perpetua sui conscientia conjunctae, notione, animorum ista a sensuum imperio in cogitando vel volendo immunitas magis magisque aeternum perficienda, quam sanioris philosophiae rationes immortalitati ipsi, ut ab initio monuimus, cogitando sociari jubent, tollatur. Etsi enim animos corpore solutos naturam finitam omnem nunquam exuturos ponas, a *servitute* tamen eorum, quae finita sunt, eosdem, deposito corpore terrestri, exemtos fore, dummodo eximi in hac jam vita serio *voluerint*, credere tanto certius poteris,

3) v. Schelling, Phil. und Rel. p. 69.

4) ibid. p. 71 — 73. coll. philos. Schriften, p. 494. et cel. Schleiermacher in l. „Ueber die Religion. Reden an die Gebildeten unter ihren Verächtern, Ausg. II. Berl. 1806. 8." p. 174 — 176.

quanto magis huic ipsi desiderio satisfacere terrestri materia adhuc involutis contigerit.

Eandem vero, quam constituimus, immortalitatis animorum notionem

b) *religionis* quoque rationibus aptissimam esse, non erit, quod multis demonstratum eamus. Si enim negotium religionis omne in eo proprie positum est, ut et de *ipsa mente suprema dignissime* praecipiat, et *mentem humanam suae cum illa cognationis* magis magisque *consciam compotemque* reddat (quod equidem constare inter omnes putaverim); consilio ejus vix prospici melius poterit, quam animorum immortalitate ita concepta, ut Deus cogitetur animos, ad sublimiora usque in cognoscendo vero volendoque, quod bonum in se est, fastigia emersuros, libera benignae voluntatis vi creasse terrestremque eorum vitam cum futura convenientissime huic fini et sapientissime composuisse; sed liberos creasse eosdem et sua voluntate aut ad similitudinem ipsius evehendos aut continuatae ab ipso defectionis culpam tandem aliquando, quae ejus sit justitia, luituros; non ideas quasdam suas, serius ocius, postquam in iis tanquam ab ipso separatis semet contemplatus fuerit, in se recondendas, ex naturae suae necessitate genuisse, quo posito ipsam mentem supremam nescio cui fato subjicere videremur [5]), summae bonitatis, sapientiae, justitiae notione magno discrimini exposita; animos vero, quos non nisi in idea divina *esse* imaginaremur, omni libertatis suae, qua ipsa supremae naturae consortes sibi videntur, fide, omni culpae et meriti conscientia, omni praemiorum poenarumque post mortem futurarum exspectatione, et ita servandae perficiendaeque cum Deo similitudinis gravissimo fulcro stimuloque orbaremus [6]). Certe quid ad animum, divinae suae originis

5) Cf. cel. Fries lib. „Fichte's und Schelling's neueste Lehren von Gott und der Welt etc. Heidelb. 1807. 8." p. 35 ss.

6) Cf. S. V. Stäudlin „Lehrbuch der Dogmatik u. Dogmengeschichte, III. umgearb. Ausg. Gött. 1809." p. 179 s. et S. V. Süskind, continuatae commentat. „über die Gründe des Glaubens an eine Gottheit" etc. in libri „Magazin für chr. Dogm. und Moral" fasc. XII. (Tub. 1805.) pagg. 118 — 137. Quae ibi de libertate praesertim morali, cum philosophiae Absoluti principiis vix concilianda, uberius monita sunt, novissimo, quem ipse illius philosophiae auctor instituit, libertatis humanae explicandae

naturaeque coelestis sensu erigendum, et constanti fortitudine adversus rerum terrenarum illecebras muniendum valere possit promissum ipsi factum ejusmodi: fore, ut certamine cum eo, quod finitum est, feliciter exantlato plane tandem ab eo omni liberatus cum idea sua coalescat; aut quomodo animus absterreri a malo queat minando, fore, ut deposito corpore in statum, nihilo similem, transeat, id mihi quidem ex ipsa animorum humanorum natura clarum unquam futurum despero.

Sed cum

2) de *modo* etiam, quo, ut philosophiae religionisque rationibus quam fieri possit maxime consulatur, *credenda, tradenda* et *confirmanda* fuerit sanior quaevis de immortalitate doctrina, paucis videre debeamus,

a) non abs re erit observasse, *quo firmius certiusque* nobis de illa animorum post mortem sorte persuasum sit, eo magis non philosophiae solum sed et religionis caussae satisfactum iri. Loquimur de certitudinis genere, quod cadat in rem, ultra omne sensuum testimonium positam. Ejus quidem generis certitudo quanto major insit nostrae, qua futuram animorum ad altiora usque cognitionis, virtutis beatitatisque fastigia evehendorum vitam amplectimur, fidei, tanto nobis plenius constabimus in naturae nostrae et externae finibus caussisque mente comprehendendis, in quo ipso summa cujusque *philosophiae* laus conspicitur; tanto etiam longius aberimus, quod itidem philosophos decet, ut dubia illa, quae intellectus, rerum apparentium specie inductus, immortalitatis doctrinae opponere solet, pluris justo aestimemus. Neque *religionis* practicae rei (est autem omnis practica) obstituram esse immortalitatis recte conceptae cer-

conatu „philos. Untersuchungen über das Wesen der menschlichen Freiheit und die damit verwandten Gegenstände" (in scriptis philosophicis supra laudatis) minime rescissa, sed confirmata potius esse, cuilibet, quem ipsae disciplinae rationes mutatis formulis non effugerint, facile patebit. Quamvis enim (ut verbo rem tangam) ii, in quibus principium malum efficax conspiciatur, *velle* dicantur a centro deficere et voluntatem particularem, universali oppositam, constituere (cf. l. c. p. 438 ss.); at ipse hic malorum nisus a *naturae* divinae voluntate originali, in homine *mentis* participe *summe conspicua*, suspenditur (ibid. et p. 445. 461 s.) ita, ut v. c. Judas, etsi voluntarie, quin plena voluntate utens prodiderit Christum, aliter tamen agendi potestatem nec per se nec per alios habuisse sumendus sit (p. 469.).

tissimam fidem, cum schola Kantiana[7]) timendum unquam erit. Nullo enim modo a nobis impetrare possumus ut credamus, futurorum post mortem praemiorum suppliciorumque exspectationem, vel cum apodictica si fieri possit certitudine conjunctam, eam in animos humanos vim habituram esse, ut ad legem moralem exsequendam coacti, et in automatorum classem rejecti viderentur, cum sensuum illecebrae, a rebus *praesentibus* prodeuntes, motibus iis, quos *invisibilia* et *in longinquo posita*, vivacissime licet praesensa, in animo edunt, vehementer reniti nunquam profecto desiturae sint[8]). Sin periculum esse statuas, ne alterius vitae praemiis poenisque certissima fide apprehensis in ipso agendi principio ac fonte contaminetur virtus humana, et in sincerae probitatis locum externa quaedam legis obedientia sese intrudat, quae ad cognationem cum suprema mente perficiendam intersepiat magis quam muniat iter; equidem id, nisi ipsius hominis culpa, factum unquam iri maxime dubito[9]). Quicunque enim sola poenarum praemiorumque, certissime praevisorum, cogitatione, ad agendi modum legi consentaneum impelleretur, eum, dummodo incertior esset alterius vitae expectatio, ad bene agendum mero boni amore motum unquam futurum fuisse, creditu perquam difficile videtur. Sed idem illud incommodum ne oriri quidem posse persuasum habeo, modo purior ille, quem ponimus, immortalitatis conceptus constanter teneatur. Quemnam scilicet, nisi similitudinis cum Deo magis magisque in se perficiendae cupidum, firmissima quae esse queat spes, fore, ut ista in altiore quodam rerum ordine re ipsa perficiatur, ad legem divinam implendam allexerit? Aut quis, quem mala interna minime omnium movent, solo metu poenarum ma-

---

7) v. Kantii Crit. rat. pract. („II. Aufl. Rig. 1792.") p. 263 ss. S. R. C. C. E. Schmidii philosophiae moralis („II. verm. Aufl. Jen. 1792." p. 293 ss. coll. cel. Fichtii lib. „Versuch einer Kritik aller Offenbarung, II. verm. Ausg. Koenigsb. 1793." p. 166 ss.

8) cf. S. V. Süskind lib. „Bemerkungen über den aus Principien der prakt. Vernunft hergeleiteten Ueberzeugungsgrund von der Möglichkeit und Wirklichkeit einer Offenbarung" observationum *Storrianarum* in philosoph. Kantii de religione doctrinam versioni vernac. (Tub. 1794. 8.) adjecti, p. 166 ss.

9) v. l. c. p. 173 s.

ximam certe partem in impedita sui perfectione, in beatitatis internae defectu, in male factorum acerba conscientia positarum a male faciendo absterrebitur, nedum ad vitam legi perseveranter accommodandam incitabitur? Immo tantum abest, ut immortalitatis recte conceptae firmissima quae potest esse fiducia detrimenti quidquam afferre queat ipsi religioni, ut eo magis potius haec ipsa valeat vigeatque, quo de illa nobis persuasum sit luculentius. Quis, quaesumus, bonitatem, sanctitatem sapientiamque Dei clarius agnoscere constantiusque venerari poterit eo, qui animos humanos ad beatissimam cum illo similitudinem creatos, metae praecelsissimae, modo non desit seria voluntas, magnis aeternum progressibus appropinquaturos, sin ea defuerit, sui ipsorum condemnatores tandem futuros supra omnem dubitationem positum habeat? Quis ejus, quod in semetipso insit, divini, quis libertatis suae moralis, quis potentiae, superatis affectuum cupidinumque fluctibus, ad cognationem cum Deo plene capessendam eluctandi, vividiorem efficacioremque conscientiam servare poterit, quam, cui inconcussa steterit naturae suae immortalis fides?

b) Deinde quod *tradendae* doctrinae de immortalitate modum attinet, convenientissimum sine dubio et philosophiae et religionis rationibus habebimus eum, quo clarissime plenissimeque semper pateat, quam ea vim habeat ad rerum omnium nexum rite concipiendum, ad mentis supremae gloriam agnoscendam, ad humanae naturae dignitatem summosque fines perspiciendos. Et quamvis multum in hac re intersit, *quibusnam* potissimum hominibus, et *quonam* utique *consilio* tradenda veniat immortalitatis doctrina? an iis, qui rebus philosophice disquirendis assueti sint, an vero aliis, qui in communi cogitandi ratione acquiescant? an ipsius disciplinae perficiendae, an usus adjuvandi caussa? — salvo, quod inde enascitur, discrimine, philosophiae et religionis commodo eo magis servietur, quo magis iste, quem dixi, doctrinae nostrae tradendae modus nunquam non praevaleat. Addo, perfectius etiam satisfactum iri utriusque desideriis, si *aliae* quoque philosophiae partes, quae quidem cum ultimo scientiae fine propius cohaerent, *alia-*

que religionis praecepta ita proponantur, ut simul ipsius animorum immortalitatis ratio frequenter habeatur; eo nempe factum iri, ut clarius undique rerum omnium ordinem et complexum perlustrare, et cum religionis summa perennitatis nostrae nulla morte tollendae cogitationem intime copulare discamus.

c) Denique, si quaeras, quomodo *confirmari* potissimum debeat immortalitatis doctrina, ut et philosophiae et religionis rationibus maxime consulatur, universim (cum in singula descendere, hujus loci non sit) constituere licebit, cavendum esse, ne in hoc negotio limitum, intellectui humano scriptorum, obliti videamur; vitanda igitur fore ea argumentandi, ea explicandi et illustrandi genera omnia, quae non nisi ex *incognitis naturae animi recessibus*, sed pro terra cognita sumtis, aut ex incertis quibusdam *experientiae* documentis, multiplices errores imaginationisque praestigias admittentibus, depromi queant. Sic v. c. ex absoluta animorum *simplicitate*, cui ipsi sufficienter demonstrandae rationis nostrae vires impares sunt, eorundem vitam corrumpi nesciam deductum ire; sic definire velle, quaenam proprie sit animorum corpore solutorum *conditio*, qualis *in res externas agendi*, *earumque actiones suscipiendi modus*, quale *cum mundo visibili* hominibusque potissimum in vita terrestri degentibus *commercium?* ne dicam, visionum quarundam narratiunculas, tanquam commentorum ejusmodi firmamenta sat gravia in medium proferre, et ex his ipsis doctrinae de immortalitate distinctius cogitandae firmiusque credendae praesidium petere, alienum esse patet a sanioris philosophiae religionisque studio. Ipsa enim animi, tanquam οντως οντος, natura cum cognitionem nostram necessario effugiat, *inde* de ejus post mortem conditione etc. quidquam divinare nunquam certe fas erit. Et cum ne id quidem, *posse* hominem, in hoc rerum ordine viventem, eorum quidquam, quae ad futurum ordinem pertinent, experiendo intuendove, nisi forte miraculum intercedat, attingere, indubie satis demonstrari queat, ipsa potius experientiae humanae ratio omnis ad hanc, qua undique cincti simus, vitae scenam restricta atque composita videatur; cum eadem,

hac ipsa ex caussa, sensorum inprimis actionumve humanarum, quae absque hujus corporis organis procedant, clariorem conceptum nunquam nobis permittat; cum denique in rerum alterius vitae, quae feruntur, visionibus tanta phantasiae mentitis imaginibus deceptae, tanta labentis memoriae, tanta adeo variae fraudis consulto adhibitae vis, clamante historia, conspiciatur; in confirmanda immortalitatis doctrina accommodate ad cognoscendi facultatem hominibus concessam nonnisi is versabitur, qui missas fecerit omnes istas, de quibus gloriari quidam solent, mundi invisibilis intuendi vias, nec animorum post mortem conditionem, eorumque et percipiendi et agendi modum ad latum unguem describere aliis atque explicare ausus fuerit [10]). Sed idem *religioni* ipsi omnium maxime providebit. Tam longe enim aberit, ut sublimem illam immortalitatis cogitationem, qua religionis fides ac sensus ali excitarique debebat, in otiosae argutiae exercitium, aut in vanae curiositatis luxuriantisque phantasiae ludum aliquem convertat, ut potius, quod illi ad mentis supremae magnitudinem vividius agnoscendam et ad similitudinem cum illa constantius appetendam momentum inest gravissimum, religiose custodiat adjuvetque.

Sed ut propius jam accedamus ad id, in quo tractationis nostrae summa vertitur,

II.

inquirendum brevibus erit, quid de illa immortalitatis doctrina atque fide, quam et in *gentilium* populis et in *Ebraeorum* natione proximo praesertim ante Christum aevo locum habuisse compertum est, positis, quae hactenus disputavimus, judicari oporteat? Quod igitur

A) ad antiquos *gentilium populos* attinet, vix probari poterit, vel unum eorum fuisse, qui *omni* immortalitatis aut vitae alterius per longam saltem annorum seriem continuandae [11]) cogitatione atque exspectatione careret; multis

10) cf. quae de his rebus monuit ampliss. Abel in disquis. omnium tam pro immortalitate quam pro mortalitate animi argumentandi generum parte I. (Tub. 1792.) p. 3 — 11.

11) Cf. S. R. Knapp in commentat. super origine opinionis de immortalitate animorum apud nationes barbaras atque a cultu veri Dei alienas,

contra veterum testimoniis evictum est, quantus in ea fovenda gentium a se cognitarum consensus exstiterit [12]); immo in hoc ipso consensu, cum accedat recentiorum quoque nationum, earum adeo, quae ex bruta barbarie vix emersae sunt, tantum non omnium suffragium, immortalitatis probandae singulare argumentum quaesitum fuit [13]). Quemadmodum vero hujus consensus *caussam* nemo quaeret in eo, quod vel de animi humani natura rerum corporearum interitui non obnoxia, vel de creatoris consiliis, nonnisi animorum immortalitate exequendis, vel de lege morali, nisi mentes morales post mortem perennaturae sint, sibi ipsi non constante ab antiquissimis inde temporibus inter omnes illas nationes hominesque convenerit [14]); cum illa potius ponenda sit in vehementiore quodam absoluti interitus horrore, hominibus communi, in summa vitam ipsam in nihilum redactam imaginandi difficultate, in somniis quibusdam aliisque phantasiae visionibus [15]), in cognatorum, aut heroum patriaeque patrum, morte abreptorum, desiderio et cultu, denique in auctoritate majorum; ita

1) eam immortalitatis notionem atque fidem, qua *vulgus* inter gentes gaudebat, originis suae notas satis apertas traxisse, quomodo inexspectatum videri queat? Cui mirari subeat,

a) *quanto minus culti fuerint populi,* quanto minus in rebus sensus excedentibus cogitandis et moribus potissimum regundis exercitati, tanto rudiorem etiam et crassiorem fuisse vitae futurae in vulgus dominantem notionem; tanto magis obscuratam phantasiae traditionisque monstrosissi-

---

Hal. 1790. (recusa etiam in ejusd. scriptis varii argumenti, max. partem exegetici, Hal. 1805. 8.) p. 3 s. not.

12) Ex iis, qui ad hoc demonstrandum operam suam impenderunt, nominasse sufficiat Joach. Oporinum (in Historia critica doctrinae de immortalitate mortalium, Hamb. 1735. 8. Cap. I.), Illustrem Meiners (in l. „allg. Krit. Geschichte der Religionen, Bd. II. Hannov. 1807." p. 750 ss.) et Ven. Flügge (in l. „Geschichte des Glaubens an Unsterblichkeit, Gericht und Vergeltung, Bd. I. II. Leipz. 1794. 1795. 8.").

13) Argumentum istud, de quo ipse jam *Cicero* cogitavit (Tusc. Quaest. l. I. c. 16. Opp. ed. Bip. T. X. p. 374 s.), praeter alios non inepte exposuit G. Sherlock de l' immortalité de l' ame et de la vie éternelle, tradu. de l'anglois, Amst. 1708 8. Ch. II. Sect. 3.

14) Cf. Knapp in comm. laud. p. 5 ss. 10.

15) cf. ibid. p. 16 ss.

mis quibusque figmentis; tanto remotiorem a confirmanda sublimioris hominum naturae conscientia, bonique studio excitando et augendo; tanto debiliorem, dubiisque fortuito oblatis citius labefaciendam ejusdem exspectationem; tanto illius opinionis tradendae modum a summis religionis finibus respiciendis alieniorem? Ita α) plurimae illarum gentium, quamvis de futura post mortem vita persuasae, de praemiis tamen aut poenis, prout quisque in hac vita meritus fuerit, ex aequo distribuendis, diu ne cogitasse quidem videntur. Pauca quidem sunt et admodum tenuia, quae de gentium coaevarum aut antiquiorum, artium disciplinarumque cultu vel prorsus vel propemodum destitutarum opinionibus, tum ad religionem universam tum ad vitam praesertim futuram spectantibus, auctores veteres nobis tradidere. At vero rem non aliter quam modo diximus sese habere, non ex eo tantum, quod de novi orbis nationibus in inferiore quodam culturae gradu constitutis compertum habemus, per analogiam colligere, sed ex ipsis veterum, quae ad nostra usque tempora pervenerunt, raris licet mancisque testimoniis intelligere possumus. Recentioris nimirum orbis gentes barbarae haud paucae, sive *deteriorem* vitae post mortem instantis conditionem fingant [16]), sive *mixtam*, qualem ante mortem, ex prospera et adversa fortuna [17]), sive *meliorem* [18]), *omnibus certe mortuis* illam, qualiscunque demum futura sit, *communem* fore somniant [19]). Aliae, quamvis, amplius aliquantum in cogitando progressae, *discrimen* quoddam in alterius vitae conditione futurum, separatasque felicium et infelicium sedes fingant, illas tamen aut solis principibus attribuunt, et, qui per hanc vitam poten-

16) Ut v. c. nonnullae *Siberiorum* gentilium nationes, teste Georgi in „Beschreibung der Nationen des Russischen Reiches, Petersb. 1776. 4." p. 382 s. cf. cel. Meiners l. c. p. 778.

17) Cf. quae ex l. *Georgiani* „Bemerkungen einer Reise im Russ. Reich, Bd. II. 1770. 4." p. 840—49. de *Tscheremissis* memorat b. Drück in l. „Erdbeschr. v. Asien, Th. I. Stuttg. 1785. 8." p. 243.

18) Velut plurimi ex populis barbaris oram Africanam, *Nigrorum* nomine, incolentibus, narrante Bruce, in „Travels to discover the source of the Nile, T. III. Eding. 1790. 4." p. 242. (Meiners l. c. p. 765.), *Americae* et septentrionalis et meridionalis gentes ferae (cf. Meiners l. c. ex *Charlevoix*, *Oldendorpio* aliisque) etc.

19) conf. ll. cc.

tes felicesque fuerint, plebis animis in bestias migraturis vel plane perituris [20]), aut, quod propius adhuc accedit ad fortunae juste olim repensurae cogitationem, egenis abundantiam rerum omnium, divitibus paupertatem a vita post mortem instante retribuendam annunciant [21]). Aliae porro, morali vitae futurae contemplandae rationi uno iterum gradu propiores, sed in eo, quod rectum pravumve sit, aestimando coecutientes hominumque barbarorum morem tenentes, cum e. c., ut verbis S. R. KNAPPII [22]) utar, in ferocia et fortitudine bellica summae virtutis laudem ponant, ac praeter ignaviam et timiditatem nihil habeant, quod turpe judicent ac vitiis adnumerent, fortibus tantum viris praemia, ignavis vero supplicia apud inferos decernunt [23]). Sed pari modo et *nostrae ipsius gentis* majores ethnici, quibus omnem immortalitatis fidem abjudicare iniquum esset [24]), si praemiorum quoque et suppliciorum futurorum quandam expectationem foverunt [25]), at certe a sola fortitudine, quae una illis virtus videbatur [26]), vel ab ignavia ea dependere arbitrati sunt, similes in eo cognatis *Scandinaviorum Caledonumque* gentibus, quas *heroibus* suis Walhallam nubiumque aedem peculiarem vindicasse, dubio caret [27]). Ita veteres *Galli*, quibus Druides, non interire animas, virtu-

---

20) Ut terrarum *australium* incolae, *Otahitii* inprimis, indicante FORSTERO in l. „Bemerkungen auf seiner Reise um die Welt, Berl. 1783. 8." p. 480., aliique incultiores populi in America (cf. MEINERS, l. c. p. 772. not.).

21) Ut *Kamtschadales*, teste STELLERO in l. „Beschreibung von Kamtschatka, Frankf. u. Leipz. 1774. 8." loco, quem S. R. KNAPP in comment. laudata enotavit.

22) l. c. p. 11.

23) Ut *Brasiliani*, ap. MARCGRAVIUM (de Brasiliae regione et incolis, Amst. 1658. fol. p. 19.) aliosque, a celeb. MEINERS l. c. p. 771. laudatos.

24) Qua eos non plane caruisse, vel tritissimus ille *Taciti* locus innuit, quo clarorum Germanorum rogo eorundem *arma*, quorundam igni et *equum* adjici; monumentorum arduum et operosum honorem, *ut gravem defunctis*, aspernari gentem perhibet (de moribus Germ. c. 27. Opp. ed. *Ernesti* T. II. p. 441.).

25) Quod secus videtur Ven. RÜHS „über Religion, Mythologie und Cultur der Germanen," in S. R. STÄUDLIN „Magazin für Relig. Mor. u. Kirchengesch. I. Bd. 2. St. Hannov. 1801." p. 310.

26) cf. *Tacitum*, lib. laud. c. 11. p. 423 s.

27) Universim provocare liceat tum ad *Eddam*, et Max. Ven. GRAETERI in eam ipsam, aliaque populorum Europae septentrionalium monumenta lucubrationes; tum ad *Ossiani* carmina, quae cuiuscunque originis habeantur, vetustis tamen quibusdam Caledonum poëmatibus innuiti existimanda sunt.

tis bellicae excitandae caussa, persuadebant, nihil, quantum memoriae proditum est, de virtutis vitiorumque futura compensatione addentes; sive illi animarum perennitati futuram aliquam μετεμψυχωσιν cogitando adjunxerint (quod ex quibusdam veterum locis non sine veri specie elicitur) sive secus [28]). Ita (ne gentium Orientalium plane videar oblitus esse) *Arabes*, Muhamede antiquiores, quos vitae et mortis alterius resurrectionisque aut ignotae aut contemtae non pauca Corani loca incusant [29]), si non omni animorum post mortem superstitum fide caruerunt, at certe judicii cujusdam in altera vita exspectandi *maximam partem* ignaros immemoresve fuisse fatendum erit. Quid? quod ipsi, qui postea ingenii cultura omnium populorum clarissimi exstitere, *Graeci*, *Homeri* adhuc atque *Hesiodi* aetate proborum et improborum umbras in Orco promiscue versari crediderunt, Tartaro suo non homines improbos, sed Titanes et Gigantes, sedibus beatis non probos quosque, sed heroas *diis satos* adscribentes, pauca vero admodum crimina a furiis sub terra vindicanda relinquentes; paullatim demum, emergente ad honesti pravique discrimen rectius sentiendum singulorum ratione, mythis illis novas melioresque de futuris hominum bonorum praemiis, malorum suppliciis opiniones involuturi [30]), in quo poëtas maxime et legum latores, postea philosophos duces nanciscebantur. Sed β) quam indignae simul fuerint incultiorum quarumque gentium *de vitae alterius universa conditione* imagines, quam ab ipsius animi immortalis natura alienae, demonstrare superfluum fuerit. Quemadmodum enim recentioris orbis nationes bar-

---

28) v. *Jul. Caesaris* de bello Gall. l. VI. c. 14. ed. b. *Mori*, Lips. 1780. p. 199. s. et quae ibi allegata sunt, *Lucani*, *Diodori Siculi*, *Strabonis*, *Pomponii Melae* aliorumque loca parallela. — J. Caesaris verba: „non interire animas, sed ab aliis post mortem transferri ad alios," maxime ubi *Diodori Siculi* locum (l. V. 28. Opp. ed. *Wessel*. T. I. p. 352.) contuleris, vix in aliam rationem interpretari poteris, nisi in eam, ut animos, postquam aliquandiu apud inferos vivere perrexerint, in aliud quoddam corpus migraturos credidisse perhibeantur Galli. Sed eam quidem μετεμψυχωσιν cum futura eorum, quae quisque in vita meruit, compensatione nil commune habuisse apparet. cf. b. Morum ad *Caesaris* l. c.

29) Plura eorum jam collegit J. H. Hottinger in Hist. orient. p. 158 s. — Ceterum conferri velim dicenda not. 36.

30) v. S. R. Knapp, l. c. p. 13 s.

barae animos (quos, licet subtiliores corpore suo, materiae tamen expertes nequaquam fingunt) vel separatim a corpore, vel in suum, vel denique in alienum quoddam corpus regressos *vitam anteactae plane similem* victuros post mortem imaginantur, negotia ante gesta repetituros, consueta jucunditatum aut calamitatum genera experturos [31]); ita antiquos quoque rudiores populos futurae vitae conditionem omnem ex praesentis ratione mensos fuisse certissimum est. Cui non in mentem veniant ipsi *Germani,* heroibus suis arma equumque, quibus assueti in vita fuerint, deesse post mortem nolentes [32])? Cui non *Galli,* pecunias mutuas, quae sibi apud inferos redderentur, dare soliti [33])? cum mortuis suis cremantes ac defodientes apta viventibus olim negotiorumque terrestrium rationem omnem ad inferos deferentes, immo ipsorum animorum in eandem, quam reliquerant, terrae scenam reditu olim futuro laetantes [34])? Cui non *Scandinavii,* qui defunctos heroas in Walhalla proeliantes, venantes, potantes, sicut in vita, praedicavere [35])? Cui non illi ex vetustioribus *Arabibus,* quos sanius quam populares ceteros sentientes, *resurrectionem judiciumque* olim futura credidisse ex *Abulpharagii* aliorumque scriptorum Arabicorum, immo ipsius Corani quibusdam locis recte colligitur [36])?

---

31) Vid. quae de *feris Americae meridionalis* incolis ex *Charlevoix* et *Ulloa* attulit cel. Meiners, l. c. p. 762.

32) Cf. *Taciti* locum, not. 24. laud.

33) Cf. *Valerii Maximi* Memorabb. l. II. c. 6. §. 10. et *Pompon. Melae* de situ orbis l. III. c. 2.

34) Cf. *Pomp. Melae* l. c. et *J. Caesaris* de Bello Gallico l. VI. c. 21. coll. not. 28.

35) Cf. *Eddae* loca permulta, a Ven. Flügge lib. cit. T. II. p. 71 ss. allata.

36) Cf. quae post Pocockium (in spec. Hist. Arab. p. 134. s.) diligentissime annotavit S. R. Pareau Commentat. de immortalitatis ac vitae futurae notitiis ab antiquissimo Jobi scriptore in suos usus adhibitis (Daventr. 1807. 8) p. 21 ss. Quamvis in eo virum doctissimum sequi vix posse mihi videar, quod corporis in vitam revocandi spem per Judaeos vel per Christianos ipsos in Arabiam illatam et ab idolorum cultoribus receptam fuisse, sumi posse neget. Quod enim spei illi apud Arabes perpetuo adhaesit ruditatis cujusdam indicium, idem *summae* antiquitatis indicium esse (v. p. 23) nescio unde probari queat; neque intelligo, quid vetet, ne principes illos, quos carmen in Arabia felici super marmoribus arcium dirutarum cum altero aliquo inventum (apud A. Schultensium in Monum. Vetust. Arab. p. 68) „*divinas religionis Hudi leges* subditis *sanxisse*, *miraculorumque et resurrectionis et vitae futurae fidem fecisse*" laudat, *Judaeos* fuisse arbitremur, cum sub Joctanidarum dynastia inde ab uno circiter et dimidio ante aeram Christia-

Eosdem enim non coelestem aliquam vitam, ad quam renascendi sint, sed *terrestrem* potius sperasse, ut ex compluribus aliis indiciis minime ambiguis, ita ex eo maxime intelligitur, quod camelo ad tumulum suum sive mactato sive alligato donec morerentur, cavere volebant, ne, quando reviviscerent, jumento carerent, quo veherentur[37]); ipsum vero animum, corpore solutum, vel prorsus nihil sentire et agere posse, vel vitam certe minime vitalem ducere eosdem statuisse, non minus compertum est[38]). Cui non antiquiores *Graeci Romanique*, qui de animis, ad inferos collectis, propria cuique vitae praesentis studia nogotiaque continuaturis consenserunt[39]), et, postquam de bonorum in Elysio praemiis, malorum in Tartaro poenis cogitare didicerant, utrorumque crassissimas sibi finxerunt et ad sensus corporeos accommodatissimas imagines[40])? Haec vero omnia γ) quam aliena fuerint ab animis humanis, sublimioris naturae suae sensu vivaciore implendis et ad servandum

---

nam seculo complures Arabiae felicis principes religionis Judaicae asseclus fuisse constet (cf. „Allg. Lit. Zeitung, Halle, 1808." Nr. 265), Arabesque ipsos, dum ad Aditarum aetatem carmina ista retulerunt, solennem sibi morem, antiquiora quaevis Aditarum temporibus assignandi, secutos haberi posse, vir doctissimus non inficias eat; cum denique, quemcunque aevi antiquissimi vatem sub *Hudi* nomine (quo ceterum *Judaeum* aliquem significari parum a vero abhorret) quaesiveris, ipse certe, de quo quaeritur, carminis locus longe absit, ut *Hudi religioni*, *nedum Hudo ipsi* resurrectionis et futurae vitae doctrinam claris verbis attribuat.

37) Cf. Pareau l. c. p. 23. et Abulpharagii (in Historia Dynast. ed. Pocock. p. 161) ipsiusque Pocockii ex *Sharestane* referentis locum (in spec. hist. Arab. p. 135) ab illo laudatum, coll. p. 28 s.

38) Cf. Pareau l. c. p. 30 ss.

39) Suffiiciat, in memoriam revocasse illustrem *Virgilii* locum (ubi, ut alibi frequentissime, Graecorum μυθους populares sequitur) Aen. l. VI. v. 653 — 55:

„ — — — Quae gratia currûm
„Armorumque fuit vivis, quae cura nitentes
„Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos" —

et *Homeri* Odyss. l. XI. v. 481 ss., ubi Ulysses inducitur Achilli inter manes gratulans, quod, *cum in vita honoratus ab Argivis fuerit dei instar*, jam *rursus late imperet* mortuis; Achilles contra respondisse fingitur:

„Μη δη μοι θανατον γε παραυδα, φαιδιμ' Οδυσσευ·
„Βουλοιμην κ' επαρουρος εων θητευεμεν αλλῳ
„Ανδρι παρ' ακληρῳ, ῳ μη βιοτος πολυς ειη,
„Η πασιν νεκυεσσι καταφθιμενοισιν ανασσειν."

add. Gibbon in l. „Geschichte des Verfalls und Untergangs des Röm. Reichs, aus dem Engl. von Schreiter" cap. 15. (T. III. p. 159 s.).

40) cf. *Virgilium* l. c. v. 580 — 605.

perficiendumque illud, quod sibi insit, divinum excitandis, quam vero etiam incerta atque lubrica, non est quod moneamus.

b) Nec, postquam ad altiora in ingenio artibus scientiisque excolendo fastigia evectae erant gentes ethnicae, multo melius iis, si vulgus quidem spectes, consultum fuisse videbitur. Quod enim

α) ad eos antiqui orbis populos attinet, quorum de vita altera opiniones antiquissimas memoria accepimus, fieri non potuit, quin ipsae illae crudiores opiniones, tum antiquitatis nimbo effulgentes, tum maxime commendabiles hominibus in cogitando volendoque ad sensuum obsequium pronis, tenere perrexerint vulgi animos; praesertim cum omnis religio publica, sacris quibusdam de Deorum natura et vitae genere valde humano fabulis innitens, ad animum supra sensus efferendum internamque religionem accendendam parum composita, *reipublicae* tantum consiliis ab imperantibus plerumque accommodata, eorumque caussa protecta fuerit. Ita civitatum Graecarum et Romanae vulgus mythicis de immortalitate doctrinis, Cocyti et Charontis, Cerberi Furiarumque, Aeaci ac Rhadamanthi horroribus, deliciarum Elysiarum, terrestribus similium, desiderio subtimido adstrictum mansit [41]); dum scilicet confideret sacerdotum poëtarumque auctoritate, qua excepta ad exspectandam vitam alteram, pro hujus meritis repensuram, praesidium nullum habebat. Quod quam imbecillum fuerit, ipso facto apparuit, cum religionum publicarum sanctitas vergente aetate collaberetur, sophistarumque dubia in multitudinis animos emanarent. Tum enim non defuerunt in ipsa plebe, qui, sagacioris aliquantum ingenii laudem appetentes, cum vetustis de Tartaro Elysioque fabulis et omnem post fata vitam, omnemque de bene aut male factis rationem olim reddendam riderent [42]). Verum enim vero ut validissimum fuisset vi-

---

41) cf. *Platonem* de republ. l. I. ed. Opp. Bip. T. VI. p. 153. et *Lucianum* locis haud paucis, praesertim vero in libello de luctu, Opp. ed. Bipont. Vol. VII. p. 206 ss.

42) cf. *Platonem* in Phaed. Opp. T. I. p. 188. et *Ciceronem* in Tusc. Quaest. l. I. c. 5. 6. (Opp. ed Bip. T. X. p. 374 s.) add. Gibbon l. c.; quamvis nimius in eo videatur auctor ingeniosissimus, quod *vulgarem* inter recen-

tae futurae praemiorumque et suppliciorum olim exspectandorum praesidium, in antiqua reipublicae religione positum, quam parum in hac ipsa fide momenti inesse poterat ad bene volendum et agendum, religionisque interioris sensum alendum, cum aut praemia aut poenae a Diis dependere sumerentur, quos sacrificia et munera oblata corrumpere, quos partium studium vario modo movere, quos artes magicae ad ignoscendum cogere possent? cum praeterea certa tantum quaedam vitiorum scelerumve genera, civitati infestissima, apud inferos vindicanda, certa quaedam bene merendi genera praemiis quondam ornanda crederentur, non animi omnis, ad similitudinem cum sanctissima mente aspirantis, aut ab eo consilio alieni rationem habitum iri poneretur [43]); cum denique a tradendis religionis publicae, quae ad exterorum Deorum cultum omnis spectavit, ceteris praeceptis futurae vitae mentio plane exularet?

In reliquis gentibus, quarum antiquissima de animorum immortalitate rudimenta quodammodo cognita habemus, quid, postquam cultiores evaserant, publica ejus rei doctrina atque fides profecerit, quaerere hujus loci non est, cum illae ex infantia sua nonnisi post ortam disciplinam christianam, immo hac ipsa manibus ducente paullatim adoleverint. Sed

β) ne eas praetereamus, quas, cum primum in historiae theatro prodeunt, adultas jamjam et ad ingeniorum morumque quandam culturam elatas conspicamur,

ℵ) omnium primi spectandi erunt *Aegyptii*, multiplici sapientiae nomine e priscis populis maxime clari, quin sub ipsa omnis historiae incunabula variis artibus legibusque expoliti, quod vel ex Patriarcharum Mosisque vitis intelligitur. Dolendum vero est, cum omnem eorum religionem ac

tiores Romanos fuisse vitae alterius aut inscitiam aut contemtum, ex *Horatio*, *Juvenali*, *Persio* adstruere satagat.

43) cf. *Virgilii* locum not. 39. laudatum, qui quamvis ibi adhibitus a nobis sit ad *antiquiores* Graecorum Romanorumque de conditione animorum post mortem opiniones illustrandas, nihilominus etiam eas, quae *ipsa Virgilii aetate* adhuc valebant, exprimere putandus erit; nemo enim facile sibi persuadebit, usurum fuisse Virgilium Graecorum veterum descriptionibus, nisi eas placituras speraverit seculi sui ingeniis.

philosophiam accuratius certiusque describere multas ob caussas difficillimum sit, magnis potissimum difficultatibus premi eum, qui, quaenam de immortalitate placita ad vulgarem publicamque gentis Aegyptiacae doctrinam, quaenam ad sacerdotum mysteria disciplinamque philosophicam pertineant, distinguere gestiat. Quamvis enim admodum multa sint, quae de Aegyptiorum philosophia et religione Graeci scriptores, inde ab ipso historicorum patre Herodoto, narraverint, discernere tamen, quae vulgi, quae philosophorum sacerdotumve fuerint, plerumque illi neglexerunt. Pauca igitur erunt, in quibus acquiescere jubebit modestia historica vulgarem Aegyptiorum de conditione hominis post mortem instante opinionem investigaturos. Omnium vero confidentissime huc referri poterunt ea, quae ipsis populi ritibus atque institutis publicis sacrata et palam facta fuerint. Quod si ita sit, dubitare vix licebit, *communis* certe cujusdam *mortuorum sub terram receptaculi* imaginem, quae ubi adest, nec futurae vitae aliqua fides longe abesse putanda erit, antiquissimis temporibus infixam fuisse Aegyptiorum vulgo. Eo enim[44]) spectat mos ille, quem solennem iis a vetustissima aetate fuisse novimus[45]), in montium cavernis mortuos sepeliendi, collatus cum ipso veterum auctorum testimonio, qui defunctorum sepulcra domos sempiternas appellata ab Aegyptiis docent, quod defuncti apud inferos (ἐν ᾅδου) infinitum aevum peragant[46]), aut de diis Aegyptiorum, quos inferis praeficiant, loquuntur[47]), aut ipsum, quod inferorum receptaculo Aegyptii indiderint, nomen, Amenthen, memorant[48]). Nec superstitis post mortem animorum vitae plane inconscios suspicari potueris

44) cf. not. 50.

45) Testantur eum multa, quae nunc supersunt, magnifica atque spatiosa sepulcra in Thebaidos montibus excavata, descripta a Baucio in itiner. Abyss. supra laud. T. I. c. 6.; sepulcra illa inprimis antiquissimorum Thebaidos regum circiter XL, quae *Strabo* jam (Geogr. l. XVII. ed. *Xylandri*, Bas. 1571. fol. p. 943) et *Diodorus Siculus* Bibl. l. I. C. 46. ed. *Wesseling*. T. I. p. 56. admirati sunt, ut taceam *Pyramidas*, quas item regibus sepeliendis exstructus fuisse veri non dissimiliter conjicitur (cf. *Strabo*, l. c. p. 935). v. S. R. Pareau Comment. laud. p. 48.

46) v. *Diodor. Sic.* l. I. c. 51. p. 60 s.

47) *Herodot.* Hist. l. II. c. 123. Opp. ed. *Borheck*, T. I. p. 195.

48) *Plutarchus* de Is. et Osir. c. 29. Opp. ed. *Hutten*, T. IX. p. 142.

eos, qui, ut Aegyptii jam ante Jacobi Patriarchae mortem soliti erant, maximam in mortuorum corporibus condiendis et in sera secula a putredine defendendis operam adhibent [49]). Ubicunque enim hanc consuetudinem obtinentem viderimus, ipsam simul ejus caussam deprehendemus sitam esse in opinionibus, cum cogitatione continuandae post mortem animorum vitae qualicunque modo sociatis [50]). Accessit [51]) posteriori aevo [52]) *praemiorum quoque et suppliciorum* post hanc vitam instantium fides, *praeparata*, ut videtur, celebri illo, quod omnibus defunctis ante sepulturam subeundum erat, judicio populari [53]). Sed quas ea sibi adjun-

---

49) cf. Gen. L, 1 s.

50) cf. cel. Meiners l. c. p. 721 ss. Apud ipsos vero Aegyptios et hujus moris et conjunctae cum eo sepulcrorum firmissime exstruendorum consuetudinis caussam in eo sitam fuisse, quod *animorum in prisca corpora reditum* post longos temporum decursus futurum credidissent, mihi quidem, quicquid doctissimus Pareau ad ejus rei fidem faciendam proferat (p. 68 ss.), non satis exploratum est. Quod enim huic sententiae dubium opposuit Mosheimius (in diss. „qua docetur, Jesum Christum resurrectionem mortuorum corporum ex tenebris in lucem provocasse", ins. dissert. ad H. E. pertinentium Vol. II. p. 651), Aegyptios cadavera minime integra, sed melioribus partibus suis spoliata servasse, iis, quae l. c. p. 75. s observata sunt, non satis dilutum videtur; nec firmiora putaverim esse, quae (p. 78 — 85) de *Democrito* novae vitae per corporis condituram praeparandae notionem (*Plin.* H. N. l. VII. c. 55) fortasse ab Aegyptiis nacto, vel de inferorum denominatione Aegyptiaca, ex *Plutarchi* interpretamento (cf. l. not. 48. allatum) animorum ab inferis in corpora pristina reditum innuente, adduntur. Mirando contra locus esset, qui factum, ut et *Diodorus Siculus*, et alii Graecorum scriptores, inter ea omnia, quae de Aegyptiorum in sepeliendo ritibus etc. memoriae tradiderunt, ipsam, quae dicitur, eorum rituum *caussam in vulgus notam* silentio praeterierint. Quicquid statuas (nolumus enim longius huic rei indagandae inhaerere); cum Aegyptii *nonnisi terrestrem* vitam corporibus *bene asservatis* aliquando restituendam somniasse sumi possint, publicae eorum de immortalitate disciplinae parum inde aut honoris aut contemtus accedet.

51) Teste *Diodoro Siculo* l. I. c. 96. p. 107 s. ubi sacerdotes Aegyptios ex sacrorum librorum commentariis referre perhibet, „advenisse ad sese Orpheum, totamque de iis quae apud inferos peragantur fabulam inde secum deportasse, atque *impiorum poenas amoenosque piorum campos*, ut et reliqua imaginum figmenta, quae apud vulgus recepta essent, introduxisse, quo consilio imitatus sit ritus funebres in Aegypto usitatos."

52) Hanc de praemiis suppliciisque mortuos manentibus opinionem seriori multo aetate ab Aegyptiis adoptatam esse, non absque multa veri specie colligitur inde, quod *Orpheus*, si ipsam in Aegypto regnantem invenisset, in Graeciam eandem sine dubio introducturus fuisset et adhibiturus; quod secus esse, *Homeri Hesiodique*, tribus circiter seculis *Orpheo* minorum, altum de tali in Orco discrimine silentium arguit. Eodem collineat Ebraeorum quoque, ex Aegypto advenarum, de inferis sententia, cf. Pareau p. 51 ss.

53) Equidem nempe non ausim assentire doctiss. Pareau (p. 41. 54 s. 62 s.) conjicienti, ritus funebres in Aegypto usitatos hanc habuisse rationem

ctas habuerit de felicitatis miseriaeque futurae ratione imagines ineptas et a summo animorum immortalium fine alienas, quam parum ea accommodata fuerit ad internae religionis sensus erigendos atque confirmandos, quam caduco denique et sagacioribus quibusque hominibus suspecto fundamine nixa, id quidem neminem fugiet, qui ex principe in hac caussa *Diodori* loco (not. 51. allato) ipsam illam fidem arctissimo vinculo copulatam fuisse meminit *cum omni de iis, quae apud inferos gerantur, fabula*, reliquisque, quae apud vulgus recepta essent, imaginum figmentis; qui astrorum, quid dicam? animalium cultum, vulgo Aegyptiaco solemnem, recordatur; qui hujus de vita post mortem, praemia poenasque distributura, persuasionem tantum non omnem suspensam fuisse cogitat tum a phantasiae lusibus, tum ab auctoritate sacerdotum (tremendi vel regibus ordinis, et in republica regenda valentissimi), qui tamen ea omnia, tanquam fabellas, vulgo relinquendas, riserunt[54]), suamque tenuerunt de rebus divinis et humanis disciplinam εσωτερικην.

Ad quam ipsam referre cum S. R. PAREAU[55]) non dubitaverim doctrinam de μετεμψυχωσει, Aegyptiis a priscis auctoribus tributam[56]). Etsi enim plerumque ita

in vulgi opinione, ut per solennem quandam judicii de mortuo formam *aliqua veluti effigies poenarum ac praemiorum, quae feruntur apud inferos, poneretur in conspectu viventium*, immo, cum ipso illo judicio conjunctam jam fuisse incommodi cujusdam, improbos ad Orcum comitantis, cogitationem, cum imaginatum esse videatur Aegyptiorum vulgus, illis, qui indigni honesta sepultura in judicio sisterentur, inhaerere aliquam non delendam et in ipso corporis simulacro omnibus manibus conspicuam notam istius infamiae etc. Omnem potius improborum poenam positam fuisse in ipsa sepulturae honestae jactura, praemium omne in honore, qui in mortuos conferretur corporibus eorum magnifice sepeliundis, et, quae praeclare fecerint vivi, publice praedicandis; id satis patere puto ex ipsa *Diodori* de mortuorum judicio narratione l. I. c. 92. p. 102 ss., coll. c. 72. p. 84. Attamen eo propius accessit haec ratio ad praemiorum suppliciorumque post mortem manentium concipiendam exspectationem, cum et judicium de *mortuis* ab hominibus habendum parvo intervallo abesset a judicii *divini* in iisdem exequendi notione, et sepulcra publica, proborum corporibus aperta, proprii cujusdam proborum *animis* receptaculi imaginem arcesserent, „ὡς του τετελευτηκοτος τον σωμα διατριβειν μελλοντος καθ' ᾅδου μετα των ευσεβων" (*Diodor.* p. 103).

54) cf. *Diodori Sic.* locum not. 51. excerptum.

55) l. c. p. 43 ss. Non abnuit S. R. HORN, in l. „über die bibl. Gnosis, Hannov. 1805. 8." p. 309 ss. quamvis publicatam postea interiorem de religione philosophiam a sacerdotibus sumat, idoneis argumentis destitutus.

56) *Diodoro Siculo* l. I. c. 98. ab in. p. 110. *Plutarcho* de Is. et Os.

loquantur isti scriptores, ut transmigrationis animorum opinionem omnibus promiscue Aegyptiis adscripsisse videri queant, perpendendum tamen erit, primum, cum ea de conditione animorum post mortem sententia, quam vulgarem fuisse genti Aegyptiacae certo constat, et cum ritibus ejusdem funebribus conciliari aut inde oriri vix potuisse animorum a corporibus aliis ad alia migrantium cogitationem, deinde vero, esse quaedam auctorum, de quibus agitur, loca, quae hanc opinionem *sacerdotum philosophiae* propriam non obscure vindicent [57]). Ita non plane satisfacere poterunt, quae vel summus MOSHEMIUS [58]) de magna sententiarum diversitate inter ipsos sacerdotes Aegyptios obtinente, vel cel. GATTERERUS [59]) de μετεμψυχωσει Aegyptiaca, mero animorum *aeternitatis* symbolo hieroglyphico, a *Zodiaci* imagine desumto, vel S. R. HORNIUS [60]) de Amenthe Aegyptiaco, animorum ad certos migrationum orbes deinde ablegandorum *receptaculo non nisi temporario*, ad explicandam scriptorum Graecorum, quae videtur, in hac caussa repugnantiam protulerunt. — Hoc igitur loco, quo antiquarum gentium de immortalitate opiniones, *in vulgus receptas,* spectamus, Aegyptiorum de μετεμψυχωσει sententiam missam a nobis faciendam esse putamus. Verum enim vero non paullo aliter se res habet, ubi

Indorum, aliorumque veterum populorum, ad quos ipsorum disciplina manasse videtur, *Persarum, Phoeni-*

---

c. 29. T. IX. p. 142. *Herodoto* l. II. c. 123. p. 195. *Hecataeo* et *Aristagora* ap. *Diogenem Laërtium* in Prooem. ad Vitas Philos. ed. Colon. Allobr. 1616. 8. p. 7 s. et *Aenea Gazaeo* in Theophrasto, ed. *Barthii* (Lips. 1655. 4), p. 14.

57) Ita *Diodorus* l. c. metempsychoseos doctrinam inter alias doctrinae Aegyptiorum sublimioris partes („τα κατα τον ἱερον λογον, και τα κατα γεωμετριαν θεωρηματα, και τα περι τους αριθμους") ex Aegypto reportasse Pythagoram memorat; *Plutarchus* hujus doctrinae, ab Aegyptiis agnitae, mentionem facit eam, ut victimas ex animalibus, in quas improborum animae immigraverint, Diis gratiores haberi narret, quod de dispari victimarum praestantia judicium ad arcanam sacerdotum doctrinam pertinuisse verisimillimum est. cf. PAREAU p. 45.

58) ad CUDWORTHI Syst. intell. a se editum, Jen. 1733. fol. p. 366. not. 33.

59) in Commentat. de metempsychosi immortalitatis animorum symbolo Aegyptio, recit. a. 1787. (Commentat. Soc. Reg. Götting. T. IX. Cl. hist. et philol. p. 43 ss.) p. 47 s.

60) libr. cit. p. 311 s.

cum etc. de animorum immortalitate sententias considerare aggrediamur. Quod enim apud Aegyptios ad interiorem philosophiam pertinuisse videtur, idem apud Indos ceterasque, quas modo dixi, gentes publicam maxima ex parte disciplinam sine dubio constituit. Sed haec alio tempore, cum spatium jam deficiat, persequemur, facilem inde transitum nacturi ad veterum inter gentes *philosophorum* de re nostra opiniones cum ipso ejus capite, deinceps cum religionis christianae decretis comparandas.

IV.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,

QUID

DOCTRINA DE ANIMORUM IMMORTALITATE

RELIGIONI CHRISTIANAE DEBEAT,

EX CAUSSAE NATURA ET EX REBUS FACTIS

MONSTRANS.

P. 2.

Cum in superiore dissertationis nostrae parte ostendere coeperimus, illi de animorum humanorum immortalitate statuendi docendique rationi, quae sanioris cujuslibet philosophiae religionisque desideriis maxime convenire putanda sit (p. 46 — 55), parum profecto respondisse ea, quae de argumento isto gravissimo A) inter antiquos *gentilium* populos (p. 55. ss.)[1]) *vulgo* propinata, ab eoque credita sint; respiciendum esse duximus tum a) ad gentes antiquas artibus literisque nondum expolitas (p. 56 — 62), tum b) ad cultiores priscorum temporum populos, α) sive ab ultimis etiam infantiae suae rudimentis nobis cognitos (p. 62 sq.), sive β) a primo in memoriam publicam ingressu altiori quadam ingeniorum, morum, religionis denique cultura insignitos. Ex ipsis vel *posterioris* generis nationibus, ℵ) *Aegyptios* certe vidimus non eam habuisse *publicam* de immortalitate animorum disciplinam, quae aliorum populorum, ad priora genera pertinentium, opinionibus vulgaribus multum praestaret; praesertim, cum μετεμψυχωσεως doctrina, iis tributa, interiori sacerdotum Aegyptiacorum philosophiae vindicanda videatur (p. 63 — 67). Sed aliter sentiendum fore praediximus ב) de *Indorum* aliarumque vetustarum gentium, ad quas eorum disciplina manasse videatur, *Persarum, Phoenicum* etc. opinionibus publicis; quod ipsum nobis, tractationis nostrae filum resumentibus, ulterius jam persequendum erit.

In ea scilicet de rebus divinis et naturalibus disciplina, quam, si summam spectes, omnibus illis Orientis nationibus aliisque contiguis communem fuisse compertum est, principem locum occupat rerum omnium a natura summa,

qualemcunque fingant, *emanando* ortarum opinio; et licet plenum opus aleae sit, quae in iis etiam ipsis aut popularis disciplinae aut philosophicae partes fuerint, per singula eundo secernere, ea tamen, quae cum ista opinione necessario quasi quodam vinculo nexa sint, disciplinae in vulgus receptae annumerare, nullum profecto errandi periculum inferet.

Quod *Indos* sigillatim attinet, in longas illas, quae de antiquitate, eorum philosophiae librisque sacris attribuenda, et de diversarum apud ipsos sectarum a vetustis temporibus diversa disciplina, obtinuerunt dudum et obtinent, lites non magis hoc loco descendere animus est, quam coeca obedientia concedere in admirabundas istas acclamationes, quibus philosophia et religio Indica, quasi omnis in hoc terrarum orbe sapientiae mater, a recentissimis quibusdam magnae auctoritatis scriptoribus extollitur. Damus vero, dandumque esse lubentes confitemur, multa esse omnino, quae et pervetustam in hoc populo artium disciplinarumque, quin ipsius religionis culturam agnoscere [1]), et librorum sacrorum, sub nostram aetatem ex Indis advectorum, aliquam certe partem, disciplinaeque sacrae illis contentae summa, in quibus consentiunt, capita temporibus (ne nimium largiamur) Christianam aeram excedentibus vindicare

1) Sic regiones illas, ab Indo et Gange fluminibus circumfusas, quas una Indorum natio a summa memoria incoluit, in primis omnium habitatas fuisse, non obscura historiae vestigia indicant, sive meridionalem earum plagam cum acutissimo Buttmann (älteste Erdkunde des Morgenlands, Berl. 1803. 8.), sive septentrionales potius fines cum cel. A. Th. Hartmann (Aufklärungen über Asien, I. B. Oldenburg 1805. 8. p. 146 ss. coll. Adelungii Mithridates etc. Berl. 1806. 8. p. 3 ss. et Herderi Ideen zur Philos. der Gesch. der Menschheit, Th. II. Riga, 1785. 4. p. 333 ss.) sive contiguos regni *Iranici* tractus, sive alios finitimos (cf. J. de Müller Allg. Gesch. Tub. 1810. T. I. p. 26.) societatis humanae incunabula posueris. Nec ausim equidem vel nervum suum abnegare iis argumentis, ex historia praesertim naturali petitis, quibus Indiam *mythologiae* ultimam scaturiginem monstrare posse sibi visus est S. V. Lichtenstein in oratione, inserta Ill. Eichhorn Bibliothecae liter. bibl. T. VIII. fasc. 4. d. a. 1798. p. 608 ss., — ut taceam ampliss. Wagneri (Ideen zu einer allg. Mythologie der alten Welt, Frankf. a. M. 1806. 8. p. 85 ss. 184.), clariss. Kanne (Erste Urkunden der Geschichte oder allg. Mythol. Bayr. 1808. 8. p. 14 ss.) et doctiss. Creuzeri (Symbolik und Mythol. der alten Völker, besonders der Griechen, I. B., Darmst. u. Leipz. 1810. 8. p. 838. s.) monita, eodem spectantia; — vel negligenda censere veterum Graecorum testimonia, quae sacram Indorum philosophiam post Alexandri M. saltim tempora celebratissimam et ab ipsis philosophis suis appetitam arguunt.

suadeant [2]). Quibus positis, opinionem illam, qua res omnes a numine infinito variis modis effluxisse finguntur, quam universae Indorum religioni, in libris sacris expositae, fundamenti loco substratam esse ceuimus [3]), et una cum illa ipsam quoque μετεμψυχωσεως doctrinam intime illi adhaerentem ante Christi tempora vulgarem inter gentem Indicam fuisse, eo confidentius sumere licebit, quod εσωτεριχην quan-

2) Non leve ejus rei indicium exhibet ipsa lingua, qua libros hosce scriptos deprehendimus, *Samscrdamica*, quippe quae ab omnibus popularibus gentis Indicae dialectis non parum diversa, nativaque quadam puritate conspicua et canam aetatem redolet, et inter sacerdotes sola ipsorum librorum sacrorum ope conservata videtur. Eodem valet institutorum morumque gentis cum religionis suae ac mythologiae forma intime tenacissimeque cohaerentium indubitata antiquitas (cf. v. c. Herodotus L. III. c. 100. ed. Borheck T. I. p. 188. Strabo, maximam partem ex *Megasthene*, Geogr. l. XV. ed. *Xylandri* p. 807 ss. 815. Arrianus in rerum Indicarum libro, librorum VII. de exp. *Alexandri* appendice, ed. *Vulcanii*, Bas. 1575. fol. p. 175 s.) dogmatumque sacrorum illis libris contentorum in *Ilurae* insularumque Indicarum *Elephantae* ac *Salsettae*, et aliis denique monumentis vetustissimis luculenta vestigia; cf. Niebuhr Reisebeschr. nach Arabien und andern umliegenden Ländern II. Bd. Copenh. 1778. 4. p. 31 ss., Anquetil du Perron voyage aux Indes. T. I. P. I. p. 419 ss. et alia itineraria; add. S. R. Kleukerum, libri: das Brahmanische Religionssystem im Zusammenh. dargest. Rig. 1797. 8. p. 115 ss.

3) Quamvis enim in libris Indorum sacris loca quaedam occurrant, quibus summum numen, quaecunque sint, et supremas inprimis post se naturas intelligentes, *mera voluntate sua* creasse perhibeatur, (v. c. locus, ab Holwello in libro: interesting historical events relative to the provinces of Bengal etc. Lond. 1766. Sect. II. p. 35. citatus, a cel. Kleukero in libro l. pag. 95. repetitus, compluresque, in recentissimo et gravissimo Ill. Canonicae de Polier opere: Mythologie des Indous sur les manuscr. authentiques apportés de l' Inde par feu Mr. le Colonel de Polier, Par. et Rudolst. 1809. 2 Tom. 8., obvii): ejusmodi formulas ex communi omnis hujus mythologiae genio interpretandas esse dubio caret, quo duce nihil aliud sibi velle deprehendentur, quam, nobilissimas naturas finitas ex infinita volente simpliciter provenisse, alias contra ex aliis finitis. Ipsa nempe Infiniti natura, in Brahmae, Wischnu Sivaeque triadem effusa, ex quibus aliae mentes sublimiores innumerae, et bonae et malae indolis, ortae sunt; quatuor illae hujus mundi aetates, quarum binae priores nonnisi in regionibus coelestibus aguntur, omnes per certos gradus in deterius usque labuntur, quibus et ipsa quatuor populi Indici Castarum scala respondet; vitae mentesque, in rebus naturae quibuscunque involutae; studia illa, macerando corpore animoque numini summo plane immergendo ad amissam puritatem beatitatemque resurgendi, ultra modum commendata, aliaque permulta, ex quibus omnis Indorum mythologia sacraque disciplina composita est, emanationis doctrinam ejusdem caput summamque esse loquuntur. Accedunt diserta librorum apud Indos canonicorum maxime veterum testimonia, velut *legum Menui* (in locis libri I. a cel. Fr. Schlegel „über Sprache und Weisheit der Indier, Heidelb. 1808. 8." ex lingua originali Samscrdamica in vernaculam translatis, p. 274 ss. 279 s.) et celebratissimae IV. *Vedorum* epitomes, *Oupnek'hat*, (e pers. idiomate in lat. convers. studio *Anquetil. du Perron*, Argent. et Par. 1801. 4.) pag. 52. 163. cf. S. R Horn über bibl. Gnosis p. 214 ss. et laud. Poleriae opus, T. II. cap. XI.

dam sacerdotum disciplinam in *ista* gente locum habere aut habuisse peritissimi indagatores universim negent, librosque in scholis publicis explicari solitos (*Puranam*) iis, quos legendi facultas Brahminis propria est, quoad capita rerum sacrarum, apprime conspirare ferant [4]), omnes vero fabulae populi ac leges sacrae hanc μετεμψυχωσεως doctrinam sub mille formis ipso facto repetant [5]). Jam largiendum praeterea confitemur, quod ad rem, de qua quaerimus, propius facit, μετεμψυχωσιν ab Indis antiquis hodiernisque receptam ex eo genere esse, quod ad erectiorem puriorem-que de animo humano ejusque post fata conditione cogitandi modum accedere videatur. Quae nempe apud eos de animis hominum in diversa corpora migrantibus docentur, arctissime connexa deprehendimus cum ea de iisdem animis humanis opinione, qua illi esse concipiuntur mentes coelestes atque terrestri organo naturaliter immunes, depressae in corpora humana eo consilio, ut ita, quae delicta a sese prius essent, luerent, et ab impuritate sibi contracta liberatae ad beatitatem primigeniam bonitatemque tandem aliquando regenerarentur [6]); quae per corpora terrestria, alia atque alia, migrationes tam diu repetendae atque continuandae ab ipsis sint, donec aut sublimem istam metam assecutae fuerint, aut malae contumaciae poenam aeternam subire condemnentur. Tantum enim abest, ut quibuscunque hominibus migrationum orbes nunquam desituros Indorum disciplina decernat, ut potius supremam tandem eamque immutabilem in sedibus divinis beatitudinem rite luctantibus polliceatur, aliis, in quibus virtutis studium per omnes istas, quae transigendae fuerunt, regenerationis periodos, friguit, poenas

4) cf. Polier Mytholog. des Indous, Introd. ll. compluribus.

5) Pertinent huc v. c. *quindecim illae mundi regiones*, s. regenerationum loca, a *Brahma* condita (quorum *medium*, octavum, terra constituat), a mentibus lapsis puniendis, explorandis atque purificandis, alia post alia, peragranda (*Oupnek'hat* p. 97. Kleuker l. c. p. 98 s. Polier T. II. C. XII.); homines illi, *Muniorum* nomine summaeque sanctitatis fama celebres, quos puros genios esse statuunt, eo fine factos, ut poenitentibus contra malorum geniorum impetus subinde auxilium ferrent humanis corporibus induti (cf. S. R. Hoen ex *Holwello*, P. *Paullino*, et *Menui* legibus referentem; Polier l. c.) etc.; sancta lex, qua ab *animalibus* laedendis Indi omnes prohibentur.

6) cf. *Leges Menui* loco posteriori, not. 2. citato, omnesque librorum Indicorum locos, μετεμψυχωσεως doctrinam spectantes.

in tenebris sempiternas sustinendas indicat [7]); quod ipsum non multum abhorret ab iis opinionibus atque decretis, quae etiam *Graecorum* scriptores veteres Indorum Magis aut Brachmanis tribuerunt [8]). Denique ne id quidem infitiari licebit, Indorum de vita futura doctrinam cum omni vivendi agendique ratione multifariam fuisse et esse copulatam. Leges enim populi et morales et rituales ad beatitudinem post terrestre aevum assequendam undequaque spectant [9]), nec possent non spectare, cum, quae ex emanationis opinione prodit, tragica hujus vitae imago perpetuum futurae felicioris desiderium necessario secum ferat, quo, quicquid agant homines aut cogitent, tingatur imbuaturque.

Sed salvis his omnibus longe nihilominus recedendum esse duxerim a publicis Indorum opinionibus ita admirandis, ut eae purioris cujusvis de immortalitate animorum do-

7) c. Polier, T. II. C. XV. Kleuker ex Holwello, p. 101.

8) Ita Indorum Magos cum Chaldaeis principes omnium fuisse, qui *animos immortales* perhibuerint, scire se ait Pausanias (in Graec. descript. L. IV. seu Messenicis, ed. *Xylandri*, Hanoviae, 1613. fol. p. 277. „Εγω δε χαλδαιους και Ινδων τους μαγους πρωτους οιδα ειποντας, ως αθανατος εστιν ανθρωπου ψυχη" —); eorundem decreta paullo ulterius Megasthene duce persequens Strabo (l. c. p. 816.) plurima eos de *morte* disserere narrat et hanc quidem vitam pro embryonum primo quasi flore (ως ακμην κυομενων), mortem vero pro genesi in vitam, quae reapse vita sapientiaeque cultoribus (τοις φιλοσοφησασι) felix futura esset, habuisse; de animo similia cum Graecorum philosophematis praecepisse et plura alia; attexuisse etiam *fabulas quasdam*, velut *Platonem*, de *animae immortalitate* et *judiciis apud inferos*, et quae sint alia ejusmodi. Immo ad ipsam quoque emanationis ac μετεμψυχωσεως doctrinam, cum qua omnes Indorum de vita futura opiniones arctissimo vinculo nexas esse conspicimus, proxime accedere videntur, quae de rerum omnium natura atque ordine philosophatos esse Indorum Magos eodem loco Megasthenes auctor inducitur. „Οτι γενητος ο κοσμος, και φθαρτος — ο, τε διοικων αυτον και ποιων θεος δι' ολου διαπεφοιτηκεν αυτου" (cf. not. 3.) — „Ιδρος δε τοις τεταρσι στοιχειοις πεμπτη τις εστι φυσις, εξ ης ο ουρανος και τα αστρα, γη δ' εν μεσω ιδρυται του παντος" (cf. not. 5). add. Clementis Alex. locus, Strom. l. III. C. 7. (ed. *Potter*. T. I. p. 539), καταφρονουσι δε θανατου (Βραχμαναι), και παρ' ουδεν ηγουνται το ζην. πειθονται γαρ ειναι παλιγγενεσιαν."

9) cf. cel. Schlegel über Sprache u. Weish. der Indier, p. 103. Verbo memoramus bonorum terrestrium contemtum, inter officia ab hominibus sibi ipsis praestanda tantum non primo loco positum (v. Polier T. II. C. XVI.); pietatem erga parentes aliosque e familia defunctos in eo maxime constitutam, ut pro animis ipsorum sacra solennia celebrentur (v. Polier ibid. et Paullinus a S. Bartholomaeo in System. Brahman. Rom. 1794. 4. p. 30. de singulari aliquo florum sacrificio, ad hunc ipsum finem fieri solito, sigillatim disserens); vitam solitariam atque asceticam, tanquam certissimam salutis post mortem consequendae viam summis laudibus evectam (Polier T. II. C. XIV. coll. not. 11).

ctrinae sanctae scaturigines praedicentur. Ut enim taceam, illam, quae omnis hujus disciplinae caput est, de rebus cunctis ex natura divina emanando ortis doctrinam cum philosophiae principiis religionisque practicae finibus pugnare, cum ea, quomodocunque exposita, vicissitudini exponat et in naturae finitae orbem detrudat numen infinitum, mentesque humanas libertate sua orbet [10]; ipsam de animis in diversa corpora migrantibus imaginationem tam arbitrariam esse apparet, tam destitutam solidis quibusque argumentis, tam alienam a mentis humanae natura atque conditione nobis cognita, ut in simulacrorum, dormientes aut semisomnos veri pulcrique aliqua specie decipientium, numerum jure suo referatur. Eandem vero nec moralibus rationibus magis convenire, idoneo cuivis rerum arbitro facile patebit. Quam perversas enim ad semetipsos emendandos ac perficiendos vias ii ingrediantur, qui corpus suum pro mentis carcere poenarumque huic infligendarum instrumento habeant (quod nisi ab omnibus μετεμψυχωσεως defensoribus reipsa fiat, fiet tamen a plerisque, omnibusque certe in proclivi erit), id quidem ut fert rei natura, ita experientia exemplis luculentissimis apud Indos nominatim et veteres et recentiores confirmat. Inde inepta illa corporis fame sitique macerandi doloribusque omnimodis ad internecionem usque excruciandi, animi a negotiis mundanis ac sensibus naturalibus abstrahendi sanctaeque desidiae immergendi exercitia, cum intolerabili fastu sociata, vero virtutis salutisque studio inimica [11]. Praeterea quae tandem ad mentem vitamque perfectius efformandam alacritas inesse queat iis, qui pro culpa per prioris cujusdam vitae decursum contracta, cujus memoriam vel conscientiam plane nullam in semetipsis deprehendunt, corporis sui vinculis, asperrimis fortasse, inclusi sibi videantur? Quis facile fuerit, in quo non plus minusve hebescat misericordiae atque humanitatis sen-

10) cf. quae in Diss. nostrae P. I. p. 47. 49. ubi doctrinae de immortalitate rationi religionique consentaneae exemplar adumbrare conati sumus, de *simili* quodam aetatis recentissimae philosophemate observata sunt.

11) v. Polier T. II. C. XIV. (de poenitentibus) et C. XIII. (de *Muniis*); Strabo rer. Geogr. L. XV. p. 817. ss. (de Germanibus, quos dicit, et Gymnosophistis ex *Aristobulo* et *Onesicrito* narrans).

sus, si infaustam dejectamque aliorum conditionem aut poenae loco habeat aut probationis divino decreto ipsis impositae, per constitutam annorum seriem sustinendae? Et cum μετεμψυχωσεως opinio, ut sibi ipsi constet, ita amet concipi, et ab Indis certe ita concipiatur, ut animi, hominum corporibus inclusi, non per alia tantum humana, sed per *animalium* quoque corpora migrare cogitentur; id etiam ipsum quem non facile impediet, quo minus humanae naturae praestantiam atque dignitatem et in semetipso et in aliis juste aestimet, observantiaeque et verecundiae, quin ipsa benevolentiae officia, aliis quibuscunque debita, rite expleat? [12]) — Accedit, quod disciplina Indica, quamvis animos post mortem superstites non *perpetuis* migrationum orbibus adstringens, sed absolutis illis vel praemia vel supplicia aeterna adituros ponens, magnopere tamen haesitet in praemiorum suppliciorumque finalium natura constituenda inclinetque ad eam opinionem, qua boni post perceptam in regionibus coelestibus felicitatem *terrestri similem* ab infinita mente tandem resorbendi, pertinaciter mali post ejusdem generis poenas in inferis regionibus expensas nihilo tandem relinquendi finguntur [13]); quod ipsum quam parum accommodatum sit ad animos erigendos suique perficiendi studio vivaciore atque constantiore implendos, demonstrare superfluum foret. Habet quidem hoc Indorum de immor-

12) cf. b. Herderi Ideen zur Philos. der Gesch. der Menschheit, T. III. Rig. et Lips. 1787. p. 43.

13) Varie de his rebus praecipere varias Indorum sectas, quamvis notissimum sit, cum *Sivae* asseclae cum communibus populi fabulis futuram bonorum beatitatem a se descriptam introitu coelorum *adspectabilium*, qui et ipsi cum omni mundo conspicuo destruendi sint post statos temporum decursus, absolvant, *Wischnuitae* contra praeter voluptatem temporariam in coelis hisce gustandam paradisum quendam sublimiorem imaginentur, ubi bonorum animi beatitudinis genere mere coelesti sensusque corporeos excedente fruituri sint (Polier, T. II. C. XV.); omnes tamen in eo denique conciuere videntur, ut metam supremam unicuique propositam esse sumant plenam cum numine summo unitatem, quam qui sua culpa non assequantur, abs tenebris tandem penitus absumendi sint. Pertinet huc, quod fabulae omnes, in quibus et *Sivae* et *Wischnui* asseclae conspirant, tam praemia in coelis adspectabilibus reportanda, quam supplicia in regionibus inferis sustinenda *desitura* quondam ponant, ipsi vero *Wischnuitae* quartum sive summum beatitatis in coelis invisibilibus gradum ita describant, ut nihil remanere videatur, nisi in infinitam naturam reditus; a malorum post migrationes poenasque apud inferos absolutas sorte delineanda cum *Sivae* sectatoribus plane abstinentes (cf. Polier l. c.).

talitate doctrina, quod non conjectationibus se contineat, sed, antiquissimam numinis patefactionem prae se ferens, *certam dubiique omnis expertem hominum fidem postulet*, estque revera fuitque ultima abhinc aetate omni Indorum cogitandi agendique rationi ita commixta atque conglutinata, ut eripi eorum animis vix unquam posset. Sed quod inde proficisci poterat commodum, vehementer certe minutum est non universo tantum, quale vidimus esse, ejus doctrinae argumento, sed peculiari quoque illo, quo *tradi* illa consuevit, modo, cum lepidissimis quibusque fabellis involuta et obruta [14]) nunquam non prostiterit, nec tam ad animum vere corrigendum humanitatisque officia inculcanda [15]) quam ad inertis poenitentiae lustrationumque exercitia et sacrificia injungenda [16]), ad fidem numinis, quam dicunt, implicitam ejusque invocationes operarias, quibus nescio quantum momenti adscribunt, commendandas [17]) adhibita fuerit. De ea denique ratione, qua *confirmari* Indorum populo solita sit futurae vitae exspectatio, aut quaenam ejus credendae argumenta atque incitamina suppeditata, non est, quod multa verba fiant. Satis enim notum est, ut omnia religionis praecepta, sic hanc quoque de vita a fatis instante doctrinam non rationibus ex animi natura conscientiaque morali fultam, sed sola librorum sacrorum auctoritate sancitam publice genti propinari, quae ipsa auctoritas tantum abest ut singulorum examini subjiciatur, ut coeca potius erga Brahminos, librorum sacrorum custo-

---

14) Absit, ut taedium legentibus facessam mythorum illorum indice apponendo. Verbo liceat memorare insipidas locorum coelestium et inferorum deliciarumque et cruciatuum ibi futurorum descriptiones; *Gangam* deam, quae Munii cujusdam precibus cedens, sumta *Gangis* fluvii forma, ad sex principum millia ex inferis tactu suo redimenda profecta fertur; et quae sunt alia ejusmodi innumera.

15) Ab eo sane consilio id inter alia valde abhorret, quod hominum post fata sortem haud raro ab *imprecationibus vel faustis vel diris* dependere narrent libri publici Indorum (Polier l. c.).

16) Tormenta et jejunia sponte suscepta, lavationesque in sacris praecipue aquis, Gange v. c., tanquam beatitatis consequendae migrationumque brevius absolvendarum certissima subsidia laudantur (Polier C. XIV. et S. R. Kleuker l. l. p. 166 ss. ex *Patre Paullino* et *Holwello*.)

17) cf. Polier l. c. C. XV. unde vel solam divini nominis pronunciationem, a moriente etsi non conscio factam, aut Wischnui visionem in mortis articulo impetratam sublimioris paradisi ineundi subsidium doceri patet.

des atque interpretes, fide recipienda statuatur [18]). Quam male vero ita consultum sit et rationis et religionis desideriis, res ipsa loquitur; nec resarciri damnum, sed augeri potius apparet fabulosis istis narrationibus ad confirmandum dogma pro divino venditum allatis [19]), imaginationis tantum luxuriem alentibus, persuasionem solertiori ingenio nunquam instillaturis. Nec quicquam acturum fore existimamus eum, qui puriorem ab origine et omnino perfectiorem fuisse contenderit Indorum de immortalitate disciplinam, depravatamque sequiori demum tempore atque superstitionibus obumbratam [20]); nihil enim illi reliquum futurum esset, quo hanc sententiam fulciret, nisi ut rem ita se habere potuisse, simpliciter poneret, quod in re historica nullius profecto ponderis erit. Ad illustrandum vero nostrum, quod tractamus, argumentum ea ipsa conjectura vel ideo nihil valitura esset, quod, si libros Indorum sacros aera Christiana antiquiores sumseris, una cum iis degeneres quoque illas de immortalitate opiniones religionis Christianae aetatem antecessisse perhibiturus fores, sin recentiores statueris libros (quanquam id neminem facturum putem, qui ad conjecturam modo dictam confugerit), pauca omnino restitura essent, quae de Indorum *veterum* circa immortalitatis doctrinam meritis praedicare posses.

In quibus considerandis quo longius commorati sumus (dandum aliquid existimantes summae, quam Indorum veterum sapientia nostra aetate nacta est, admirationi), eo bre-

---

18) Graecorum (Strabonis v. c., libr. cit. p. 815 s.) de absolutissima, quam Brachmani sibi arrogaverint, auctoritate testimonio gravissimi, qui Indiam viderunt, aetatis nostrae scriptores una voce adstipulantur (cf. Polier l. c. C. XVI. et S. R. Kleuker libr. c. locis quam plurimis). Veda, religionis Indicae fontes primarios, legere Brahminis solis, praelecta audire praeter militum ordinem nulli alii fas est; a certis quoque libris sacris, Vedorum commentariis, legendis ultima certe populi classis arcetur; ut taceam, dialectum eorum a communi valde diversam, et doctis tantum cognitam, annalium antiquioris temporis defectum aliaque permulta ab exploranda librorum sacrorum religionisque origine plerosque prohibere.

19) cf. not. 14. Eodem praecipue pertinent illae de potu immortalitatis, geniis coelestibus Wischnui liberalitate dato narrationes (Polier T. I. Cap. II. ex *Avataris*, libro Indorum sacro, varios dei in carne descensus describente) et aliae innumerae de inclutis hominibus, multoties mutata forma in terrae scenam iterum iterumque renatis.

20) cf. cel. Schlegel über Sprache u. Weish. der Indier, p. 110.

vius absolvere poterimus, quae *Persarum, Phoenicum* aliorumque, quibus idem disciplinae sacrae genus commune fuit, populorum de altera vita opiniones attinent.

Jam *Persarum* quidem religionem, a *Zoroastre* sex circiter ante Christum seculis reformatam[21]), in eo cum Indica disciplina convenire (sive filia hujus, sive mater, sive ex communi cum ipsa fonte progressa sumatur, quod anquirere nostrum non est), ut res omnes ex divina natura *emanando ortas* esse principii loco ponat, pro certo haberi debet[22]). Sed ab eadem illa in eo discedit, quod mundum *corporeum* non ad puniendas purgandasque mentes productum existimet, sed *tum a bono deo*, *tum a malo* (*Oromasde* et *Ahrimane*) ita procreatum, ut, quidquid purius, subtilius, perfectiusque sit in ipsis etiam corporibus, id omne a bono, mero lumine, emanaverit, quicquid crassius, pejus, obscurius, a malo, mera caligine, profectum sit; utpote qui non subjectus bono ab origine, sed par pari oppositus, opera quoque sua omnia illius operibus opposuerit et ita omnium, quae in mundo sint, malorum auctor evaserit[23]). Inde *mentes* hominum, quae, tanquam Oromasdis ideae originales, naturae eorum partem constituant maxime divinam atque purissimam (ab anima, affectuum voluptatumque sede distinguendam[24])), non migraturas esse ab aliis corporibus in alia, donec ab omni materiae contactu tandem liberentur, sed postquam, expertes corporum terrenorum, vel in sedibus beatis fausta quiete fruitae vel in inferno poenis delictorum per aliquantum temporis afflictae

---

21) Ejus enim, quae *Zoroastris* tempora antecesserat, de immortalitate aut mortalitate animorum praecepta plane nos latent.

22) Aptis id argumentis contra Anquetilli dubia novissime defendit S. R. Horn über die bibl. Gnosis, p. 183 — 186.

23) In ea theologiae Zoroastricae imagine cum Graecorum testimoniis (cf. Plutarchum inter alios, de Iside et Osiride C. XLVI. s. ed. Opp. Hutten, T. IX. p. 167 — 169.) ubique consentiunt libri *Zendici*, quorum non parvae parti originem Christiana certe aera antiquiorem concedendam esse, h. l. non probari sed poni debere putamus. cf. quae de aetate horum librorum docuit arbiter κριτικώτατος minimeque cupidus, cel. Tychsen, in Comm. de religionum Zoroastricarum apud exteras gentes vestigiis, inserta Commentatt. Reg. Soc. Gotting. Tomo XI. Class. hist. et philol. p. 123 — 127.

24) cf. *Zend-Avesta* aus dem Franz. des Anquetil du Perron übers. v. Kleuker, Rig. 1776. s. 4. T. I. *Izeschne*, Ha (Cap.) I. p. 84. et alia loca. add. Horn l. c. p. 169 s.

sint, cum corporibus plane *purificatis* denuo copulatum iri eadem Zoroastridarum religio docet [25]).

At enim vero quamvis praeclare hoc docere videatur, et ipsam *Indorum* doctrinam in eo superare; sunt tamen haud pauca, quae in ejus de aevo futuro disciplina desiderari reprehendique jure possint. Quod enim de *emanationis* opinione, Indorum de immortalitate praeceptis substrata, monuimus (supra, p. 75 s.), idem in Persarum de hoc argumento sententia dijudicanda recurrit; neque praetereundum esse putaverimus, libertatis moralis sensum, cum illa opinione vix conciliabilem, magis etiam deprimi *dei mali*, operationibus suis undique cingentis hominem agentem et penetrantis, cogitatione. Deinde, dualismum (ut hoc vocabulo ad brevitatem utar), qualem disciplina *Zoroastrica* constituit [26]), ut multa in se habet, quae rationem religionemque valde offendant, ita ad *unitatis doctrinam* philosophiae practicae principiis minime amicam vergere, non ex rei tantum natura jam ab aliis ostensum est [27]), sed ipsa etiam, quam *Zoroastris* de immortalitate doctrina induit, forma non obscure confirmatur. Internecivum enim illud bellum, quod Oromasdem inter atque Ahrimanem, et qui utriusque partibus adscripti sunt, per plura annorum millia fervet, ita tandem finitum iri statuitur, ut victori *Oromasdi* et *Ahrimanes* cum geniis suis subjiciatur [28]), et, qui hos secuti essent, homines mali, recuperato corpore, post solenne judicium in infernum conjiciantur, ibique igne expurgati ad sempiternam cum bonis felicitatem omnes ac singuli evehantur; universa simul natura ab omni, quod impurum

25) cf. Plutarchus. l. not. 23. cit. et *Zend-Avesta*, in *Izeschne*, Ha LXVII. (Kleuker T. I. p. 147). LII. (T. I. p. 142); in *Vendidad* C. XIX. etc.

26) Manebit dualismus cum iis, quae inde sequuntur, etiam si in eam sententiam concedas, a praeclaris certe auctoribus nec paucis defensam, qua et Oromasdem et Ahrimanem *ab uno summo numine* (vel Mithra, vel, quod minus a vero abhorret, Zeruane) derivasse ac suspendisse *Zoroaster* fertur. Nunquam enim infitiari poteris, *mundi gubernacula* uni illi, quisquis sit, ademta, et duobus istis adversariis dispertita a *Zoroastre* fuisse.

27) v. Schlegel libr. c. p. 126.

28) Sive in nihilum tunc redigendus statuatur *Ahrimanes* (in quem sensum libros Zendicos interpretari praefert cel. Tychsen in Commentat. laud. p. 137. s.), sive in *Oromasdis* partes transiturus a *Zoroastre* cogitetur (quod S. R. Horsius, gravibus argumentis motus, cum aliis mavult, l. c. p. 163. ss.).

tenebrosumque sit, ignis ope liberata[29]). Qua opinion boni malique discrimen tantum non penitus tolli, eo minu negari poterit, quo certius est, non proprio studio, quo in altera forsan vita ad semetipsos emendandos impensu sint mali, futuram eorundem beatitudinem acceptam referi a disciplina *Zoroastrica*, sed *Ahrimanis* excidio purgatio nique satis celeri, a malis hominibus resuscitatis subeun dae[30]). Nec, quae de poenis inter ipsam mortem et resurre ctionem in inferno luendis adduntur, ad paritatis unitatisqu postea subsecuturae opinionem excusandam satis valebunt cum ipsae hae poenae, nisi ad *Ahrimanis* potius potesta tatem[31]), quam ad *Oromasdis* justitiam referantur, cert non ad animos sensim emendandos compositae esse, sed ex piari adeo posse existimentur amicorum superstitum poeni tentiis[32]). Quod reliquum est, quamvis et confidentissim affirmatam, et clarissime pronunciatam et cum lege moral cultuque divino omnibus modis contextam videamus in disciplina *Zoroastrica* futurae vitae ac beatitudinis bonorum aeternae doctrinam (ut solenne omnino est orientalibus, in rebus sacris tractandis non ingenium modo atque cogitandi

---

29) conf. *Bundehesch* nr. XXXI. apud. Kleukerum, *Zend-Avestae* T. III. p. 113. s., et, quod summam rei attinet, Theopompus apud Plutarchum de Iside et Osir. C. XLVII. l. c. p. 169. „— ανα μερος τρισχιλια ετη τον μεν κρατειν, τον δε κρατεισθαι των θεων, αλλα δε τρισχιλια μαχεσθαι και αναλυειν τα του ἑτερου τον ἑτερον· τελος δ' απολειπεσθαι (aut, quae Markilandi et Reiskii conjectura est a cel. Wyttenbachio probata: απολειστθαι) τον ᾅδην, και τους μεν ανθρωπους (sine discrimine) ευδαιμονας εσεσθαι, μητε τροφης δεομενους, μητε σκιαν ποιουντας (corporibus scilicet ipsis ab omni, quod tenebricosum terrenumque sit, emundatis). Quae *Zoroastris* de hominibus *omnibus* ad aeternam tandem betitudinem *Ahrimanis* clade evehendis sententia, e compluribus librorum Zendicorum et Plutarchi locis elucens universoque disciplinae Zoroastricae tenori aptissime consentiens (cf. Moshemii diss., Jesum Chr. resurr. mortuorum corporum ex tenebris in lucem revocasse, in Diss. ad H. E. pertinentibus, Vol. II. p. 641), abjudicatur illi a cel. Tychsen (l. c. p. 146), ea ipsa ratione allata, quod Plutarchi et Theopompi relationibus vix conveniat. Sed quae ab his tradita sunt, an *Ahrimanem* emendatum usquam iri *Zoroaster* expectaverit, dubium quidem reddere fortassis possent, hominum vero omnium futuram beatitudinem ab ipso creditam confirmant potius quam infringunt.

30) cf. loca *Zendica* nota anteced. citata.

31) cf. *Zend-Avesta* vern. vers. a Kleukero, T. III. p. 27. et loca ab eodem auctore in libro: Zend-Avesta im Kleinen, Riga, 1789. 8. p. 36. ss. ex libro *Vendidad*, et ex *fragmento Zendico* antiquissimo allata.

32) cf. Kleukeri vers. *Zend-Avestae* T. II. p. 173.

facultatem exercere, sed sensum internum maxime et sequi et fovere, ac quae imaginati sunt, exprimere agendo); valde tamen minui existimaverim, quod inde proficisci queat, commodum eo, quod primum ut hominibus, ita animalibus quoque et plantis omnibus spiritus sui quidam corrumpi nescii (*Feruer*) associentur, religioso cultu in liturgia praescripto [33]) prosequendi (unde profecto sublimioris in se naturae dignam aestimationem haurire homines multo minus poterunt, quam ad rerum externarum adorationem, summi numinis cultui officientem distrahi); quod deinde ad terrenam mortalium conditionem rite intelligendam et cum divina providentia legisque moralis sententia conciliandam vix unquam revocetur immortalitatis exspectatio; quod denique meta, ab homine, divinae naturae participe, in aevo futuro assequenda, non ita describatur, ut, quomodo in se perficiendo versari ille debeat, eo ipso distinctius rectiusque elucere possit. Ut enim, *puritatem cogitandi, loquendi, agendi* beatitudinis coelestis assequendae solam viam esse, in hisce libris inculcetur saepissime [34]); attamen, cujusnam modi sit, quae inter ipsam hanc puritatem et futuram beatitatem intercedat, necessitudo, nullibi in clariorem lucem protractum esse deprehendimus, cogitandi contra sermocinandique castitatem in eo quam maxime positam, ut mens suspensa teneatur a rerum principiis considerandis, lingua oraculis divinis precumque innumeris formulis, ordine, tempore, ritu praescripto recitandis, continuo exerceatur [35]). — Ex quibus omnibus in promtu erit divinare, *fidem* vitae futurae in disciplina Zoroastrica factam non animi humani potestate sublimiore ac libertate, non ejus ad veram perfectionem nisu immortali, non divini numinis summa sapien-

33) cf. *Zend-Avesta*, in *Izeschne*, Ha I. et II. XXIII. XXIV. (Kleuker, T. I. p. 84. 85. 112); in *Iescht-Sadès* (precum libris), Nr. 93. (Kleuker Zend-Av. im kleinen, p 67 ss.) etc.

34) v. c. in *Izeschne*, Ha XIX. XX. (Kleuker, T. I. p. 107 ss.). XXVIII. XXX, (p. 115. 118), XXXV. (p. 125) aliisque locis innumeris. Immortalia *Oromasdis* oracula celebrantur tria: purus esto in cogitando, in loquendo, in agendo!

35) v. *Izeschne*, H. XIX. l. c. et librorum Zendicorum effata alia permulta, coll. ipso horum librorum argumento, precum laudumque sacrarum exemplis ad fastidium usque multiplicatis atque repetitis potissimum constante.

tia, bonitate, justitia etc. fulciri, sed a divina legislatoris auctoritate omnem suspendi, cujus quidem documenta satis prodigiosa a seriore traditione allata sunt permulta [36]), al ipsis libris sacris nulla.

Pergimus ad *Phoenicas,* qui, quamvis literarum potissimum inventione apud veteres clarissimi, quid de religione et de rebus praesertim post vitam futuris docuerint, pauca admodum monumentorum historicorum vestigia restant. Sed ponendi tamen fuere inter eos populos, qui suam de divinis omnibus disciplinam emanationis a numine factae imaginatione nixam habuisse, et, quod inde non invite sequitur, de animorum post fata conditione non dissimiliter cum Indis aut Persis statuisse videantur. Si nempe, quod de ritibus publicis, in *Phoenicum* gente receptis, memoriae proditum accepimus, tum iis, quae de disciplina eorundem sacra *Sanchuniathonis* fragmenta referunt [37]), tum *Indorum Sivam* sectantium opinionibus atque ritibus contendamus, *Phoenicumque* cum *Indis* priscum crebrumque commercium recordemur [38]), non multum a vero nos aberraturos fore existimabimus conjiciendo, secutos esse *Phoenices* rerum ab uno summo principio effusarum opinionem inter *Indos* communem, sed ita conceptam, ut summum illud principium cum *naturae vi universa* cogitando uniretur, haec vero ipsa, genitrix eadem deletrixque omnium, cultu primario celebraretur. Nulla enim orbis antiqui natio hominum, eorumque infantum maxime immolationibus, magna copia certisque temporibus a se factis, ita longe lateque innotuit, ut

---

36) cf. vitam *Zoroastris* ex auctoribus Persicis conscriptam ab *Anquetillo*, vernacule redditam a S. R. Kleukero, Zend-Av. T. III. p. 1 ss.

37) Fragmenta illa libri a Sanchuniathone *Phoenice*, ex sacerdotum monumentis, ut fertur, confecti, a Philone Byblio graece redditi, quae Eusebius Praepar. Evang. l. I. c. 10. conservavit, licet interpolata subinde a Graecis, at non supposititia esse, idoneis argumentis post Herderum (Aelteste Urkunde des Menschengeschlechts, B. I. Rig. 1774. 4. p. 270 ss.) aliosque defendit S. R. Horn (Ueber die bibl. Gnosis, p. 317 ss.). Sint vero *Sanchuniathoni* afficta; nobis sufficit ponere, *summa* eorum, quae continent, capita ad *Phoenicum* doctrinam pertinuisse, quod qua specie negari posset, eo minus intelligimus, quo magis ea cum sacris Phoenicum publicis, quae veterum testimonio cognita habemus, congruunt.

38) cf. cel. Heeren Ideen über die Pol. und den Handel der vorn. Völker der alten Welt, T. II. p. 567. 587.

Phoenicia et cognatae [39]); cujus rei caussa non in rudi tantum illo deorum metu, qui ad immolandas hostias humanas plerosque veterum gentilium populos interdum impulit, sed in *naturae gignentis ac destruentis* ferociore cultu quaerenda erit, a quo alieni esse nequierunt ii, qui rerum *omnium principium* posuere *aërem tenebricosum* atque *spiritu foetum*, sive *noctem aeternam*, unde editus *spiritus aëreus*, cum principio suo congrediens, materiam mucosam genuerit, singularum generationum (astrorum, hominum, animalium etc.) semina viresque complectentem [40]). Ipsa vero haec sacrorum *Phoeniciorum* explicatio valde confirmatur inde, quod *Indorum* eos, qui *Sivae* cultu sese dicaverunt, eos itaque, qui vim naturae, gignendo diruendoque conspicuam, adoravere, solos etiam ex omni gente *hostias humanas* olim immolasse accepimus [41]). Quibus collatis, si vero simile esse appareat id, quod posuimus, Phoenices de origine rerum cum *Indis Sivae* asseclis, quod summam caussae attinet, consensisse; jam neque de animorum post mortem conditione multum illos ab his discessisse; idque ipsum de gente universa, nullo philosophorum et vulgi discrimine respecto, intelligendum esse censebimus; cum nulla certe caussa sit, cur arcanam quandam sacerdotum philosophiam apud Phoenices locum habuisse suspicemur [42]), emanationisque materialis (si ita loqui licet) ima-

---

39) cf. Lev. XVIII, 21. Deut. XVIII. 9. 10. 2 Reg. XVI. 3. etc. Diodorus Siculus, Bibl. L. XX. c. 14. ed. Wessel. T. II. p. 415 s. Justinus epitom. Hist. L. XIX. 1. Eusebius, Praep. evang. l. IV. c. 16. ed. Col. 1688. p. 156 s. ex *Porphyrio*, ad *Sanchuniathonis Philonisque* historiam Phoenicum provocante, et ex hoc ipso opere; p. 160 s. ex *Dionysio Halicarn.* aliisque.

40) v. Philonis Byblii fragm. Sanchuniathonea ap. Eusebium, Praep. evang. L. I. c. 10. ed. cit. p. 33 ss.

41) cf. S. R. Kleuker, Brahm. Rel. system p. 154. et cel. Schlegel, über Spr. u. W. der Indier, p. 118 ss.

42) Id suspicandi minima certe ansa est in gente, quae tota fuit in navigationibus atque mercaturis; nec, rudem prorsus in rebus sacris vulgum Phoenicium fuisse, quod auctoribus quibusdam nostris placere videtur, ut ampliss. Buhle (Lehrb. der Gesch. der Philos. T. I. Goett. 1796. p. 55.) S. R. Hornio (l. c. p. 317), etc., documenta historica nulla suppetunt. Contrariae potius sententiae subsidio fortassis esse queat vel id, quod Pausanias (Graec. descr. l. VII. seu Achaicorum ed. laud. p. 443) narrat: „ες αντιλογιαν αφικετο ανηρ μοι Σιδονιος, ός εγνωκεναι τα ες το θειον εφασκε Φοινικας και τα τε αλλα Ἑλληνων βελτιον.

go non ipsa tantum valde popularis sit, sed et junctissimam sibi habeat futuri in universam materiam recursus cogitationem. Quemadmodum scilicet *Indos*, eos praecipue, qui *Sivam* deum sectati sint, bonorum quidem animos ad unitatem cum numine tandem redigendos, malorum animos nihilo tandem tradendos statuisse vidimus, ita *Phoenices* quoque, in emanationis imagine fingenda Sivae asseclis affines, quamvis, quid de animorum post fata sorte senserint, monumenta historica plane sileant, spiritum humanum ab aeterno aëris spiritu receptum aliquando atque absorptum iri putasse verisimillimum erit; an vero migrationum orbes, poenarumque et praemiorum stadia antea absolvenda cum *Indis Sivitis* aliisque arbitrati sint, plane in medio relinquendum. Quicquid sit, satis profecto ex iis, quae dicta sunt, patebit, *Phoenicum* de rebus post mortem futuris non eam esse potuisse opinionem, quae cum sanioris disciplinae exemplari vel contendi mereatur.

V.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,

QUID

DOCTRINA DE ANIMORUM IMMORTALITATE

RELIGIONI CHRISTIANAE DEBEAT,

EX CAUSSAE NATURA ET EX REBUS FACTIS

MONSTRANS.

P. 3.

In exequendo, quod tractamus, argumento cum eo jamjam progressi simus, ut, quae de animorum humanorum immortalitate A) inter priscos *gentilium* populos 1) *vulgo* tradita et credita sint, certiori puriorique disciplinae, genus humanum posthac collustraturae, multum infectum reliquisse, nec ipsas Indorum, Persarum, Phoenicumque gentes ab ea sententia eximendas esse, ostenderimus: proxime [1]) attinet, ut

2) videamus, an forte *Mysteriorum Philosophorumque* in antiquis gentilium populis praecepta sanam de re gravissima docendi rationem praeoccuparint? inde vero B) ad *Judaeorum* Christo priorum dogmata transeamus.

Consideraturis igitur nobis

a) *mysteriorum* ethnicorum de re nostra disciplinam

α) initium faciendum erit ab *Aegyptiorum*, quae dicun-

1) Nulla nempe superesse nobis videtur prisci orbis natio, cujus publicae de immortalitate opiniones in censum veniant. Si enim de *Sinis* nos moneas, quam gentem et cana antiquitate insignem esse (sive eadem sit cum *Seribus*, in veterum commentariis hinc inde occurrentibus, sive minus) et artibus literisque ab ultima memoria expolitam, non facile dubitari possit; in vetustissimis illorum libris sacris, quos quinque, et quod excurrit, ante Christum natum seculis collegisse et interpretatus esse fertur *Confucius*, et in operibus, huic ipsi attributis, perpauca omnino deprehendes, quae ad vitae futurae cogitationem accedere quodammodo videantur, quae vero ibi de moribus fuse satis praecipiuntur, ab omni religione longo plerumque intervallo sejuncta esse animadvertes. Neque provocare juvabit ad *Foï* sectam, cui magna vulgi Sinici turba etiamnum adhaereat; ut enim aliquamdiu ante aeram Christianam semina ejus inter Sinas jacta esse verissime credantur, quae tamen ipsius de rebus post mortem futuris placita *primitus* fuerint, explorare non magis licebit, quam opiniones, recentiori aevo inter eandem vigentes, sanctioris doctrinae laude ornare, siquidem has ipsas, quamvis praemia quaedam ac supplicia a fatis futura indicant, cum *Indorum Sivitarum* de metempsychosi ultimoque animorum humanorum fine proxime collineare apparet. Conf. Duhalde Beschr. des Chinesischen Reichs, übers. mit einer Vorrede von Mosheim, T. III. Rost. 1749. p. 33 ss.

tur, mysteriis, vetustate sua cetera quaeque, ut videtur, superantibus et a sacra vulgi fide non parum remotis [2]); seu, ut distinctius loquar, a *sacerdotum Aegyptiorum interiore doctrina*. De cujus origine quicquid divinare placuerit; sive ab *Indis* eam derivaveris, quorum si non colonicum consortium [3]), at non infrequens certe cum Aegyptiis commercium fuit [4]), sive a *Persis*, qui, cum eos plus quinque ante Christum natum seculis bello subegissent, ad sua de rebus sacris placita, a plebis ingenio nimis aliena, sacerdotes certe traducere potuerunt [5]); quicquid igitur auguratus fueris de origine illius sacerdotum Aegyptiorum doctrinae εσωτερικης, ipsam profecto omnem cum Indorum Persarumque opinionibus multis modis conspirasse, nemo facile erit, qui inficias eat. Quae enim de ea memoriae prodita sunt a Graecis tum vetustioribus tum recentioribus, iisque Alexandrinis, sponte referuntur ad ideam unius cujusdam numinis, cum natura confusi, unde summae principesque vires, creatrix nempe, et conservatrix et deletrix ortum traxerint suum, resque omnes ac singulae, tam incorporeae quam materiales, genii potissimum animique humani effluxerint [6]).

---

2) cf. (diss. nostrae P. I.) p. 66 s.

3) cf. Polier Mythol. des Indous, Introduct. — cel. Schlegel über Mythol. und Sprache der Indier, p. 174 ss. 179. et cel. Creuzer Symbolik u. Mythol. der alten Völker p. 276 s. 339.

4) cf. cel. Heeren de mercaturae Indicae ratione et viis, in Commentatt. Soc. Reg. Götting. Vol. XI. p. 65 s. 70. 72, et ejusd. Ideen über die Pol. etc. der vorn. Völker der alten Welt, II. Th. Gött. 1804. p. 711 s.

5) cf. S. R. Horn über die bibl. Gnosis p. 281 s. Bruckeri hist. crit. philos. T. I. p. 281.

6) Numen scilicet illud summum sub *Athoris* deae nomine, quod testibus Jablonskio (Panth. Aeg. p. 10) et Zoega (Biblioth. der alten Literatur u. Kunst von Tychsen und Heeren Fasc. 7. p. 68) *noctem* significat, a sacerdotibus cultum; vim creatricem (masculinam) in Phtha, conservatricem (femininam) in Neitha, sequenti tempore, cum religio philosophica magis magisque in publicam transferretur, in Osiride atque Iside positam, malum principium s. vim deletricem in Tithrambo primum, dehinc in ipso quoque Typhone, vulgi numine, quaesitam esse, proxime sane ad veritatem accedit. Quae vero his ipsis involuta est emanationis idea, diserte etiam vario modo a philosophis Aegyptiis enunciata conspicitur; Jamblichoque ajenti (de mysteriis Aegypt. Sect. 8. c. 3.) materiam a deo, materialibus a semet ipso separandis productam, postea spiritui ordinatori subditam esse, apprime concinunt, quae de Athore s. caligine, nocte etc. veteres ex sacerdotum Aegyptiorum mente docuerunt, „ὡς ειη παρ' αυτοις ἡ μεν μια των ὁλων αρχη σκοτος αγνωστον ὑμνουμενη" v. Fragm. I. Damascii de principiis in Wolfii Anecd. gr. T. III. p. 260 ss. et in Cudworthi Syst. int. ed. Moshem. Jen. 1733.

Pertinebat vero ad hanc ipsam de Deo et mundo philosophiam, perfectam scilicet in se futuram atque omnibus numeris absolutam, ut mentes humanae, scaturiginis aeternae effluvia, rediturae aliquando in ipsam cogitarentur, quod per gradus vicesque varias factum iri, consentaneum erat statuere. Neque aliter statuisse comperimus sacerdotes Aegyptios. Μετεμψυχωσιν scilicet docuisse uno ore a veteribus traduntur [7]) et ita quidem, si HERODOTO [8]) fides habenda, ut animam fingerent intereunte corpore in aliud animal commodum nascens immigrare, et, postquam per omnia terrestria et marina et volucria (animalia) circuisset, denuo in hominis corpus natum immitti; omnem autem circuitum ab ea confici trium annorum millium spatio. An vero hanc sententiam cum praemiorum ac suppliciorum post mortem instantium doctrina conjunxerint et quomodo? an mentis, ut decet, emendandae atque perficiendae consilio eandem accommodaverint? et quae alia sunt ejusmodi, quae ad instruendum firmius pleniusque de ea judicium scitu necessaria essent, monimentis deficientibus non liquere fatendum est [9]).

---

fol. p. 393 et 413. cf. BRUCKERI hist. crit. philos. T. I. p. 289 ss. HORN über die bibl. Gnosis, p. 293—306. CREUZER, p. 310 ss.

7) v. (diss. P. 1.) p. 66. not. 56.

8) l. II. c. 123. p. 195. ed. BORHECK.

9) Aliter visum est doctissimo PAREAU, Commentat. saepius laudatae p. 56 ss. confidenter satis asserenti, Metempsychosin ex doctrina philosophorum Aegyptiorum unice ad *improbos* spectasse, *proborum* contra animos sursum ferri ad puriores plagas coelestes ac dehinc in Deorum consortium recipi eosdem existimasse. In cujus sententiae patrocinium affert duos veterum locos, alterum *Plutarchi* de Iside et Osiride c. 31. (ed. opp. HUTTEN T. IX. p. 144), PORPHYRII alterum, de abstin. ab esu an. L. IV. §. 10. Sed quamvis *Plutarchi* locus discrimen quoddam innuat, quod proborum inter et improborum animos circuitum suum facturos intercedere putatum sit, tantum tamen abest, ut ipsam migrationem restringat ad improborum animos, ut potius communem omnibus μετεμψυχωσιν non obscure inferat. Ita enim legimus: „Αιγυπτιοι δε πυρροχρουν γεγονεναι τον Τυφωνα νομιζοντες, και των βοων τους πυρρους καθιερευουσιν, ουτως ακριβη ποιουμενοι την παρατηρησιν, ωστε καν μιαν εχη τριχα μελαιναν η λευκην, αθυτον ηγεισθαι. θυσιμον γαρ ου φιλον ειναι θεοις, αλλα τουναντιον, ὁσα ψυχας ανοσιων ανθρωπων και αδικων εις ἑτερα μεταμορφουμενων σωματα συνειληφε." Quid vero inde clarius elucet, quam, *certa* quaedam animalia, coloris potissimum ratione distinguenda, pro aptissimis hostiis a sacerdotibus Aegyptiis habita esse ideo, quod *eadem illa* ab improborum hominum animis incoli existimarent, cum *alia*, acceptiora (φιλα), a proborum mentibus inhabitentur? Quod deinde attinet ad *Euphantum*, Pythagoreum, qui in loco *Porphyrii* modo citato Aegyptios nobilium condiendorum nomine ita precatos inducit: „ω δεσποτα ἡλιε, και θεοι παντες, οἱ την ζωην τοις ανθρωποις δον-

Sufficit nosse, omnia ista, quibus *Indorum* inprimis de emanatione et metempsychosi doctrina premitur, incommoda nec ab Aegyptiorum philosophica et arcana docendi ratione abfuisse, eamque omnem, quantum nobis quidem cognita sit, phantasiae potius lusibus, quam rationibus niti.

Mysteriorum Aegyptiorum effigiem

β) *Graeca* referebant, e quibus celebratissima omnium *Eleusinia* silentio praeterire eo minus liceret, quo majorem illis in augenda atque divulganda immortalitatis doctrina laudem tribuunt et veteres, ut videtur [10]), auctores locupletissimi et recentiores [11]). Neque negandi locus ul-

---

τες, προσδεξαθε με και παραδοτε τοις αϊδιοις θεοις συνοικον!" hunc equidem *populares* potius de conditione post mortem speranda opiniones, quam philosophicas expressisse conjecerim, cum et aptius multo fuerit in *publicis* funerum solennibus illas quam has sequi, et ipsa precum sententia a populari Aegyptiorum doctrina parum, quin nihil abfuisse videatur. *Osiris* enim, vel *Serapis* recentiorum, in quo ipso τον ηλιον coluit plebes, cum *Iside* et *Anubide Amenthi* mortuorumque judicio praefectus credebatur (Creuzer p. 316). Nec multum illa precum formula abhorret ab aliis, quibus defunctos suos prosecuti leguntur pii Aegyptii, vulgares itidem de inferis opiniones exprimentibus, ut illa: „det tibi Osiris frigidam" (v. Zoega de obeliscis p. 306), aut: „ευψυχει μετα του Οσιριδος!" cf. Creuzer p. 347. Add. locum *Aristophanis* in Ran. Act. I. Sc. 2. v. 162 s. ubi in maxima, qua initiati apud inferos fruantur, beatitate id ipsum ponitur, quod proximi portis Plutonis incolant:

„ουτοι γαρ εγγυτατα παρ' αυτην την οδον
„επι ταισι του Πλουτωνος οικουσιν θυραις."

10) Pertinent huc *Isocratis* potissimum ac *Ciceronis* loca haec: *Isocratis* Panegyr. (ed. Opp. H. Wolf. p. 107): — „και την τελετην, ης οι μετεχοντες περι τε της του βιου τελευτης και του συμπαντος αιωνος ηδιους τας ελπιδας εχουσιν" — *Ciceronis* de legg. II. 14. (ed. opp. Bip. T. XI. p. 379 s.): „Nam mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus, ex agresti immanique vita, exculti ad humanitatem et mitigati sumus: initiaque ut appellantur, ita revera principia vitae cognovimus; neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam *cum spe meliore moriendi.*" Quae licet trahere forsan licereret ad illam sacerdotum Eleusiniorum sponsionem, mystas post mortem cum Diis habitaturos maximaque beatitate fruituros, profanos luto mersos fore (relatam a *Platone* Phaed. ed. Bip. T. I. p. 157. 184. et aliis) neque igitur interpretari necesse sit de spe immortalitatis, in ipsis Eleusiniis studiose instillata animis, attamen, cum et *Celsus* apud *Origenem* (contra Cels. l. III. ed. Opp. *de la Rue* T. I. p. 501. et l. VIII. p. 777) ad doctrinam de praemiis suppliciisque futuris in mysteriis traditam diserte provocet, et nonnihil certe ejusmodi in ipsis Eleusiniis factum esse, ex aliis haud paucis veterum vestigiis (cf. not. 13) appareat, illa quoque loca eo spectare non inviti largimur.

11) v. e. g. Warburtonius (göttl. Sendung Mosis a. d. Engl. T. I. p. 195 ss.), Meiners (verm. philos. Schriften T. III. p. 274), Barthelemy (voyage du jeune Anacharsis en Grèce, ed. 3. Par. 1790. 8. T. V. p. 324), de Halem (über die eleusinischen Mysterien, Schriften II. B. Münster 1804.

lus est, ad vitae post mortem futurae praemiorumque a bonis, suppliciorum a malis apud inferos reportandorum exspectationem animis hominum initiatorum imprimendam, eoque ipso ad mores regundos atque mitigandos multum contribuisse sacra Eleusinia [12]). Sed eorundem ope ipsam de immortalitate animorum *docendi rationem* multum profecisse, equidem non video quibus documentis satis certis ostendi queat. Longe enim pleraque eorum, quae veteres auctores de rebus futuri aevi inter sacra Eleusinia tractatis nobis prodiderunt, eo fere redeunt, quod, ansam praebente historia *Cereris* et *Proserpinae*, quae deae ibi praeprimis colebantur, et poenae a malis in Tartaro sustinendae, et oblectamenta, a bonis in Elysio percipienda, scenica pompa oculis auribusque initiatorum repraesentata sint in eum fere modum, quo *Virgilius* Aen. l. VI. easdem res depinxit [13]). Quae etsi non nihili habenda sint, cum eas certe de inferis opiniones, quas *Homerus* adhuc *Hesiodusque* professi erant [14]), discrimine bonorum inter et malorum conditionem posito longe post se reliquerint, tantum tamen abest, ut rationi, mentium humanarum ultimos fines scrutanti, satisfecerint, ut potius, cum superstitionibus et popularibus et novis ritibusque tum insulsis tum turpibus intime connexa [15]), rudibus modo hominibus [16]), a sceleri-

---

p. 311 ss.); maxime omnium cel. Schelling (Philos. u. Rel. p. 77 s. coll. 68 ss.) et qui ejus scholae addicti sunt.

12) cf. digniss. C. N. Osiandri Progr. IV. de Mysteriis Graecorum, praesertim Eleusiniis, Stuttg. 1810. p. 9.

13) v. Lucianus in cataplo s. tyranno, ed. opp. Bip. T. III. p. 203. Aristides in Eleus. l. p. 287. Stobaeus serm. 117. ed. C. Gesneri, Tig. fol. 514 b. cf. S. R. Wegscheider de Graecorum mysteriis religioni non obtrudendis, Goetting. 1805. p. 69. et cel. Heyne Excurs. X. ad l. VI. Aen. ed. III. opp. Virgilii T. III. p. 338 s. Excurs. XIII. p. 355.

14) cf. (diss. nostrae P. I.) p. 59.

15) cf. S. R. Wegscheider l. c. p. 57 ss. „Inter ritus stolidos atque „ineptos numeraverim, quod in victu deligendo ridiculosissimi essent, v. c. „fabis, pomis ac piscibus, e quibus mullum religiose venerarentur (Aelian. „Hist. an. X. 1), sese abstinerent (Porphyr. de abstin. 416); quod vestes, „quibus induti sacra percepissent, amuletorum loco ad mala propitio deorum „Eleusiniorum auxilio averruncanda adhiberent (Aristophan. Plut. 846. 47. „schol.); quod mustelas et truncos tangere horrerent (Aelian. H. A. IX. 65. „X. 16), nec nisi porco, quem mysticum Aristophanes eumque imitans Ti„bullus appellat (Eleg. L. I. el. 10.) Cereri immolato (Aristoph. Acharn. 764. „747) ad sanctam illam mysteriorum disciplinam accedere iis liceret. Ipsi „asino, qui totum ad mysteria apparatum portabat, magnam habebant reveren-

bus quibusdam absterrendis et ad vitam justius gerendam, non ad animum ipsum plus ultra emendandum perficiendumque alliciendis apta, erectiora ingenia sibi conciliare, nedum immortalitatis fidem iisdem confirmare vix valuerint. *Sublimiora* vero *et puriora* de animi humani natura futuraque conditione praecepta iis certe innotuisse, qui ad *mysteria majora ipsamque* εποψιαν progressi fuerint, firmis argumentis probari non poterit. Animorum nempe vitam etiam natalibus antecedentem, eorum pristinam felicitatem, delapsum a Deo factum, poenas secutas reditumque quondam faciendum, metempsychosin denique in Eleusiniis pro-

---

„tiam (Aristoph. Ran. 159. et schol.) Jacchum clamitantes, vocem mysti„cam, etiam Bacchanalia celebrabant, et pompa incedentes phallumque, sym„bolum illud praecipuum in mysteriis cultum (Diodor. Sic. Bibl. I. p. 26. ed. „Wess. Jamblich. de Myst. I. 11. p. 21. ed. Oxon. Tertull. adv. Valent. „p. 1), portantes, scurrili et petulanti joco sese petebant et obtrectabant „(Aristoph. Ran. 395. Diod. Sic. Bibl. V. 4. p. 334) saltationibusque impudicis „pudorem honestatemque offendebant." Quae quidem omnia veterum testimoniis satis evicta habemus, exceptis forsitan, quae de phallo narrantur; ubi hallucinatum esse Tertullianum Petrus Castellanus (de festis Graecorum, in Gronovii thes. Antt. grr. T. VII. p. 663) et Meursius (de Eleusiniis l. sing. ib. p. 137) ostenderunt. Sed quod „Cereris potius mundum" spectandum praebitum esse ex Theodoreto (Therapevt. l. VII) et Clemente Alex. (Cohort. ed. Potter, p. 17—19) iidem auctores demonstrarunt, id quidem non majorem honestatis laudem sacris Eleusiniis conciliabit. Et quamvis facile largiamur, has aliasque similes pompae scenicae partes ad adumbrandam vim naturae genitricem spectasse (cf. digniss. Osiander l. c. p. 11), petulantiasque in istis sacris obvias occasioni, non consilio tribuendas esse, vicissim tamen concessum nobis iri existimamus, exilem illam de vita futura institutionem in Eleusiniis propinatam comites habuisse ritus, qui commodis moralibus, ab ea sperandis, magno adminiculo esse non potuerint. — Vix opus erit addere, *crassas* omnino fuisse *futurorum et praemiorum et supplicorum imagines* initiatis objectas. V. not. 13. cf. *Plato*, *Musaeum* et *Eumolpum* (poëtas Eleusinios), justorum praemia, injustorum supplicia canentes, tecte vero, quod cel. Tennemannus p. 108 ss. probabile fecit, ipsa Eleusinia perstringens, de rep. l. II. Opp. T. VI. p. 218. ubi inter alia: „ἡγησαμενοι" inquit „καλλιστον αρετης μισθον μεθην αιωνιον!" et *Aristophanes* in Ranis, Act. I. Sc. 2. v. 145 ss. coll. 158. Accessit *nova superstitio* haec, ut non tam probis quibusque et sapientibus, quam *initiatis* et Hierophantarum beneficio expiatis futura apud inferos felicitas, non tam malis in universum hominibus, quam *profanis* delapsus in lutum decerneretur (cf. e. c. *Aristophanem* Ran. l. c. v. 158. et Sc. 7. v. 454 ss. Scholiast. ad v. 158. *Diogenem Laërt.* l. VI. in Diog. ed. Col. 1616. p. 389); quod quamvis non omne vitae melius pejusve gestae momentum tolleret, cum ipsa mysteria in efformandis hominum moribus elaboraverint et quaedam certe scelerum genera reipublicae infesta apud inferos vindicanda, quaedam virtutum civilium genera remuneranda praedicaverint (cf. *Aristophanes* v. 145—151. et sc. 7. v. 456—459. add. cel. Tennemann l. c. §. 48. 50), moralem tamen praemiorum suppliciorumque exspectandorum efficaciam non potuit non magnopere infringere.

16) cf. Osiander l. c. p. 9.

posita fuisse eo modo, quem PLATO postea secutus sit, quod confidentissime prae aliis asseruit PLESSINGIUS [17]), de eo in antiquis monumentis parum vel nihil invenire nobis quidem contigit. Quod enim attinet ad pristinae animorum felicitatis, delapsusque ab ea facti opinionem *Platonicam*, istam quidem in locis Platonicis, a *Plessingio* allatis [18]), Eleusiniorum disciplinae nequaquam tribui, luculentissime jampridem ostendit cel. TENNEMANNUS [19]). Sin *Orphea* in partes vocent [20]), qui teste *Platone* (in Cratylo T. opp. ed. Bip. III. p. 264. coll. *Clem. Al.* Strom. l. III. p. 518) corpus humanum σωμα nuncuparit ea de caussa, quod anima in corpore hoc delictorum det poenas, et hoc septo valloque claudatur, velut carcere quodam, in quo σωζηται, i. e. servetur, quoad debita quaeque expendat; equidem non satis confido, Eleusiniis illico tribuere licere, quaecunque vel *Orpheus* (quamvis ille pro Eleusiniorum conditore plerumque venditatus sit) vel *Orphici* („οἱ αμφι Ορφεα" ut *Platonis* verba sonant [21])) docuisse leguntur. Neque aliter judicaverim de loco *Philolai* Pythagorei, a *Clemente Al.* l. c. allato [22]), ubi „*veteres theologos et vates*" animam ob poenas quasdam corpori conjunctam et quasi in monumento hoc (εν σαματι τουτῳ) sepultam dixisse narret; dubito enim, an veteres illi theologi atque vates, ad commendandam opinionem *Pythagoricam* a *Philolao* producti, pro hierophantis magistrisque Eleusiniis certo haberi possint. *Olympiodorum* vero laudantes: „σκοπος των τελετων εστιν" ajentem (in Plat. Phaed.) „εις τελος αναγαγειν τας ψυχας εκεινο αφ' ού την πρωτην εποιησαντο καθοδον ώς απ' αρχης", non multum egisse videbuntur consideranti, interpretationem ibi potius vel formulam ipsius *Olympiodori*, quam testimonium historicum haberi; si denique luctum *Cereris*, raptam *Pro-*

17) in Memnon. T. II. p. 91 — 288. add. cel. SCHELLING, Philos. u. Rel. p. 77.
18) e. g. in Phaedro, opp. ed. Bip. T. X. p. 328, 329. in Phaedone, T. I. p. 165.
19) in I. inscr. Lehren und Meinungen der Sokratiker über Unsterblichkeit, Jen. 1791. p. 93 ss.
20) cf. MEINERS Verm. philos. Schriften T. III. p. 305.
21) cf. S. R. SCHLEIERMACHERI vers. vern. P. II. T. III. p. 51.
22) cf. MEINERSII locum modo cit.

serpinam anquirentis, in mysteriis scenice depictum, pro animae delapsae et ad pristinam beatitudinem eluctantis imagine venditent, philosophos agent, non interpretes historicos, cum illa quidem imago valde dissimilis rei signandae fuisset. Sed ut vel maxime demus, tradita hinc inde quaedam in Eleusiniis fuisse, quae Platonicae de statu animi pristino etc. sententiae *quodammodo* congruerent, de quo, si ullus veterum locus persuadere nobis queat, persuadebit fragmentum *Ciceronis* ab *Augustino* l. IV. contra *Pelagium* servatum [23]): longo tamen intervallo haec abfuisse videntur a sublimiore illa ratione, quae animos humanos, ab omni primitus, quod corporeum et materiale sit, immunes, cum diis immortalibus conversatos et aeternum pulcri exemplar resque materiae expertes, quales in se sint, intuitos sistit; accessisse potius ad illam de metempsychosi doctrinam rudiorem, quae ab *Aegyptiis*, ut videtur, ad *Graecos* emanaverat. Ipsam certe quandam *metempsychoseos* doctrinam ab Eleusiniis non plane exulasse, complura *Platonis* loca dubitare vix sinunt [24]). Sed ea, quamvis sociata cum poenarum luendarum cogitatione, ita tamen hanc ipsam secum contexuit, ut crudum admodum et puerilem justitiae ultricis conceptum redoleret; ad interiorem vero animorum humanorum affectionem non magis quam communior illa de poenis praemiisque apud inferos reportandis sententia respiceret [25]). Ut paucis absolvamus, si ex iis,

---

23) v. *Ciceronis* fragmenta philosophicorum, ed. Opp. Bip. T. XII. p. 316. „Ex quibus humanae vitae erroribus et aerumnis fit, ut interdum veteres illi sive vates, sive in sacris initiisque tradendis divinae mentis interpretes, qui nos ob antiqua scelera suscepta in vita superiore, poenarum luendarum caussa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, verumque sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, atque eos, qui quondam, cum in praedonum Etruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur; quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata, aptissime colligabantur; ita nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse conjunctos." Quem locum etiam *Philolaico* illi apud *Clementem* lucem suam affundere, vix est, quod negemus.

24) De legibus l. IX. T. opp. IX. p. 38. 42. cf. cel. Tennemann l. c. p. 267 ss.

25) — „Και προς τουτοις" inquit *Plato* p. 38. „ὁν και πολλοι λογον των εν ταις τελεταις περι τα τοιαυτα εσπουδακοτων ακουοντες, σφοδρα πειθονται, το των τοιουτων τισιν εν ᾅδου γιγνεσθαι. και παλιν αφικομενοις δευρο αναγκαιον ειναι την κατα φυσιν δικην εκτισαι, την του παθον-

quae de Mysteriorum Eleusiniorum *interiore disciplina* comperta habemus, quae pauca sane sunt, neque esse non possunt in tanta, qua ista sacra obvelata erant, silentii servandi religione, ex iis igitur si judicium petendum sit de eo, quid immortalitatis doctrina Eleusiniis acceptum referat; negari non poterit, praeterquam quod praemiorum suppliciorumque post fata instantium expectatio populi animis altius ibi impressa fuit, cum *magnorum* praesertim Eleusiniorum mystis atque epoptis quaedam subinde communicata a vatibus philosophisque initiatis fuisse, quae immortalitatis doctrinam philosophicis rationibus *propius aliquantum* accommodarent, licet symbolis imaginibusque et ipsa involuta, ut eorum sensum reconditum pauci tantum attingerent perspicaciores [26]). Sed ea non minus quam illa de diversa bonorum malorumque apud inferos conditione decreta et temporum rationem sequebantur, cum, quae philosophi atque poëtae, progredientibus seculis, vel ipsi invenerint vel ab exteris didicerint, in Eleusinia sive minora sive majora introducerent; et parum profecto commodi afferebant ipsi, quae agitur, rei, cum ex parte, ut solebant, intellecta non possent non superstitiones in animis gignere, futurae vitae expectationi salubriori inimicas, immo penitius etiam perspecta ac modo philosophico exculta (quod factum a quibusdam epoptis esse sumere forsan licet) omnibus istis difficultatibus exponerent asseclas suos, quas ab emanationis futurique in naturam infinitam reditus opinione abesse non posse ostendimus [27]).

Ita vero, cum sponte jam tractatio nostra devenerit

b) ad *philosophorum gentilium* aera christiana priorum de immortalitate animorum perpendendas sententias, quae inde ad argumentum propositum ulterius illustrandum peti fortassis queant, breviter persequi non cunctabimur. Redibit vero res omnis ad *Graecorum Romanorumque* ve-

---

τος ἅπερ αυτος εδρασεν, ὑπ' αλλου τοιαυτῃ μοιρᾳ τελευτησαι τον τοτε βιον."

26) cf. *Plato* in Phaedone, opp. ed. Bip. T. I. p. 157. „εισι γαρ δη, φασιν οἱ περι τας τέλετας, ναρθηκοφοροι μεν πολλοι, βακχοι δε παυροι." cf. digniss. Osiander Progr. s. c. p. 19.

27) V. (in diss. nostrae P. II.) p. 75 ss.

teres philosophos, cum ceterae orbis antiqui gentes, ingeniorum cultura clarae, disciplinam philosophicam a doctrina vulgari vel sacerdotali sejunctam habuisse vix viderentur. *Aegyptiorum* enim philosophiam cum sacerdotum mysteriis jamjam recensitis unam eandemque fuisse, non est, quo moneamus; *Persica* libris Zendicis, quibus ipsa vulgi religio nitebatur, comprehenditur; *Indica*, quamvis diversa pro sectarum multitudine, libris tamen populo sacris inhaesit [28]), neque igitur cum publica opinione in summa re convenire non potuit.

Jam igitur, ut

a) de *Graecorum* philosophis videamus N) quicunque eorum sunt, qui *Socratis* aetatem superent, iis quidem longius immorari supervacaneum arbitramur. In iis enim quod magni in rem nostram momenti esset, vel quaeri vix poterit, cum, quaecunque ab ipsis facta comperimus philosophandi pericula atque rudimenta, ea omnia ad *physicam* potius mundi contemplationem rerumque externarum ortum complexumque *metaphysice* constituendum, quam ad animi facultates ac fines indagandos composita fuerunt, alienissima maxime a naturae humanae *conditione morali* solertius perscrutanda. Quod philosophandi genus ut sponte deduxit ad eam rerum omnium concipiendarum rationem, quae materialismi nomine insignitur, ita ab hac ipsa indole neque in animi humani natura constituenda recessit; et cum intimas mentis operantis volentisque vires rimari negligeret, in *substantia* ejus determinanda et ad mundi reliqui habitum componenda plerumque sese continuit, futura ejusdem, quae sperari posset, sorte vel plane praetermissa, vel obiter

28) Purissima, quam *Indi* norunt, philosophia, Dejotarum cultum despiciens, Brahmam ipsum, Wischnuum ac Sivam nonnisi pro variis virtutum summi numinis imaginibus habens, in Mahabarathi, libri sacri, parte quadam, Gertar titulum ferente, deposita est (cf. Poliea Introd. ad fin. et cel. Schlegel über Philos. und Sprache der Indier p. 147.); reducitur vero et ipsa ad pantheisticam rerum omnium ex uno numine profluvium cogitandi rationem (cf. utrosque auctores ll. cc.; praeterea alteram T. II. C. 16. alterum, loca Gertar afferentem p. 291 — 307), qua omnis Indorum doctrina imbuta est, cui *Seikorum* etiam, sectae recentioris aevi, placita (cf. S. V. Stäudlin über die Religion der Sicques, in libro: Beiträge zur Philosophie und Geschichte der Religion u. Sittenlehre T. I. 1797. p. 323.) superstructa esse videntur.

et quasi aliud agendo attacta, plerumque vero, ubi hoc fecit, in deteriorem modum efficta. In iis ipsis quidem, qui hanc in philosophando viam tenuere, fuerunt, qui *sentiendi* saltim et *intelligendi* vim in homine discernerent, et cum rerum omnium compagem non a sola vi motrice et animatrice, sed a mente quadam intelligente infinita suspenderent, intellectum quoque humanum, quasi mentis illius particulam, rerum caducarum numero eximerent [29]). Quo referendus omnino videtur, qui scholae philosophorum Graecorum vetustissimae, *Jonicam* dico, coronidem imposuit, *Anaxagoras*. Is enim animam sentientem, ψυχην, ab intelligente, νοϊ, princeps omnium certius distinguens, et spontaneum chaus motorem ac dispositorem, mundique conditorem constituit ipsum νουν, et, quicquid ejus inesset animantibus atque plantis [30]), hominum igitur potissimum intelligentes animos, aeternitatis, quae illi competeret, participes sine dubio fecit [31]). Nec multum inde cum antiquioribus suis asseclis abfuisse putari debet, qui compluribus olympiadibus illum antecessit, *Pythagoras*, quamvis a subtiliore summi principii notione aliquantum remotior; cum enim et ipse vim animi αλογον distingueret a φρονιμῳ, ζωην a ψυχῃ sensu eminentiore sumta [32]), hanc quidem e divina eademque aetherea mundi anima decerptam [33]) immortalem esse sumsit, aliam rationem non afferens [34]), at popula-

29) cf. cel. Reinhold Briefe über die Kant. Philos. Leipz. 1790. T. I. ep. X. p. 285 s.

30) v. e. c. *Aristoteles*, περι φυτων l. I. Opp. ed. *Erasmi*, Bas. 1539. T. II. p. 436 s.

31) cf. cel. Buhle Lehrb. der Gesch. der Philos. Gött. 1796. T. I. p. 218. et clar. Struve hist. doctr. Graecorum ac Romanorum philosophorum de statu animorum post mortem, Alton. 1803. p. 11 s. — Non obstat *Pseudo-Plutarchi* locus de plac. philos. l. V. c 25. (ed. opp. *Plutarchi* Huttenianae T. XII. p. 489), quamvis eum nec vitiosum pronunciare cum cel. Struvio, nec cum cel. Buhle (l. c. coll. p. 219. not. a) in eam sententiam interpretari velim, ut mortem neget aliud esse, nisi animae a corpore separationem. Non obstat, inquam. ψυχης enim, non νοος, θανατον τον διαχωρισμον ab *Anaxagora* perhiberi narrat.

32) cf. *Cicero*, Tusc. Qu. l. IV. c. 5. ed. Bip. T. X. p. 496. et *Diogenes Laërt.* l. VIII. in *Pythag.* ed. Colon. 1616. p. 584.

33) v. *Cicero* de nat. deorum l. I. c. II. ed. Bip. T. XI. p. 17. de Senect. c. 21. T. XII. p. 199. *Diog. Laërt.* l. c.

34) Quo factum, ut *Cicero* Tusc. Qu. l. c. 17. p. 376. *Platonem* diceret primum ferri de animorum aeternitate non solum sensisse idem quod *Pythagoram*, sed rationem etiam attulisse.

rem ita de animorum perennitate opinionem ejusque singularem formam ab *Aegyptiis* fortasse reportatam, metempsychoseos commentum puto [35]), cum rationibus suis physicis contexuit. Adjungimus *Heraclitum*, aequalem *Anaxagorae*, sed antiquioris Eleaticorum disciplinae non plane, ut videtur, expertem; is enim ultimi omnium rerum principii, purissimi nempe ignis, particulam mentem humanam imaginatus est, quam quo magis evaserit ab humido et corporeo immunis, eo puriorem, saniorem, sapientiorem evasuram, positoque in morte corpore ad beatissimam conditionem evectum iri docuit [36]). Ceteri, quos ex juvenili hoc aevo cognitos habemus, Graecorum philosophi doctrinam nostram aut silentio plane praeterierunt, aut mythico saltim et populari, non philosophico modo tractarunt, aut apertius obscuriusve repudiarunt. Praeterit, quantum nobis quidem liquet, *Thales*, scholae *Jonicae* pater; qui quamvis a quibusdam sequioris aevi auctoribus animorum immortalitatem docuisse primus perhibeatur [37]), considerata tamen omni,

---

35) Genuinam metempsychoseos imaginem, ab ipso *Pythagora* efformatam, nos latere, clariss. Struvium, l. l. p. 16 s. argumentis satis idoneis adstruxisse mihi persuasum est. Sed opinionem ipsam, quomodocunque a se deinceps excolendam, ab *Aegyptiis* asportasse philosophum, non suo demum ingenio excogitasse, a veritate parum certe abhorret. Praeterea enim, quod testem ejus rei habeamus non contemnendum, *Diodorum Siculum* scilicet (Bibl. l. I. c. 98. p. 110. cf. diss. nostrae partem I. not. 56. 57); omnis haec doctrina, una cum emanationis opinione, cui ab ipso quoque *Pythagora* annexa atque sociata prostat (cf. loca not. 33. citt.), et genium orientalem redolet, et, cum ante *Pythagoram* in Graeciam introducta fuisse non deprehendatur, ab eodem illata existimari vel deficiente testimonio historico deberet, cum per longam annorum seriem inter sacerdotes *Aegyptios* ipsum commoratum esse certo constet (v. *Diodor. Sic.* l. c. et c. 69. p. 80. *Cicero* de finibus l. V. c. 29. ed. Bip. T. X. p. 350. *Lucianus* in βιων πρασει, ed. Bip. T. III. p. 83. *Jamblichus* in vita *Pythag.* IV. 18. *Diogenes Laërt.* l. c. p. 568. *Clemens Alex.* Strom. l. I. c. 15. ed. Potter T. I. p. 354 s.), sed ad *Persas* etiam atque *Indos* peregrinatum esse, quicquid *Philostratus*, *Jamblichus*, Patres ecclesiae et ipse *Cicero* narrent, a Bruckero (Hist. cr. phil. T. I. p. 1003 ss.), consentientibus recentioribus arbitris probatissimis, b. Eberhardo, Tiedemanno, Buhle, Harlesio (ad *Fabrici* bibl. Gr. T. I. p. 758.), refutatum sit. Quo accedit, quod aliae quoque disciplinae Pythagoricae partes haud paucae cum Aegyptiaca ita concinant, ut inde fluxisse jure meritoque sumantur (cf. cel. Tiedemann, Geist der specul. Philos. T. I. p. 71).

36) v. Sextus Empiricus Pyrrh. Hypotyp. l. III. 230. et ad eum locum Fabric. p. 185. Lucianus in βιων πρασ. opp. T. III. p. 97.

37) Diogenes Laertius (l. I. in Thalete, p. 16) „ενιοι δε και αυτον", inquit, „ειπειν πρωτον φασιν αθανατους τας ψυχας· ων εστι Χοιριλλος ὁ ποιητης."

quam in philosophando tenuit, ratione hanc sibi laudem vindicare posse vix ac ne vix quidem putabitur. Qui enim aquariam illam suam mundi animam finxit in eum modum, ut κινητικην quidem poneret, sed cassam intelligentia, lapidesque non minus quam homines atque animantia permeantem [38]); nescio, quo tandem modo animos humanos aeternitati vindicare potuisset [39]), nisi ita fortassis, ut vim illam motricem, sub animorum forma in hominibus conspicuam, quam et ipsam ψυχην nuncupavit, principio ac fine carere contenderet [40]), quod licet nihil omnino ad rem nostram valeret, potuit tamen eo trahi ab iis, qui vel Graecae philosophiae perantiquam praestantiam celebrare, vel christianorum dogmatum vetustatem exemplis comprobare gestierunt. Mythicum sine dubio ac popularem modum *Pherecydes* tenuit, *Thaleti* fere aequalis, sine schola, quamvis eum senem *Pythagoras* audiisse, tandem sepeliisse feratur, quem, quod literis quidem exstet proditum, primum animos hominum sempiternos dixisse *Cicero* auctor est [41]). Quod in quem sensum dixerit, cum in ejus, quae supersunt, fragmentis nihil de hac re occurrat, accuratius definiri nequit; sed non longe in eo progressum illum esse ultra vulgares de altera quadam vita opiniones, sine magno errandi periculo inde conjicere licuerit, quod eum in mundi quoque universi origine explicanda priscas theogonias sectatum esse apparet [42]), et pauca illa, quae ex ejus de altera

---

cf. Suidam s. v. Θαλης, aliosque nonnullos ecclesiae Graecae scriptores a cl. Struvio p. 12. laudatos.

38) cf. Aristoteles Metaph. l. I. c. 3. ed. Erasm. T. II. p. 357. et de anima l. I. c. 5. T. I. p. 298. Diogenes Laert. l. c. aliique. add. Summe Venerandi J. F. Flattii nostri diss. inaug. de Theismo Thaleti Milesio abjudicando, Tub. 1785. b. Eberhardum libri inscr. Geist des Urchristenthums, T. I. p. 234—240. et cel. Boeckh in commentat. „über die Bildung der Weltseele im Timaeos des Platon" ins. libri inscr. „Studien, herausg. v. Daub u. Creuzer" T. III. p. 1—5.

39) cf. diss. Flattianam modo cit. p. 24. not. 68.

40) v. Diogenes Laert. l. c. p. 24. Clemens Alex. Strom. l. V. c. 14. ed. Potter. p. 704. coll. Flatt l. c. p. 9.

41) Tusc. Qu. l. I. c. 16. p. 375. Consentiunt alii veterum auctores haud pauci.

42) v. *Diogenes Laërt.* l. I. in Pherecyd. p. 84. *Maximus Tyrius* in diss. XXIX. et *Clemens Alexandr.* Strom. l. VI. c. 2. p. 741. et c. 6. p. 767. coll. l. V. c. 8. p. 676. ubi ἡ Φερεκυδους θεολογια του Συριου per aenigmaticam obscuritatem similis esse dicitur Heracliti de natura libro.

vita placitis *Porphyrius*, dubium quam sincere, servavit, poëticam potius quam philosophicam rationem sapiunt [43]). Nec multo secus judicare fas erit de *Empedoclis*, exercitatioris licet scholarum priorum studiis philosophi, circa animorum post fata conditionem sententia. Is enim, quamvis e chaus unitate quatuor elementa, unum alterius scaturiginem, motu fortuito prodiisse, deinde ex iisdem, per discordiam amicitiamque vario modo et separatis et conjunctis, res in universo omnes ortas esse ac oriri fingeret, redituras tandem, post certos temporum decursus, in monadem chaoticam, animos vero ipsos ex cunctis illis quatuor elementis, immo ex discordia quoque et amicitia compoueret [44]), et sanguine ali existimaret [45]), cum hac ipsa tamen philosophandi ratione prorsus mechanica conciliare posse sibi visus est metempsychoseos doctrinam ita quidem conceptam, ut animos seu daemonas cum Deo olim commoratos ad poenas delictorum luendas triginta annorum millibus exules migrare caneret per omnem naturae ambitum, per animantia varia ac plantas [46]), donec ad deorum com-

43) *Porphyrius* de antro Nympharum ed. Cantabr. p. 269. speluncas quasdam ac portas somniasse *Pherecydem* perhibet, per quas ascendant descendantque animae, cf. b. Eberhardum l. l. p. 287. Sed confidentius justo divinantem video hunc ipsum auctorem celeberrimum (p. 284—286), *Pherecydis* de animorum immortalite sententiam eo rediisse, ut animam hominum ante nativitatem daemonum instar i. e. ut meram puramque omni corpore mentem vixisse, eamque conditionem mortis beneficio resumere statuerit. Quod equidem et alienum censeo ab omni, quam in *Pherecyde* animadvertimus, cogitandi ratione, et supervacaneum plane ad *Ciceronis* aliorumque pro *Pherecyde* testimonium cum antiquiorum illo auctorum immortalitatis doctrinam anticipantium locis conciliandum. Loquitur enim *Cicero* non de auctoribus cujusvis generis (poëtis v. c.), sed de philosophis, et iis quidem, quorum scripta exstent; in quibus *Pherecydem* principem fuisse, qui animos sempiternos dixerit, verissime asserere potuit, licet, ut *Ciceronis* verbis utar, „etiam alios tot seculis" idem (antea quoque) dixisse crediderit. cf. Is. *Casaubonum* in notis ad *Diogen. Laërt.* de Thalet. (editionis nott. ad Diog. additae editioni Colon. p. 11 s.).

44) cf. *Aristoteles* phys. ausc. l. VIII. T. I. p. 193. *Diog. Laërt.* l. VIII. in Empedocl. p. 615 s. *Aristoteles* de anima l. I. T. I. p. 297.

45) v. *Cicero* Tusc. Qu. l. I. c. 9. p. 367. *Pseudo-Plutarch.* de plac. philos. l. IV. c. 5. T. XII. p. 443. et alia loca complura.

46) v. *Empedocles* apud *Plutarchum* de exilio c. 17. ed. Opp. Hutt. T. X. p. 387. ita canens:

„Εστι τ' αναγκης χρημα, θεων ψηφισμα παλαιον,
„Ευ τε τις αμπλακιῃσι φονῳ φιλα γυια μιῃνῃ,
„Τρις μιν μυριας ὡρας απο μακαρων αλαλησθαι
„Δαιμονες οἵτε μακραιωνες λελογχασι βιοιο,
„Την και εγω νυν ειμι φυγας θεοθεν και αλητης."

mercium tandem aliquando redituri sint [47]). Quae nolim equidem cum *Moshemio* [48]) et *Bruckero* [49]) inde explicare, quod duplicem animam, superiorem alteram et daemonicam, alteram inferiorem, sensitivam atque ex elementis conflatam, *Empedocles* posuerit, cum neque suppetant ulla vel ipsius vel aliorum veterum auctorum loca huc facientia, neque ita distinguere in *Empedoclem* omnino cecideritquippe qui, ut taceam universum philosophiae ejus ingenium, non nasci tantum et perire hominem ullum aperte negarit (quod iis nominibus subesset, mera elementorum mutata mistione absolvi ajens [50])), sed sentiendi quoque et cogitandi vim unam eandemque dixerit [51]), hominum vero animos (nullo discrimine adhibito), immo ipsos daemonas futuro exitio manciparit [52]). Proxime potius a vero abesse mihi videtur, *Empedoclem* opiniones de daemonibus, de animorum migratione futuroque in deorum sedes reditu extrinsecus haustas [53]) suis cum philosophematis contexuisse

---

(coll. quae ex *Empedoclis* sententia *Plutarchus* addit); idem ap. eund. de Iside et Osir. c. 26. T. IX. p. 136 s. de vitando aere alieno, c. 7. T. XII. p. 215 s. et *Diogenes Laërt.* l. VIII. in Emped. p. 616.

47) v. *Empedocles* in poëtica philos. ap. *Clem. Al.* Strom. l. V. c. 14. ed. *Pott.* p. 722 s. et *Plutarchus* de Iside et Os. p. 137.

48) Ad Cudworthi Syst. int. p. m. 34 s. not. 24.

49) In hist. crit. phil. T. I. p. 1117 ss.

50) *Plutarch.* adv. Colot. c. 10. T. XIV. p. 151 s.

51) cf. *Aristoteles*, Metaph. l. III. T. II. p. 374. ubi *Empedoclem* non minus quam *Democritum* sensum cum intellectu confudisse, mutantesque externam conditionem (ἕξιν) eo ipso intelligentiam (τὴν φρόνησιν) quoque mutare putasse disertis verbis perhibet; licet ipsos *Empedoclis* versus ab *Aristotele* hac citatos aliam etiam interpretationem pati facile largiar.

52) v. quod animos humanos attinet, *Pseudo-Plutarchum* de placitis philos. V. 25. T. XII. p. 490.; quod daemonas, *Plutarchus* de def. orac. c. 16. T. IX. p. 325. unde δαίμονες μακραιῶνες in versibus not. 46. enotatis. — Add. Tiedemann, Geist der spec. Philos. T. I. p. 257. b. Carus, qui (Gesch. der Psychol. Leipz. 1808. p. 192 s.) si non immortales, at primitus tamen cum numine conjunctas τας ψυχας *Empedoclem* censuisse observat; et clar. Struve, l. c. p. 23. 25.

53) Quidni opinionem metempsychoseos etc. a *Pythagoreis?* equidem non perspicio. Etsi enim *Pythagoreum* ipsum fuisse, longe absim ut contendam, cum magno sane intervallo universa qua usus est philosophiae ratio a *Pythagorica* distet; ipsa tamen, qua floruit, aetas et, quanti sapientiae suae fama condecoravit, civitas cum proximae fuerint ordinis *Pythagorei* et scenae praecipuae et juventuti vigentissimae, veterumque loca, quibus *Pythagorae* (quamvis ex temporum ratione perperam) aut *Pythagoricorum* discipulus dicitur (cf. *Diogenes Laërt.* l. VIII. in Emped. p. 601 s. *Philostratus* in vita Apollonii l. I. c. 1. ed. *Olearii* p. 2. *Sextus Empiricus* contra Math. l. VII. ed. *Fabric.* p. 388 s. l. IX. p. 580 s.) conversatum certe

tum genio suo poëtico, tum vulgi persuasionibus ac desideriis indulgentem. Eorum denique classi, qui animorum immortalitatem apertius tectiusve negarunt, *Eleaticorum* sectae et prior et posterior adscribi in universum possunt, e quibus cum prior illa, *Xenophanem*, *Pythagora* paullo juniorem, *Parmenidemque* secuta duces, cognitionem sensibus haustam plane fallacem perhibens, nihil re ipsa esse largita est, nisi quod ab aeterno esse, idemque unum et immutabile, mera ratio poneret; posterior, a *Leucippo* ac *Democrito* condita, in sensibus fraudis insimulandis cum illa conveniens, mundi quidem sensibilis mutabilisque veritatem noluit inficiari, sed, cum rerum universitatem omnem ex atomis et vacuo, sensui inaccessis, construeret, animum quoque humanum, sive (quam eandem cum illo finxit) ipsam mentem ex iisdem, quae corporibus substrata sint, principiis mechanice compositam esse somniavit, dissipatis in morte atomis resolvendam [54]. Sed ut de his ipsis, a quorum philosophandi genere immortalitatis doctrinam maxime alienam fuisse apparet, in antiquiorum Graeciae philosophorum numero longe praevalentibus, taceam, pauci etiam illi, qui eam doctrinam cum rationibus suis philosophicis aptius arctiusque conjunxisse videntur, *Anaxagoras*, *Pythagoras*, *Heraclitus*; non magnopere de ea meruisse putandi erunt. Praeterquam enim quod lubrico satis fundamento suam de animorum perennitate sententiam superstruxerunt, cum e mundi mente, principiorum subtilissimo, eos delibatos statuerent, ita etiam futuram post fata animorum sortem conceperunt nec potuerunt non concipere, ut ad morales naturae humanae fines perfectius perspiciendos, animumque aevi alterius spe et erigendum et efformandum parum inde commodi redundaret. Diversam enim bonorum malorumque conditionem a morte instantem *Anaxagoras* quidem et *Heraclitus* ne tetigisse quidem perhiberi queunt; *Pythagoras* autem, ut metempsychoseos dogma eodem, quo

cum vicinis *Pythagoricis* philosophum esse innuant; quis enim, quae similia cum his docuit, mutuatum ab iis esse, morose negarit?

54) *Pseudo-Plutarch.* de plac. phil. l. IX. c. 7. T. XII. p. 445. „Δημοκριτος, Επικουρος φθαρτην (την ψυχην λεγουσιν ειναι), τῳ σωματι συνδιαφθειρομενην." add. *Aristoteles* de respir. ab init. T. I. p. 445.

recentiores scholae ipsius asseclae, modo jam ipse adoptasse, mentes igitur humanas aliis dudum ante natales variisque corporibus inclusas, post mortem in aethera primum, hinc in nova vel hominum vel animalium corpora tanquam in carceres transituras finxisse [55]) credatur (quod quo jure fiat, ambigimus), ad mores tamen regundos eam opinionem vel nondum plane vel ineptius adhibuisse videtur, cum moralis illa metempsychoseos interpretatio, quae malorum animas in vilia, animalium potissimum, corpora, bonorum purorumque hominum mentes in humana meaturas esse posuit, dum modo a *Pythagora* vel antiquioribus *Pythagoreis* profecta sit [56]), deprimendis certe potius suaeque dignitatis sensu exuendis animis, quam erigendis et ad praeclara quaevis instigandis conveniat. Denique non praetermittendum censuerim, quod jam cel. PLATNERUS [57]) monuit, valde dubitari posse, physicam animorum perennitatem, an moralem immortalitatem vetustissimi illi philosophi intellexerint. De physica locutos esse eos ipsos, de quibus agimus, *Pythagoram, Anaxagoram, Heraclitum*, animosque humanos in communem mundi animam, sive igneam aethereamque (qualem cum *Pythagora Heraclitus* finxerat) sive incerta materie subtilissima (quod *Anaxagorae* placuisse videtur) constantem, aliquando redituros statuisse, omnis ejus, quam secuti sunt, philosophiae nexus mihi quidem persuadet; ne dicam, de *Heraclito* saltim hanc sententiam professo diserta testimonia, quamvis recentiora aliquantum, exstare [58]).

Praeterimus *Sophistas*, qui Eleaticae potissimum scholae placitis insistentes, *Protagora*, *Gorgia* aliisque duci-

---

55) v. *Diogenes Laërt.* l. VIII. in *Pythag.* p. 586 s. coll. p. 569 s. *Plutarchus* de usu carnium or. II. T. XIII. p. 245. *Aristoteles* de anima l. I. T. I. p. 299. *Lucianus* in βιων πρασει, T. III. p. 85.

56) Invenitur haec interpretatio in libro, qui *Timaeo Locro* inscribitur, de anima mundi (in *Platonis* opp. ed. Bip. T. X. p. 29 s.), quem suppositium esse et ex *Platonis* Timaeo consutum, inter peritos rei arbitros tantum non convenit. cf. cel. PLATNERUS, philos. Aphor. ed. post. T. I. p. 483. cel. BUHLE, Lehrb. der Gesch. der Philos. T. I. p. 228. cel. TENNEMANNUS l. l. p. 581 s. b. CARUS, Gesch. der Psychol. p. 186. et b. EBERHARDUS, Geist des Urchristenth. T. I. p. 350. ss.

57) Philos. Aphorismen, T. I. p. 482.

58) *Theodoreti* Therapeut. disp. V. ed. Opp. *Schulzianae* T. IV. p. 824.

bus, *scepticam* philosophandi rationem et amplectebantur et absolvebant, et, cum populi frivoli levisque auram captarent, religionem omnem ac, quas illa sanxerat, de hominum finibus opiniones in contemtum adducebant. Sed illi non ipsa tantum, qua longe lateque, in civium praesertim juventutem, grassabantur, funesta disciplina, at vero accuratiori etiam, quam praeibant, naturae humanae indagatione, ab ipsa lucri et imperii in animos hominum exercendi cupidine suasa, provocarunt ac praepararunt quodammodo primam, quae suo nomine digna esset, philosophiam, *Socraticam* dico: cum qua ב) novum plane stadium et omnis Graecorum philosophia et ejus inprimis, in qua versamur, opinionis historia ingressa est.

Socrates nempe, ab ipsis veteribus ea maxime laude insignis, quod philosophiam a coelis primus in terram vitamque hominum revocarit, cum videret, in quas dubitationis, incertitudinis impietatisque voragines praecipitem sese dederit philosophia, in res externas ex summis principiis repetendas, mundique universi ambitum audaci speculatione construendum versa: hominumque ac civium mores depravatos, imminentis exitii augures, doleret; divertendum ratus est a mundo externo ad internum, quem hominum natura constituat, periculumque faciendum, anne in hoc potius campo certa veritas expugnari, certae aeternaeque leges detegi possent? Qua in re ut summo studio versatus est, et semetipsum, quod Apollo Delphicus jusserat [59]), in volendo potissimum atque agendo diligentissime explorans, et ad aliorum hominum vitas actionesque, quibusnam momentis regerentur, quibusnam legibus regundae essent? indefesse attendens, ita compos voti ac philosophiae moralis pater evasit. Sed fieri non potuit, quin eadem via ad mentis humanae, quae actionibus hominis omnibus domina, velut mens aeterna mundo, praeesset [60]), sublimem dignitatem agnoscendam deduceretur, ideoque persuadere sibi nunquam posset, animam, quam, dum vita manserit,

59) cf. *Xenoph.* Mem. l. IV. c. 2, 24. ed. Zeun. p. 253 s. et *Cicero* de legg. l. I. c. 22. T. XI. p. 359 s.

60) v. *Xenophon*, Memor. Socr. l. I. c. 4, 8. p. 56 ss. IV. 3, 14. p. 267.

invisam licet oculis, esse tamen ex operibus apparuerit, cum corpore vitaque visibili perire, *liberiorem* potius eandem et *prudentiorem* perennaturam esse divinaret a vecordi aliquando corpore separatam [61]). Verum enim vero, licet longe absim ut *Socratis* de re nostra meritis detrahere vel tantillum velim, quae in eo maxime posita putem, quod morali naturae humanae praestantia ductus ad animorum perennitatem credendam tantopere inclinarit, eamque talem cogitaverit, qualis menti intelligenti conveniret, et, quod caput est, ipsis illis, quae de morali hominis fine primus praecepit, immortalitatis doctrinam tacite, sed firmissime stabiliverit; fatendum tamen videtur, nondum satis momenti huic doctrinae sapientissimum virum in scholis suis tribuisse, nondum satis diligentiae impendisse [62]) neque ita, ut decuit, eum ipsa religione interna conjunxisse aut ad animos efformandos adhibuisse [63]); praeterea non solum argumenta pro illa confirmanda colligere exequique neglexisse [64]), sed etiam dubitantius subinde de spe ipsa locutum

61) *Xenophon*, Cyropaed. l. VIII. c. 7. ex rec. Hutchins. Lips. 1774. p. 352.

62) Id quidem vel inde apparet, quod nec *Xenophon* in libro, quo memorabilia magistri effata collegit, ullum ejus de immortalitate sermonem affert, nec alii ejusdem discipuli, quorum de dogmatis Socraticis scripta *Diogenes Laërtius* titulis additis recenset (l. II. in Critone, Simone, Simmia, p. 169 ss.) aliquam ejus de re nostra tractionem servasse traduntur. cf. cel. Tennemann l. c. p. 542 ss.

63) Ne id quidem sufficienter demonstrari posse videtur, diversam bonorum malorumque in altera vita sortem a *Socrate disertis verbis* fuisse indicatam, nisi, quae in *Axiocho*, *Aeschinis Socratici*, ut ferunt, dialogo, de immortalitate animorum disputantur, ab ipso *Socrate* profecta esse, sumseris (quod equidem in medio relinquere malim). Ibi enim (ed. Opp. Platonis Bip. T. XI. p. 194 s. 197.) eos, qui probe pieque vixerint, beatos fore, ceteros secus, variis modis docens inducitur *Socrates*.

64) Inter ea, quae Cyrus moriens ap. *Xenophontem* (Cyrop. VIII. 7.) ad animi immortalitatem defendendam profert (quae e *Socratis* disciplina hausta esse, vix dubitari potest), plurima ejusmodi sunt, ut vel dubia potius removere, quam rem ipsam probare valeant (ut illud: animam, dum in corpore vivat, videri non posse), vel analogia quadam nitantur (ut illud: animam in somno sensuum ope destitutam operari adeo non desinere, ut liberior potius perspicaciorque esse videatur) vel vulgares opiniones, superstitiosas satis, in subsidium vocent (ut illud: trucidatorum animas experientia teste terrores injicere homicidis, mortuosque ideo solere coli, quod sint, in quos imperium habeant). Si, quae in *Axiocho* occurrunt, mere Socratica habere liceret, optimum ex omnibus, quae pro hac doctrina *Socrates* protulisse videtur, argumentis ibi obvium esset, id scilicet: tantam esse animi humani vim, tanta conamina, tantam scientiam, ut divinum illi spiritum quendam, mori nescium, inesse non possimus nobis non persuadere (Axioch.

esse [65]). Quae omnia licet rectissime excusentur in philosopho, qui ad practicam sapientiam moresque hominum moderandos totus conversus, a theoreticis quaestionibus pro ingenii sui indole alienior, et Sophistarum etiam culpa absterritus fuit; ideoque credere agendoque sequi, quam demonstrare gravem istam doctrinam maluit [66]), qui denique eam plane ante se incultam invenerat; eo tamen magis elucebit summus ejus discipulus *Plato*, qui, quae occasione forte oblata tetigerat magister, solerti studio peculiariter illustravit, cum omni disciplinae suae ambitu aptissime copulavit, rationibus acutissimis confirmare et ad religionem vitamque bene gerendam accommodare annisus est, ita ut tractationis de animorum immortalitate vere philosophicae primus inter Graecos auctor, idemque a nullo Graecorum Romanorumve philosophorum superatus, jure audiret, quid? quod omnibus omnino, qui in eadem re posthac versati ac bene meriti sint, palmam praeripuisse videri posset. Sed haec altioris indaginis sunt, quin limites scribendi nunc nobis positos excedant.

---

l. c. p. 193). Sed ibidem ad antiquos quoque de Tartaro et Elysio mythos provocantem deprehendimus philosophum (p. 194 ss.).

65) In *Platonis* apol. Socratis ed. Bip. T. I. p. 93. „δυοιν γαρ ϑατερον εστι το τεϑναναι. η γαρ οἷον μηδεν ειναι, μηδ᾽ αισϑησιν μηδεμιαν μηδενος εχειν τον τεϑνεωτα, η, κατα τα λεγομενα, μεταβολη τις τυγχανει ουσα και μετοικησις της ψυχης“ etc. Qui locus etsi ipsam Socratis de immortalitate persuasionem dubiam reddere non facile possit (cf. cel. Tennemann, l. c. p. 552 ss. et b. Carus, Ideen zur Gesch. der Philos. p. 540 ss.), theoreticam tamen aliquam haesitationem in animo residuam sapit.

66) cf. b. Carus, Moralphilos. und Religionsphilosophie, Leipz. 1810. p. 294 ss.

VI.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,

QUID

DOCTRINA DE ANIMORUM IMMORTALITATE

RELIGIONI CHRISTIANAE DEBEAT,

EX CAUSSAE NATURA ET EX REBUS FACTIS

MONSTRANS.

P. 4. SECT. 1.

In philosophorum gentilium de immortalitatis doctrina meritis, prout consilii nostri ratio posceret, perpendendis ad PLATONEM usque deveneramus, cum sistenda aliquantisper scriptio esset. Restat, ut, quid et illi et ceteris, qui ante Christum floruerunt, Graecorum Romanorumque philosophis in re nostra tribuendum sit, brevi persequamur, antequam ad *Judaeos* et inde ad ipsum Servatorem ejusque discipulos converti possimus.

Jam quod attinet ad ipsum PLATONEM, eum quidem tractationis de animorum immortalitate vere philosophicae primum inter Graecos auctorem eundemque a nullo Graecorum Romanorumque philosophorum post se relictum esse, superius professi sumus. Ille scilicet tantum abest, ut ancipiti quadam immortalitatis exspectatione sese continuerit, ut potius constantissime docuerit contenderitque, animum humanum, quippe qui a corpore plane diversus sit, quin hominem ipsum per se solus constituat [1]), eum puta animum, in quo intelligendi, sentiendi volendique principium cernatur [2]), tum vixisse, antequam in corpus esset immissus [3]), tum victurum sine fine esse, postquam a corporis vinculis mortis beneficio liberatus aliquando fuerit [4]). Victurum vero ita praecepit, ut idem semper mansurus [5]), aut puram felicitatem, mente dignam (immunitatem nempe ab

1) Alcibiad. I. opp. ed. Bip. T. V. p. 56—59. ed. Phaed. T. I. p. 151. 153 s. 173.

2) v. locum modo cit. et Timaeum T. IX. p. 325 s. 386.

3) Epinom. T. IX. p. 251 s. de legg. L. X. T. eod. p. 89 s.

4) Phaedon. p. 146. 178. 183 ss. 200 ss. et locis innumeris.

5) Id enim, licet non disertis verbis enunciatum, sumsisse certe PLATONEM, ex locis Phaedon. p. 243 ss. Gorg. T. IV. p. 167. Menon. ib. p. 351. satis apparet.

affectuum cupidinumque imperio, in cognoscendo et agendo profectus prosperrimos, sapientiam veram, plenam cum semetipso concordiam [6]) beatumque cum diis aliisque bonis consortium [7])), si quae pia bonaque sint, non fecerit tantum, sed et cogitarit volueritque [8]), consequatur; aut, si sceleribus contaminatus vel prorsus depravatus e corpore migraverit, poenas subeat [9]), sive correcturas et expurgaturas, sive vindicaturas aliosque saltim absterrituras, sive desituras sive sempiternas [10]), corporis ac vitae terrenae inani desiderio, aliisque acerbis affectibus excruciandus [11]). Neque omisit, quod novum plane et inauditum videbatur [12]), ea, quae de animorum immortalitate docebat, variis argumentationibus ex philosophiae penu depromtis probatum atque confirmatum ire. In quibus quamvis essent, quae rationi, limitum suorum memori, minus convenire viderentur et incerto niterentur fundamento, ita tamen vel hae ipsae par-

6) Phaedon. p. 150 ss. 183 ss. Epinom. p. 274 s.

7) Phaedon. p. 143. — „ει μεν μη ῳμην ἡξειν πρωτον μεν παρα θεους αλλους σοφους τε και αγαθους, επειτα και παρ' ανθρωπους τετελευτηκοτας αμεινους των ενθαδε, ηδικουν αν ουκ αγανακτων τῳ θανατῳ. νυν δε ευ ιστε ὁτι παρ' ανδρας τε ελπιζω αφιξεσθαι αγαθους. και τουτο μεν ουκ αν πανυ διισχυρισαιμην. ὁτι μεντοι παρα θεους δεσποτας πανυ αγαθους ἡξειν, ευ ιστε ὁτι, ειπερ τι αλλο των τοιουτων, διισχυρισαιμην αν και τουτο." In eandem sententiam p. 184. Distinguit tamen p. 186 s. inter eos, qui *popularem* ac *civilem virtutem*, absque philosophia quidem et mente, sed ex consuetudine studioque ortam, exercuerunt, et eos, qui discendi cupiditate flagrantes et philosophati sunt et *puri penitus* decesserunt, hosque solos in deorum commercium confestim receptum iri praedicit. coll. p. 258.

8) Gorg. T. IV. p. 167 s. coll. nota proxime anteced.

9) Phaedon. p. 256 s. 184—186. 245.

10) — pro diverso nempe pravitatis modo, diversisque scelerum patratorum generibus. cf. Phaedon. ll. cc. et Gorg. p. 168 s. „προσηκει δε παντι τῳ εν τιμωρια οντι, ὑπ' αλλου ορθως τιμωρουμενῳ, η βελτιονι γιγνεσθαι και ονινασθαι, η παραδειγμα τι τοις αλλοις γιγνεσθαι, ἱνα αλλοι, ὁρωντες πασχοντα ἁ αν πασχοι, φοβουμενοι βελτιους γιγνωνται. εισι δε οἱ μεν ωφελουμενοι τε και δικην διδοντες ὑπο θεων τε και ανθρωπων οὑτοι, οἱ αν ι α σ ι μ α ἁ μ α ρ τ η μ α τ α ἁμαρτωσιν. ὁμως δε δι' αλγηδονων και οδυνων γιγνεται αυτοις ἡ ωφελεια και ενθαδε και εν ᾅδου. ου γαρ οἱον τε αλλως αδικιας απαλλαττεσθαι. οἱ δ' αν τ α ε σ χ α τ ά α δ ι κ η σ ω σ ι, και δια τοιαυτα αδικηματα α ν ι α τ ο ι γενωνται, εκ τουτων τα παραδειγματα γιγνεται. και οὑτοι αυτοι μεν ουκετι ονιναντται ουδεν, ἁτε ανιατοι οντες. αλλοι δε ονιναντται, οἱ τουτους ὁρωντες δια τας ἁμαρτιας τα μεγιστα και οδυνηροτατα και φοβερωτατα παθη πασχοντας τον αει χρονον, ατεχνως παραδειγματα ανηρτημενους εκει εν ᾅδου εν τῳ δεσμωτηριῳ, τοις αει των αδικων αφικνουμενοις θεαματα και νουθετηματα" κ. τ. λ.

11) Phaedon. p. 184—186.

12) cf. Cicero Tusc. Quaest. I. 17. „Platonem primum ferunt de animorum aeternitate non solum sensisse idem quod Pythagoram, sed rationem etiam attulisse."

tim sese habebant, ut propensum certe facerent animum ad immortalitatis suae fidem amplectendam, velut illa, quam ab ejus simplicitate et cum aeterna mente similitudine petiit [13]), praeterquam quod alias sibi rationes sociatas haberent, quae ex legis moralis auctoritate inviolabili aeternique rerum omnium gubernatoris summa bonitate desumtae [14]), et sensui communi acceptiores essent, et veriore momento, ab intellectus humani acriore examine nunquam labefaciendae, pollerent. Accedit (neque aliud quicquam ex iis, quae modo dicta sunt, augurari facile possis), quod doctrinam de animorum immortalitate non solum argumentis quibusdam suis, quibus ad eam probandam usus est, cum religionis legisque moralis rationibus arctius conjunxerit divinus philosophus, sed in eo ipso operam collocarit suam, ut, quae in vitae immortalis, praemiorumque ac poenarum futurarum exspectatione ad animum moresque corrigendos inessent incitamenta, diserte ostenderet inculcaretque [15]). Quo fit, ut prae omnibus Graecorum Romanorumque philosophis, qui doctrinam nostram, religione christiana nondum orta, tracta-

---

13) Argumentum a simplicitate desumtum exponitur Phaedon. p. 177 — 182. Cum quo arcte jungitur argumentum e *similitudine* mentis humanae, corpori imperantis, *cum divina* petitum, Phaed. p. 181 s. Epinom. T. IX. p. 252. 54. 55. (quale Socrati ipsi obversatum fuisse videtur, Xenoph. Cyrop. l. VIII. cap. 7. p. m. 352. conf. diss. nostrae part. III. not. 64.) et observatio illa, studiose satis exposita, animum, cum maxime sese a corpore segregaverit et in se ipsum collegerit, tum maxime cogitando vigere, Phaed. p. 145 — 159.

14) Phaedon. p. 243. „ει μεν γαρ ην ὁ θανατος του παντος απαλλαγη, ἑρμαιον αν ην τοις κακοις αποθανουσι, του τε σωματος ἁμα απηλλαχθαι, και της αυτων κακιας μετα της ψυχης· νυν δε επειδη αθανατος φαινεται ουσα, ουδεμια αν ειη αυτη αλλη αποφυγη κακων ουτε σωτηρια, πλην του ὡς βελτιστην τε και φρονιμωτατην γενεσθαι." coll. p. 258 s. et aliis locis. — Timaei p. 325. „το μεν συν δη δεθεν παν, λυτον. το γε μην καλως ἁρμοσθεν και εχον ευ, λυειν εθελειν, κακου. δι' ἁ και επειπερ γεγενησθε, αθανατοι μεν ουκ εστε, ουδ' αλυτοι το παμπαν. ουτι μεν δη λυθησεσθε γε, ουδε τευξεσθε θανατου μοιρας, της εμης βουλησεως μειζονος ετι δεσμου και κυριωτερου λαχοντες εκεινων οἷς ὁτ' εγιγνεσθε συνεδεισθε." conf. p. 326.

15) Ursit nempe philosophus id maxime, animum immortalem non hujus solum temporis, in quo vivere dicamur, sed universi gratia curandum emendandumque esse, Phaed. p. 243. de republ. l. X. T. VII. p. 310 s.; in ipsa vero animi immortalitate maximum incitamentum inesse contendit ad justitiam prudentiamque colendam sensusque et cupiditates omnes rationis imperio fortiter subjiciendas, quo fiat, ut, nobis ipsis et Diis amici, et hic et in altera, quae maneat, vita beate habeamus, de rep. X. p. 337 s. Phaedon. p. 150 — 154. Epinom. T. IX. p. 274 s.; denique futurae vitae poenas a sceleribus vehementer absterrere docuit, epist. l. VII. T. XI. p. 115 s.

runt, primas in hoc negotio uni PLATONI deferre nulli dubitemus.

Non desunt tamen, quae vel in ipsius de immortalitate animorum statuendi docendique modo, cum rationis religionisque desideriis comparato, jure possimus desiderare, sive futurae animorum vitae notionem ab eo efformatam, sive argumentorum, quibus *maxime* fretus est, genus, sive conditionis illius, quae animos a corpore separatos maneat, imagines ab eo propositas respexerimus. Quotiescunque scilicet de altera animorum vita disserentem audiamus PLATONEM, eam certe sui conscientiam, qua quis eundem sese esse sentiat, qui prius fuerit, defunctorum animis nullibi illum, quod sciam, vindicantem deprehendemus. Nam recordationem iis quidem (αναμνησιν) tribuit locis compluribus, at non ejusmodi, quae *recognoscat* prioris vitae sensa atque cogitata, sed quae iisdem simpliciter resuscitandis absolvatur [16]). Quantum vero sit, quod ita decedat immortalitatis formae, a nobis concipiendae; quanto minus ita satisfiat iis, quae natura hominum moralis postulat, numinisque supremi summa justitia ac sapientia ferre secum videtur, longius repetere [17]) et demonstrare hoc loco superfluum fuerit. Quod vero ad argumentationes, quibus PLATONEM *inprimis* usum esse reperimus, attinet, ex *interna animi humani rerumque omnium natura*, quam qualis per se sit, certo cognoscere hominis non est, illae quidem petitae fuerunt, ita igitur comparatae, ut intellectus, in se indagando ulterius progrediens, non potuerit non gravissimis contra eas dubitationibus intricari. Cum e. g. inde, quod spontaneam sese movendi facultatem habeat animus [18]),

---

16) cf. quae ad delineandam futuram animorum recordationem afferuntur in Menone, T. IV. p. 351. add. cel. TENNEMANNI Lehren der Sokratiker über Unsterblichkeit, Jen. 1791. p. 320 ss.; ubi tamen contra illam WARBURTONI (göttl. Sendung Mosis, teutsch, Frankf. et Lips. 1751. T. I. p. 549 ss.) sententiam (in libello: Abhandlung über das Verdienst der christlichen Rel. um die Lehre von der Unsterblichkeit, p. 16 s. certe non improbatam, a BUDDEO in Thess. de atheismo et superst. Jen. 1717. p. 260 s. anteceptam), quae immortalitatis cum sui conscientia conjunctae doctrinam PLATONI abjudicat, gravissimis argumentis philosophus defenditur (p. 578 – 592.).

17) cf. (diss. hujus part. I.) p. 47 — 50.

18) Phaedr. T. X. p. 318 s. cf. cel. WYTTENBACHII Diss. de quaest. quae fuerit veterum philosophorum inde a Thalete et Pythagora usque ad Senecam

aut inde, quod simplicium generi annumerandus sit [19]), interire eum dissolvique non posse PLATO ratiocinatur, in definienda interna ejusdem indole audacior esse videbitur, quam circumspectior, difficultatemque mere logicam cum eo, quod re ipsa fieri nequeat, confundere atque miscere [20]). Eodem referenda sunt illa demonstrationis genera, quibus animum neque ab externa, neque ab interna caussa ad interitum deduci posse ex natura malorum, quibus ille premitur, et ex ipso modo, quo rebus qualibuscunque exitium afferri possit, arguitur [21]), aut ex communi rerum omnium lege, qua, quicquid fit, nonnisi ex contrario sui, per continuos transeundi gradus, oritur, morti quoque vitam,

---

sententia de vita et statu animorum post mortem corporis, (ad judices Teylerianos scriptae 1783. et cum Hieron. de BOSCH et Anonymi de eadem materia disputationibus belgice et latine junctim editae Harlemi 1784. 4.) Sectionem V. novae editioni Phaedonis d. a. 1810. ab auctore iterum adjectam, p. XIX s. et cel. TENNEMANNI Syst. der Plat. Philos. T. III. p. 117 s. Lehren der Sokratiker p. 391 — 401.

19) v. locum Phaedonis not. 13. cit. cf. WYTTENBACH. l. c. n. XXXI ss. TENNEMANNI Syst. p. 109 ss. Lehren der Sokr. p. 327 — 350.

20) Quae nempe inest animo sponte agendi (sese movendi) facultas ita PLATONE cogitari debere putabatur, ut animus ipse pro absoluto quodam agendi principio haberetur, cui neque oriri conveniret neque interire („μονον η το αυτο κινουν, ἅτε ουκ απολειπον ἑαυτο, ουποτε ληγει κινουμενον, αλλα και τοις αλλοις ὁσα κινειται, τουτο πηγη και αρχη κινησεως. αρχη δε, γενητον. εξ αρχης γαρ αναγκη παν τὸ γιγνομενον γιγνεσθαι, στην δε μηδ' εξ ἑνος. ει γαρ εκ του αρχη γιγνοιτο, ουκ αν εξ αρχης γιγνοιτο τ. λ."). In quo ductus sine dubio fuit illa intellectus humani ratione, qua, cum animadverteret effectorum a quacunque caussa externa necessitatem, actionem prorsus spontaneam cum caussa aliena, in agentem agente, conciliare nescit, conciliarique posse, dum res in experientia obviae spectentur, re suo negat; neque vero plane sibi ipse constitisse videtur, cum easdem animas, quas absoluti principii loco posuerat, a Deo procreatas alibi (Timaei p. 312. 326.) doceat. *Simplicitatem* vero animae, talem, in qua recentiorum temporum philosophi firmissimum doctrinae de immortalitate praesidium deprehenderunt, nec monstrare annisus est Plato, nec eam, quam omnino defendit (positam illam in omnimoda animae a suo omnique corpore diversitate), aut aliam ullam, quae animae per se spectatae inesse dicitur, argumentis satis evidentibus evincere per rei naturam potuit; nec denique, ex simplicitate ad immortalitatem valere consequentiam, sufficienter ostendit, nam praeter partium dissolutionem interitum nullum esse, quicquid experientia doceat, pro certo statuere ratio humana haud possit.

21) de republ. l. X. p. 311 — 315. Quaecunque scilicet fuerint externa illa mala, quibus consumi videantur res pereuntes, necesse esse, ut internorum malorum formam induant, prius quam exitium afferre rebus possit, ut e. g. victus insalubritas nonnisi morbis inflictis corpus per se imbecillum destruere valeat; animo vero interna mala non inesse ejusmodi, quae ipsi dissolvendo atque perdendo paria putanda sint, cum injustitia v. c. tantum absit ab animo, cui insit, perdendo, ut potius vivacem maxime faciat et apprime vigilem, alios pro viribus perdens.

quemadmodum vitae mortem, succedere colligitur[22]), aut mortem denique ipsi animi naturae contradicere, inde concluditur, quod ille vitae fons sit[23]). Maxime vero hoc, quod diximus, mendo illa argumenta, ad confirmandam vel probandam immortalitatem a PLATONE prolata, laborare putanda erunt, quae cum doctrina *de ideis*, a summo philosopho efformata, quacum omnia, quibus usus est, suo quodam modo cohaerent, arctissime prae ceteris copulata deprehenduntur. Pertinet huc praeter id, quod modo commemoravimus, animum scilicet, quippe qui vitae ipsius fons sit, ea ipsa de caussa immortalem esse urgens[24]), illud etiam, quo e scientiae humanae, quae omnis recordatione constet, natura, animum prius quam in corpore vixerit, exstitisse colligitur[25]), unde deinceps, post mortem corporis eundem perennaturum esse, infertur. Ut enim taceamus, quam parum ejus generis argumenta valeant ad homines, a philosophica cogitandi subtilitate alienos; ipsa illa de ideis doctrina Platonica ejus, quod menti cogitanti proprium ac peculiare est, ad rerum objectarum naturam translatione omnis nititur, admirabilem quidem sententiarum sublimitatem gignente, at precaria rationisque theoreticae jura excedente. Praetermittimus ceterum alias etiam lacunas, in ratiocinationibus illis, quas praecipue fovisse diximus PLATONEM, residuas; quibus singillatim indicandis eo magis supersedemus, quo eae manifestius elucere existimandae sunt solertiori cuivis atque cautiori rerum philosophicarum arbitro. Validiora vero, communique hominum sensui morali conjunctiora argumenta, quamvis non plane omissa a PLATONE, at obiter indigitata atque delibata conspicimus.

Quod denique attinet ad ipsas, quibus futura animorum[26]) defunctorum conditio a philosopho descripta est,

---

22) Phaedon. p. 159 ss.

23) Phaedon. p. 227 — 240.

24) cf. cel. WYTTENBACHIUS l. c. p. XXXIII. s. XXXVIII. s.

25) Phaedon. p. 165 — 176. *Ideas universales*, inquit, sine quibus ne singularium quidem rerum notiones concipere valeremus, cum ex sensibus corporis hauriri nequaquam potuerint, *prius* in animo adfuisse oportere, quam corpus nasceretur.

26) In ponderandis argumentis a PLATONE ad demonstrandam animi immortalitatem prolatis universim conferri merentur cel. TENNEMANNUS, in l.

imagines, eas quidem ad prisca de Tartaro et Elysio, Minoë, Rhadamantho, Aeaco, aut de μετεμψυχωσει commenta accommodatas, et poëtice magis mythiceque quam philosophice effictas esse deprehendimus. Quanquam enim de statu animorum post mortem futuro certi quid praecipi posse ingenue negaverit[27]), et quasdam poëtarum mysteriorumque doctrinas improbaverit[28]), immo purius animisque ipsis dignius praemia ac supplicia futurae vitae descripserit[29]), ita tamen compluribus locis locutus est, ut opinionem de judicio a Minoë, Rhadamantho et Aeaco habendo confirmare atque exornare[30]), proborum animos corpore aeternum immunes, supra terram aut in stellis, improborum infra vel in Acherusia, vel in Tartaro collocare videretur[31]), hosque, cum corporis rerumque visibilium servitio sese dederint, vehementi desiderio ad visibilem locum retrahi corpusque tandem aliquod resumere poneret[32]); praesertim vero omni illi opinioni, quae animos defunctorum, donec ad summam tandem felicitatem pertingant, per

---

saepius l. Lehren der Sokratiker, 4 Abschn. p. 323—447. et in System der plat. Philos. T. III. p. 102—120. cel. Wyttenbachius l. l. p. XX—XXIV. XXVI. XXXIV—XXXIX. et clar. Linde in commentat. de solatiis adversus mortis horrores in Platone et Novo Testamento obviis, Lips. 1792. p. 14—16. — Notabilis est *Ciceronis* locus, Tusc. Quaest. l. I. c. 11. (Opp. T. X. p. 370.), quo auditorem, quid sibi Phaedonem dialogum lectitanti accidere soleat, fatentem inducit: „Nescio," inquit ille, „quomodo, dum lego, assentior: cum posui librum, et mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, assensio omnis illa elabitur."

27) Phaedon. p. 258 s. „το μεν ουν ταυτα διισχυρισασθαι ούτως εχειν, ώς εγω διεληλυθα, ου πρεπει νουν εχοντι ανδρι. ότι μεντοι η ταυτ' εστιν, η ταυτ' αττα, περι τας ψυχας ήμων και τας οικησεις, επειπερ αθανατον γε ή ψυχη φαινεται ουσα, ιδοιτο και πρεπειν εμοι δοκει, και αξιον κινδυνευσαι οιομενω ούτως εχειν. καλος γαρ ό κινδυνος, και χρη τα τοιαυτα ώσπερ επαδειν εαυτω."

28) De republ. l. III. T. VI. p. 261—63. „ταυτα και τα τοιαυτα παντα παραιτησομεθα Ομηρον τε και τους αλλους ποιητας μη χαλεπαινειν αν διαγραφωμεν. ουχ ώς ου ποιητικα και ήδεα τοις πολλοις ακουειν, αλλ' όσω ποιητικωτερα, τοσουτω ήττον ακουστεον παισι και ανδρασιν, ούς δει ελευθερους ειναι, δουλειαν θανατου μαλλον πεφοβημενους." de rep. l. II. p. 220 s. coll. p. 218. et cel. Tennemann Lehren der Sokratiker p. 103 ss.

29) Phaedon. p. 150. Gorg. loc. not. 8. cit.

30) Phaedon. p. 256. Gorg. T. IV. p. 164—172. Additur sub finem, non esse, quod haec et talia, tanquam aniles fabulae, derideantur, cum nec philosophi alia meliora invenire possint; quod ad *solam* de poenis praemiisque juste olim dispensandis doctrinam cum cel. Tennemanno (p. 511.) trahendi nullam in orationis contextu caussam inesse perspicimus.

31) Phaedon. p. 256. 258. Timaei (T. IX.) p. 326 s.

32) Phaedon. p. 186.

varia hominum et animalium corpora migraturos esse statuit, utcunque eam ad philosophica sua de divina mundi gubernatione justisque futurae vitae retributionibus decreta adoptaverit[33]), calculum tamen suum serio adjiceret[34]). Ubi quantumvis admiremur et ingenii foecunditatem ab eo explicitam, et rationis finibus moralibus intentae potentiam in ipsis mythis atque phantasiae lusibus conspicuam, et sapientiam denique philosophi fabulas populares in usum suum et rei gravissimae convertentis, inficias profecto ire non valebimus, singulares illas de alterius vitae conditione expositiones, praeterquam quod habeant, quae cum naturae nostrae dignitate non plane congruant atque ad portentorum genus proxime accedant[35]), ipsam de re gravissima doctrinam, utpote quam imaginationis imperio mancipent, ambiguam dubiamque reddere posse, et, cum a summa bonorum beatitudine quodcunque corporeum confidentissime

33) Ita nempe cum summa Dei gubernatoris sapientia atque bonitate conciliavit animorum in corporibus variis commorationem variamque prorsus sortem, ut unicuique animo eum locum, qui ipsi aptissimus internoque ejus statu dignissimus esset, ab ipso numine juxta aeternas leges assignari, commutari vero locum ab animo tenendum pro mutata ab ipso agendi ratione; neque puniendi solum animi, sed et probandi, excolendi perficiendique consilio, ideoque ad Universi etiam perfectionem augendam has migrationes ordinatas esse statueret; v. de legibus l. X. T. IX. p. 105 ss. conf. Phaedon. p. 184 ss. de republ. l. X. T. VII. p. 331 ss. Phaedr. T. X. p. 324 ss.

34) Quo minus enim haec cum Wyttenbachio (l. c. p. XLV.), Tennemanno (Syst. der plat. Philos. T. III. p. 124. coll. 122.) et Lindio (comm. laud. p. 17.) ex mythis popularibus simpliciter decerpta in consilii sui commodum vertisse, nec vero credidisse serioque docuisse putemus philosophum, vetat nos intimum, quo illa cum ceteris ejus de immortalitate disquisitionibus cohaerent, vinculum, vetant frequentissima atque studiosissima eorundem repetitio, vetant argumenta, pro metempsychosi ex ipsa animi natura aliisque philosophicis rationibus repetita (cf. Phaedon. p. 186. et not. 33), vetat denique ipsum illud *Platonis* monitum (Phaedon. p. 258 s.), quo, postquam de bonorum malorumque post mortem variis habitaculis migrationibusque et omni alterius vitae conditione uberius exposuerat, nihil *prorsus certi* de iis rebus asseri posse fatetur (cf. not. 27.).

35) Pertinet huc, quod in brutorum quoque corpora, et in eorum quidem, quibus in agendo similes per vitam evaserint, transferri quorundam animi pluribus locis sumuntur (Phaedon. p. 186. Phaedr. (T. X.) p. 326. Timaei (T. IV.) p. 327 s. 435 s. et al.), quod decem millium annorum stadium, in decem aequales periodos distinctum, integro animorum circuitui adscribitur (Phaedr. p. 324—326. cf. de rep. l. X. T. VII. p. 325. s. et al. loca), quod de terra nostra, quam nunc habitamus, tanquam verae terrae, multo praestantioris, mera voragine, de quatuor praecipuis fluminibus, Oceano, Acheronte, Periphlegethonte et Stygio s. Cocyto, animorumque per Acherontem, Periphlegethonta et Stygium variis meatibus multa narrantur, (Phaed. p. 249—259.), et quae sunt ejusmodi.

pariter ac studiosissime removeant [36]), non modo limitum, rationi finitae positorum, oblivisci, sed praesenti etiam, quam degimus, vitae ita detrahere, ut sapientior ejus usus impediri facile possit [37]).

Verum enim vero quantumcunque sit, quod in ipsis *Platonis* de immortalitate praeceptis desiderandum restet; fatendum tamen erit, inter omnes Graecorum philosophos maximam in hac re laudem eidem deberi, et, qui post eum in eadem gente inclaruerunt philosophando, retrogressos potius quam progressos esse in tractando argumento gravissimo.

Mittimus, qui proxime PLATONIS vestigia presserunt, *veteres Academicos*, velut SPEUSIPPUM et XENOCRATEM, quos licet de animorum etiam perennitate cum doctore consensisse [38]) eamque in libris a DIOGENE LAERTIO [39]) laudatis confirmasse censendi sint, plus tamen quam illum vidisse, ne divinando quidem locus erit.

Minime vero omnium praetereundus est celeberrimus PLATONIS discipulus, a quo alienorum philosophematum scientia, subtilissima naturae hominum intelligentis perscrutatione, et cognitionum humanarum omnium summa in continuam unius aedificii compagem construenda superatus etiam videtur, ARISTOTELES. Et is quidem, an negarit, an affirmaverit animorum immortalitatem, inter veteres trita controversia fuit. Quod ipsum, in quamcunque partem ive-

---

36) Phaedon. p. 150 ss. 187 — 190. 258. „τουτων δε αυτων οἱ φιλοσοφιᾳ ἱκανως καθηραμενοι, ανευ τε σωματων ζωσι το παραπαν εις τον επειτα χρονον, και εις οικησεις ετι τουτων καλλιους αφικνουνται.“ coll. Phaedr. T. X. p. 325 s. „εις γαρ το αυτο ὅθεν ἡκει ἡ ψυχη ἑκαστη, ου καθικνειται ετων μυριων (ου γαρ πτερουται προ τοσουτου χρονου)“ — add. Timaei (T. X.) p. 326.

37) Quamvis nimirum longe absimus ab eo, ut PLATONIS de vita animi in corpore doctrinam cum *Neoplatonicorum* in eam conviciis atque querimoniis confundamus, memores praesertim, esse loca, ubi honorem suum etiam corpori deferat, idemque aequabiliter cum animo colendum exercitandumque commendet; omnem tamen ejus de hac re sentiendi ac docendi rationem si summatim consideraverimus, facile profecto intelligemus, quomodo *Neoplatonicorum* fanatica disciplina oriri inde atque nutrimenta trahere potuerit.

38) cf. CICERO Quaest. acad. I. 11. IV. 39. ed. Opp. Bip. p. 50. 122. Tusc. Quaest. I. 10. ib. p. 368.

39) v. *Diogenis Laërtii* de vitis et dogm. philos. l. IV. p. m. 255. 260 s. De SPEUSIPPO idem disertis verbis „εμεινε μεν,“ ait, „επι των αυτων Πλατωνι δογματων, ου μην το γε ηθος διεμεινε τοιουτος.“

ris, indicio certe videtur esse, non tam clare de argumento nostro docuisse scholae Peripateticae auctorem, ut multum inde lucri illud hausisse existimandum sit. Sed eo sine dubio res redit, *animi quidem intelligentis* indissolubilem naturam professum illum esse, *animi sentientis* dissolubilem atque perituram, et, cum *recordationem* atque *conscientiam* a corporis sensibus suspenderet, *immortalitatem animi eam, quae recordationem atque conscientiam sui secum ferret, plane sustulisse*[40]). Quamvis enim in eo adstipularetur PLATONI, ut simplicem et divinitus ortum statueret[41]) animum rationalem ab eoque probe distingueret animum αλογον, ita tamen illius notionem informavit, ut eum per se spectatum in *mera* cogitandi *vi* poneret, quae *agere re ipsa nunquam posset*, nisi materia cogitandi ab animo sentiente αλογῳ suppeditata, cum contra PLATO ipsam cogitandi, partim etiam sentiendi cupiendique actionem *animo rationali* αυτοκινητῳ vindicaverit, *innatasque* homini *ideas* omni disciplinae suae fundamenti loco substruxerit[42]). Asseclae ARISTOTELIS, s. *Peripatetici*, vel omnem animorum immortalitatem negarunt, ut DICAEARCHUS[43]) et ARISTOXENUS[44]) et, quod

---

40) Palmarius locus est de anima l. III. c. 5. ed. Aurel. Allobr. 1605. T. I. p. 506. „ουτος ὁ νους χωριστος και αμιγης και απαθης τῃ ουσιᾳ ων ενεργειᾳ — χωριστεις δε εστι μονον τουτ' ὁπερ εστι, και τουτο μονον αθανατον και αιδιον. ου μνημονευομεν δε, ὁτῃ τουτο μεν απαθες. ὁ δε παθητικος νους φθαρτος, και ανευ τουτου ουδεν νοει." Add. Eth. ad Nicom. l. III. c. 9. T. II. p. 27. „φοβερωτατον δε ὁ θανατος. περας γαρ. και ουδεν ετι τῳ τεθνεωτι δοκει ουδε αγαθον ουδε κακον ειναι."

41) Novis id argumentis defendere annisus est *Aristoteles* de anim. toto l. I. p. 478 ss. cf. *Ciceronis* acad. quaest. l. I. 7. p. 45.

42) cf. *Attiqus* Platonicus, *Plotinus* et *Porphyrius* ap. *Eusebium* praep. evang. l. XV. c. 9—11. ed. VIGER. p. 808 ss. BUDDEI Thes. de atheismo etc. p. 261 ss. (ubi *Aristotelis* de anima opinio ingeniosius quam verius ex *Averrois* Peripatetici placitis explicatur), BUHLE Lehrb. der Gesch. der Philos. T. II. p. 573 ss. LORDII imago doctrinae de conditione animi post mortem eo, quo Christus et Apostoli vixerunt saeculo, Diss. I. Fridericostad. 1790. p. 7 sq. cl. STRUVE hist. doctr. Graecorum ac Romanorum philosophorum de statu animarum post mortem, Alton. 1803. p. 49—54. maxime vero cel. WYTTENBACHIUS in disput. nota 18. laud. Sect. VI. ed. Harlem. ad calc. p. LIX—LXIV., qui summam sententiae *Aristotelis* hanc fuisse ait, ut *animo* vitam quidem immortalem tribueret, sed eam vacuam a rerum singularium cogitatione, memoria, appetitu, voluptate, dolore.

43) Eum enim acerrime contra immortalitatem disseruisse, et complures libros scripsisse, in quibus efficere voluerit, animos esse mortales, *Ci-*

maxime certe ad verum accedere videtur, STRATO etiam *Lampsacenus*[45]), vel, ubi optime[46]), Stagiritae saltim

---

cero auctor est, Tusc. Qu. l. I. c. 31. p. 393. coll. ad Atticum L. XIII. ep. 32. T. opp. IX. p. 28. Nec desunt vestigia, unde, quanam via ex ipsius Stagiritae principiis ad hanc opinionem delapsus sit, colligi queat. Idem enim *Cicero* (Tusc. Qu. l. I. c. 10 ss. p. 368. 18. p. 377. 22. p. 382. Acad. Qu. l. IV. c. 39.), consentientibus SEXTO EMPIRICO (Pyrrhon. hypotyp. l. II. sect. 31. ed. FABRIC. p. 74.), JAMBLICHO (apud STOBAEUM Ecl. l. I. 52. ed. HEEREN, P. I. p. 871.) *animam omnem* penitus sustulisse, nomen ejus inane dixisse, ac quicquid sentiant, cogitent, velintque homines, non nisi a vi quadam in *organico corpore* aequabiliter fusa nec separabili a corpore derivasse DICAEARCHUM perhibet. Quod ipsum, si quidem rem, non verba spectaveris, nihil aliud est, quam, quod *Aristoteles* de anima sentiente, tanquam formae corporis organici principio, ἐντελέχειαν ejusdem, ab eo inseparabili, et una cum eo peritura, docuerat, licet omitteret discipulus, animam intelligentem cum doctore distinguere et quodammodo salvare. cf. clar. STRUVE libr. cit. p. 56. et append. C. p. 117 ss. ubi ex JAMBLICHI potissimum loco, contra cel. HEEREN (ad Stobaeum p. 871 ss.) vindicato, ista DICAEARCHI explicandi ratio adstruitur.

44) ARISTOXENUM, coaevum DICAEARCHO Stagiritae auditorem, animi immortalitatem negasse, CICERO (Tusc. Qu. l. I. c. 11.) et STOBAEUS l. l. 52. testantur. Cum enim *musices* principiis dilucidandis operam maxime navaret, incidit in eam opinionem (quamvis multo ante a *Platone* et ipso *Aristotele* refutatam), qua anima statueretur nihil esse nisi quaedam ipsius corporis intentio, velut in cantu et fidibus, quae harmonia dicatur. Quod, etsi possit (cum clar. STRUVIO l. c. p. 57 s.) a *Pythagoreis* animam pro numero habentibus derivari, satis tamen explicatur vel ex ipsa illa *Aristotelis* de animo sentiente doctrina, ad rationes musicas accommodata.

45) Fertur enim ille animam dixisse ipsos sensus esse (*Sext. Empir.* adv. Mathemat. l. V. sect. 350. p. 438 s.), et per sensuum instrumenta tanquam per fenestras quasdam prospicere, quod cum *Aristotelis* de anima sentiente placitis facile concilies (cf. clar. STRUVE l. c. p. 55 s.). Sed nihil, quantum veterum quidem testimonia suppetunt, de intellectu quodam, super illam animam eminente, cum *Aristotele* addit; omnis potius cetera, quam tenuit, disciplinae ratio persuadere nobis videtur, ab animi intelligentis atque aeterni cogitatione longe eum abfuisse. Omnia enim naturae phaenomena e fortuitis virium naturae primigeniarum conflictibus, ponderibus, motibus deduxit, intelligente mundi caussa exclusa. cf. *Cicero* de nat. Deorum l. I. c. 13. T. XI. p. 20. Qu. ac. l. IV. c. 38. T. X. p. 120 s. *Plutarchus* adv. Colotem. c. 14. T. opp. ed. HUTTEN. XIV. p. 163. aliaque veterum loca; quae miror, quomodo clar. STRUVIUM (p. 53.) non detinuerint a rectiore cel. WYTTENBACHII, immortalitatis adversariis *Stratonem* annumerantis, sententia (disp. cit. p. LXIV s.) deserenda.

46) Quamvis enim HERACLIDEM PONTICUM in suis de animo ejusque post mortem conditione opinionibus *Platonem* magis secutum esse, animosque, antequam in corpora redeant, in via coeli lactea habitantes sumsisse probabile sit ex JAMBLICHI ap. STOBAEUM (ecl. phys. L. I. c. 52. p. 904 ss.) fragmento (v. WYTTENBACH. p. LXVI.); an ipse *Heraclides* in Peripateticorum numerum proprie referendus sit, dubio locus est, cum varia ille variorum (*Aristotelis*, *Platonis*, *Pythagorae*) philosophemata suo modo conflata ad superstitiones suas praestigiasque accommodasse videatur. cf. *Cicero* de nat. D. l. I. c. 13. T. XI. p. 20.

in hac caussa sententiis institerunt, velut THEOPHRASTUS aliique [47]).

Sed aliae etiam, quae post SOCRATEM ac PLATONEM natae fuerunt, philosophorum familiae, tantum abest, ut illorum de immortalitatis doctrina meritis addidisse quicquam, quod operae pretium esset, perhiberi queant, ut eam potius neglexisse plerumque, quid? quod repudiasse atque impugnasse dicendae sint. Earum complures, ex ipsa SOCRATIS schola progressae, aut SOCRATIS et PLATONIS disciplinae penitus inhaeserunt, ut *Elica* a *Phaedone* Elico orta, a *Menedemo* Eretriaco *Eretriaca* deinde dicta, quae nec singularis sectae nomine distingui proprie posse, nec diu floruisse videtur [48]); aut philosophiae practicae, a SOCRATE introductae, tractationem cum *dialectices* argutiis, in scientiae commodum, conjungendam putarunt, ad *Eleaticorum* rationem sequendam magis certe quam ad immortalitatis fidem stabiliendam inclinantes, ut *Megarica*, ab *Euclide* Megarensi condita, a *Stilpone* aucta [49]), nec ipsa per longiorem temporis decursum propagata; aut *prorsus* ad *moralem philosophiae partem*, repudiata dialectica et physica, *versae*, ejusque principia ex hominum natura eruere annisae, ea philosophiae dogmata, quae religionem propius tangerent, et immortalitatis quoque doctrinam neglexerunt, immo labefactarunt, velut *Cynica*, ab *Antisthene*, *Socratis* discipulo, instituta, a *Diogene Sinopensi* majorem etiam famam nacta [50]), et *Cyrenaica*, *Ari-*

---

47) *Theophrastum* certe cum *Aristotelis* de animo placitis consensisse, THEMISTII (in Paraphr. Aristot. de anim. l. III. p. 91.) et STOBAEI (in Eclog. Phys. l. I. c. 52. p. 871.) testimoniis confirmavit cel. WYTTENBACHIUS p. LXIV.

48) cf. *Cicero*, Acad. Qu. IV. 42. p. 125 s. *Diog. Laërt.* l. II. p. 172.

49) cf. *Cicero*, l. c. et *Diog. Laërt.* l. II. p. 158 ss. 165 — 168.

50) Si unum *Eustathii* locum (ad *Hom.* Il. Ψ), a cel. WYTTENBACHIO p. LXVIII. allatum, excipias, qui *Antisthenem* animas (post mortem) corporis figuras habere docentem inducit (quo referri etiam potest illud *Ciceronis*, de nat. Deorum l. I. c. 13. p. 19., *Antisthenem* de diis idem cum *Socrate* sensisse); quid ceteri Cynici de immortalitate censuerint, plane silent antiqua monumenta. Quae enim huc pertinere videri possint *Diogenis Laërtii* de *Diogene Sinopensi*, *Menedemo*, *Menippo* annotata, ea quidem ita se habent, ut inde non tuto conjicere liceat, mortalem animum, an immortalem illi statuerint, cf. cel. WYTTENBACH. p. LXVIII. s. add. clar. STRUVIUM, p. 45 s. Sed ipsum hoc silentium indicio saltim videtur esse, non multum

stippum Socraticum, Cyrenaeum, secuta, quae summum bonum in voluptate, ex singulorum sensu metienda, σωφρονως percipienda, posuit, internum boni malique discrimen sustulit, libertatem igitur animi moralem atque immortalitatem tectius manifestiusve rejecit [51]).

Manaverunt vero e duabus posterioribus sectis aliae duae *Stoica* scilicet et *Epicurea*, illa e *Cynica* [52]), haec e *Cyrenaica* [53]); utraque et conditorum fama, et sodalium multitudine, ultra Jesu Christi aetatem, maxime prae ceteris insignis, utraque in philosophia morali potissimum, ad *Cynicae* et *Cyrenaicae* exemplum, occupata atque ad summum bonum, ultimasque, quas in agendo sequi oporteat, leges inveniendas intenta, sed severa illa et austera, haec facilis et lubidini favens; utraque physicum philosophandi genus nihilo magis aspernans, in quo cum illa ad *Heraclíti*, haec ad *Leucippi* et *Democriti* placita inclinaret, utraque materialem mundi caussam, materialem animi naturam, materialem atque empiricam cognitionem omnem statuit, ita tamen, ut illa *activum* mundi principium in igne aethereo poneret et vita, sensu, cogitandique facultate ornaret, animumque humanum (quem rationalem habuit omnem) ab eo derivaret; haec rerum universitatem ex atomorum fortuita collisione ortam, animumque ipsum, intelligentem e subtilioribus, sentientem e crassioribus atomis conflatum diceret. Ingens igitur et revera hostile inter utriusque principia philosophica intercessit dissidium, magna tamen in quibusdam et convenientia. Posteriori vero huic generi ea nominatim

---

curasse illos argumentum nostrum; quo accedit, quod recentiores certe Cynici intra practicae philosophiae limites sese prorsus continuerunt, opiniones-que populares cum aliorum philosophorum theoreticis sententiis acerbissime perstrinxerunt.

51) De ipso scholae *Cyrenaicae* conditore, quid de animi immortalitate statuerit, non memoratum est ab antiquis; e recentioribus vero hujus scholae asseclis, qui (excepto Anniceri etc.) in tractanda magistri de moribus disciplina ad impudentissimam usque legum honesti omnium ludificationem prolapsi sunt, non unum novimus, qui animorum post fata vitam diserte etiam negavit, Theodorum puta, cognomine Atheum (v. *Diog. Laërt.* l. II. p. 152 s.), et Bionem Borystheniten, religionis publicae irrisorem non minus protervum (v. eundem *Diogenem*, l. IV. p. 286 s. 291 s.).

52) v. *Cicero* de Orat. III. 17. T. II. p. 251. *Diog. Laërt.* in Antisth. l. VI. p. 373 s. 377.

53) v. *Cicero* l. c. et de finibus bon. et mal. l. I. c. 7 s. T. X. p. 147. 149.

accensenda sunt, quae doctrinam de immortalitate spectant. Cum enim *Zeno* et, qui eum secuti sunt, *Stoici*, ex eorum, quae bona aut mala dicenda sint, numero plane eximerent voluptatem atque dolorem, optimumque quemvis ac sapientissimum eo ipso beatissimum, pessimum atque insipientissimum eo ipso miserrimum statuerent; *Epicurus* contra cum asseclis suis summum bonum in ipsa voluptate eaque corporea (vel e corporis sensibus per recordationem orta)[54]) poneret, neutra certe secta ad immortalitatis fidem disciplinae moralis gratia amplectendam inclinavit, neutra si immortales esse docuisset animos, praemia etiam ac supplicia post mortem instantia urgendi, aut alio quocunque modo suam de immortalitate doctrinam cum morum praeceptis arctius conjungendi caussam habuit. Deinde, cum *Stoici* et *Epicurei* in eo conspirarent, ut in rerum materialium numero haberent animum humanum omnem (quamvis mundum mentesque separatione illi potius, hi compositionem natas existimarent), utrique ad mortalitatem quam immortalitatem animorum statuendam proniores certe non potuerunt non esse. Et *Epicurei* quidem apertissime professi sunt, animum, quemadmodum cum corpore nascatur, interire etiam cum corpore et in partes suas diffluere, inanemque prorsus esse inferorum, poenarumque post mortem futurarum formidinem; quam opinionem argumentis, e summis disciplinae suae rationibus petitis, confirmare allaborarunt[55]). Quod autem attinet ad *Stoicos*, eorum illi qui Christi aetatem antecesserunt (qui quid senserint, proxime ad rem nostram facit), in eo omnes consenserunt, animos humanos (quorum dignitatem originemque vere divinam summis laudibus evexerunt, tamen) sempiternos non esse[56]), de tempore tantum, quo perituri sint, in diver-

54) v. *Plutarchus* in l. non posse suaviter vivi secundum Epicurum c. III ss. ed. Hutten., T. XIV. p. 79 ss.

55) cf. *Lucretius* de rer. nat. l. III. 446—842. 1024—1036. *Diogenes Laërtius*, in *Epicuro*, l. X. p. 786 ss. add. *Ciceronem* de finibus l. II. c. 3. T. X. p. 218 s. Tusc. Qu. V. 31. p. 567 s.

56) v. *Cicero* Tusc. Qu. l. I. c. 32. p. 393 s. *Diog. Laërt.* l. VII. in *Zenone*, p. 534. *Arius Didymus* ap. *Eusebium* in praepar. evang. l. XV. c. 20. ed. Vigeri p. 821 s.

sas partes euntes. Cum enim alii eos cum ipso corpore interire aut in mundi animam redire statuerent [57]), alii contra, qui universum mundum aliquando combustum iri arbitrabantur [58]), manere animos omnes post corporis mortem, donec in communi omnium rerum per ignem dissolutione in illud sui et universae naturae principium resolvantur, aut solos *sapientum* animos post mortem superesse et ad modo dictum terminum per se permanere, *stultorum* vero animos vel ipso mortis momento vel breviore certe spatio interire docuerunt [59]). Jam, quibus perennare animos, sapientium certe, placuit, ii sensum etiam rerumque humanarum cogitationem et curam retinere eosdem sumserunt [60]);

---

57) Ita Panaetius, qui et rationes quasdam pro hac opinione attulit, teste *Cicerone*, Tusc. Qu. l. I. c. 32 s. p. 394 s. (cf. b. Meiners in Comm. quo Stoicorum sententiae de animarum post mortem statu et fatis illustrantur, verm. philos. Schriften, T. II. Lips. 1776. p. 276 s.) et plures, ab *Ario Didymo* l. c. notati his verbis: „ενιοι δε την μεν του ὁλου (ψυχην) αϊδιον, τας δε λοιπας συμμιγνυσθαι επι τελευτῃ εις εκεινην." Quae quamvis a cel. Wittenbachio p. LXXI. (praeeunte, ut videtur, Fr. Vigero, qui verba „επι τελευτῃ" in latina: „*sub interitum*" vertit) sic explicata inveniam: „reliquas autem *ita perire*, ut cum illa commisceantur;" tamen, vel admissa hac explicatione, de *interitu ipsam corporis mortem comitante* intelligenda esse omnis orationis contextus mihi persuadet. Dixerat enim *Didymus:* „Ειναι ψυχην εν τῳ ὁλῳ φασιν (οἱ Στωϊκοι) — τας δε λοιπας προσπεφυκεναι ταυτῃ, ὁσαι τε εν ζωοις εισι, και ὁσαι εν τῳ περιεχοντι διαμενειν γαρ τας των αποθανοντων ψυχας." Jam addit, de quibus quaerimus. Id igitur sibi velle videtur, plerosque *Stoicos* universi animae adjunctas putare animas animantium *atque defunctorum*, cum has quoque superesse arbitrentur; nonnullos autem hoc ipsum negare. Quod valde confirmatur iis, quae mox sequuntur: „την δε ψυχην γεννητην τε και φθαρτην λεγουσιν (sc. οἱ Στωϊκοι universim sumti). ουκ ευθυς δε του σωματος απαλλαγεισαν φθειρεσθαι" etc. Sed aptissime verba controversa ita reddideris, ut animarum in animam mundi reditum cum ipsa corporis morte instantem κατα ῥητον exprimant: „ceteras autem commisceri *in obitu* (επι τελευτῃ) cum illa."

58) Id vero ipsum addubitavit Panaetius, ut e Cicerone discimus, de nat. D. l. II. c. 46. p. 107. et Zeno (non sectae auctor, sed) Tarsensis, v. Euseb. praep. ev. l. XV. c. 18. p. 820.

59) Prius illud, *omnes* usque ad mundi exustionem superstites manere, Cleanthes, Zenonis discipulus, posterius, solos nimirum sapientium animos tam diu perdurare, Chrysippus, Cleanthis discipulus, praeter alios defendisse dicitur a *Diogene Laërtio* l. not. 56. laud. Add. locum Didymi ap. Eus. et *Pseudo-Plutarchi* de plac. philos. l. IV. c. 7. ed. Hutten. T. XII. p. 444 s. ubi ratio etiam ejus opinionis memoratur, haec scilicet, sapientium animos, tanquam validiores, aetatem tam longam sustinere posse, impares illi esse stultorum animos, quippe qui imbecilliores sint. — An ii, qui posteriorem sententiam sequebantur, statim cum ipsa corporis morte exstingui stultorum animos sumserint, an post aliquod demum temporis spatium; an forte de hac parte rei inter se ipsos dissenserint? vix confici posse videtur in tanta monumentorum penuria. Locus Didymi dissensum indigitat.

60) Id sine omni caussa his *Stoicis* abjudicatum video a clar. Struvio,

sursum nempe eos ferri, in loco Lunae subjecto versari ibique per aëris puritatem longius vitae tempus accipere; inspectores eos esse et genios (δαιμονας) bonorum hominum [61]). Stultorum malorumque animos qui superstites aliquamdiu manere existimarunt, quid de eorum loco ac conditione censuerint, plane non liquet; nisi quod *Pseudo-Plutarchus* (loco not. 61 allato) pravorum defunctorum animos pravorum hominum daemonas a *Stoicis* haberi perhibeat. De praemiis certe aut *suppliciis* post mortem instantibus ii quoque *Stoicorum*, qui omnes hominum animos ad mundi usque combustionem perennaturos esse duxerunt, quantum e monumentis fide dignis constat, accommodate ad omnem disciplinam suam [62]), nihil. — Quae omnia eo minus mira videri poterunt, cum recentior etiam Christoque posterior Stoa (quod non nisi obiter monendum hoc loco est) vix ulterius in re nostra profecerit. Quamvis enim, ut de primariis ejus auctoribus verbo dicam, SENECA, quippe qui non philosophus magis quam rhetor esset, multis locis scriptionum suarum, earum potissimum, quibus rhetorem egit [63]), de spe alterius vitae praeclara multa proferret, Socratica et Platonica in suos usus convertens, in iis ipsis tamen scriptis et in ceteris ad philosophicam rationem magis exactis aliae auctoris sententiae haud paucae occurrunt, quae

---

p. 48. Quare enim ii, qui animos post longos demum temporum decursus in animam mundi redituros posuerunt, eosdem jam antea omni sensu atque cogitatione privassent? Sed suppetunt praeterea veterum testimonia satis luculenta, e quibus contrarium apparet; cf. nota seq.

61) Id acute non minus quam erudite ex *Ciceronis* loco, Tusc. Qu. l. l. c. 17. 18. p. 376—378. quem cum plane simili *Sexti Empirici*, adv. Mathem. l. IX. sect. 71—74. comparandum esse ostendit, deinde e Stoico *Lucano* (Pharsal. l. IX. 1—8). *Diogene Laërtio* l. VII. p. m. 530 s. et *Pseudo Plutarcho* de plac. phil. l. I. c. 8. p. m. 374. post b. MEINERS (l. c. 285 ss.) demonstravit cel. WYTTENBACHIUS, p. LXXXII—LXXXV.

62) Quae enim MEINERSIUS (p. 291.) produxit, *Lactantii* (in Institut. l. VII. C. VII. §. 13.) et *Tertulliani* (de anima, c. 54) loca, *Zenonem* atque *Stoicos* sedes piorum ab impiis discretas, poenasque ab his in tenebrosis locis coenique voraginibus luendas, vel certe impiorum animas ad inferos detrudendas statuisse praedicantia, cum locupletiora veterum documenta, quod ipse MEINERSIUS fatetur, desint et omnis doctrinae *Stoicae* ratio reclamet, nihili in hac caussa habenda sunt, cf. cel. WYTTENBACH. p. LXXXV. et doctiss. CONZII nostri Abhandlungen für die Gesch. u. das Eigenthümliche der spätern stoischen Philosophie, Tub. 1794.

63) Consolationum e. c. ad Helviam, Marciam, Polybium, et epistolarum.

eam exspectationem plane incertam reddunt, quin animos vel statim post mortem vel in universi dissolutione in elementa sua redituros sumunt [64]). Tenuit igitur antiquae Stoicorum de animorum sorte opinionem, ubicunque in artis philosophicae formam disseruit; sed ubi liberius philosophatus est, ubi imaginationi (quam vivacissimam habuit), ubi sensui interno, ubi animi desiderio et affectui, ubi amicos consolandi studio plus dedit, ibi benigniora subinde Socraticorum et Platonicorum placita sermonibus suis intexuit eaque omni eloquentiae ornatu commendavit; ita tamen, ut scholae decreta modo expulsa usque quaque recurrerent illisque vel per dictionis ambiguitatem quodammodo sese agglutinarent, vel ipsa constantiae specie spreta,

---

64) Ita v. c. in consolatione ad Marciam c. 25. ed. Ruhkopf. T. I. p. 292. „ille (Marciae filius)" inquit, „integer, nihilque in terris relinquens, fugit et solus excessit: *paullumque supra nos commoratus, dum expurgatur, et inhaerentia vitia*, situmque omnem mortalis aevi excutit, deinde *ad excelsa sublatus, inter felices currit animas*, excipitque illum coetus sacer, Scipiones Catonesque, utique contemtores vitae et mortis beneficio liberi. Parens tuus, Marcia, illic nepotem suum, quamquam illic omnibus omne cognatum est, applicat sibi, nova luce gaudentem, et vicinorum siderum meatus docet etc." Sed mox cap. 26. Marciae patrem loquentem inducit et ita finientem (p. 295): „et cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus exstinguat, viribus ista se suis caedent, et sidera sideribus occurrent, et omni flagrante materia, uno igne, quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit. *Nos quoque felices animae et aeterna sortitae*, cum Deo visum erit, iterum ista moliri, labentibus cunctis, *et ipsae parva ruinae ingentis accessio, in antiqua elementa vertemur.*" Add. ib. c. 19. p. 278 s. „Cogita, nullis defunctum malis affici: illa quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse: nullas imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem etc. *Mors omnium dolorum et solutio est et finis: ultra quam mala nostra non exeunt, quae nos in illam tranquillitatem, in qua, antequam nasceremur, jacuimus, reponit. Mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: quod vero ipsum nihil est, et omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunae tradit. — Non potest id fortuna tenere, quod natura dimisit: non potest miser esse, qui nullus est.*"

Posteriorem hanc sententiam, disciplinae Stoicae magis convenientem, in scriptis philosophicam rationem tenentibus ubique praefert, velut in l. de tranqu. an. c. 11. T. I. p. 360. „*Appellaverit natura*, quae prior nobis credidit, et huic dicemus: recipe animam meliorem quam dedisti: non tergiversor, nec refugio; — *reverti unde veneris*, quid grave est?" De provid. c. 6. T. I. p. 321. „Contemnite mortem, quae vos *aut* (statim —) *finit, aut transfert*" (cf. clar. Struve, p. 70. s). In epistolis quoque saepissime (54. T. II. p. 234 s. 102. T. III. p. 282 ss. 120. p. 403 ss.) animam nostram, quae e mundi anima fluxerit, *in eandem post mortem reverti* contendit; immortalitatis exspectationem *pro bello somnio* habet, sed in aliis epistolarum locis Platonice et Socratice de rebus post mortem futuris loquitur (ep. 36. 57. T. II. p. 163 s. p. 249 s.).

simpliciter sese associarent, philosophumque optasse magis quam serio docuisse immortalitatem atque in omni hac caussa dubium haerere arguerent. Constantius etiam in scholae suae sententia perseverarunt *Epictetus* et *Marcus Aurelius Antoninus;* animum enim humanum post corporis mortem, si non subito, at spatio tamen non ita magno intercedente in sui elementum, in rationem omnium originem (λογον σπερματικον), s. in Deum rediturum esse docuerunt [65]); opiniones de Orco et Acheronte in nugis anilibus habentes, et, quicquid tandem in morte acciderit, non vituperandos Deos, forti autem ac tranquillo animo eam exspe-

---

65) *Epictetus*, *Senecae* fere aequalis, cum totus sit in moralibus disputationibus, raro admodum argumentum nostrum libavit; frequentius *Antoninus*, theoreticam etiam philosophiae partem in practicae subsidium subinde vocans. Uterque nonnullis locis ita loquuntur, ut *in ipso mortis momento* animum in animam mundi s. in Deum dissolvi videantur statuere, *Epictetus* in disputationibus *Arrianeis* l. I. c. 9. ed. Hier. Wolf. p. 42. („αφες ἡμας απελθειν, οθεν εληλυθαμεν" — ανθρωποι εκδεξασθε τον θεον, οταν εκεινος σημηνη και απολυση ὑμας ταυτης της ὑπηρεσιας, τοτ' απολυεσθε προς αυτον) et l. III. c. 13. p. 279 s. („οταν δε μη παρεχει τ'αναγκαια, το ανακλητικον σημαινει, την θυραν ηνοιξε, και λεγει σοι, ερχου. που; εις ουδεν δεινον, αλλ' οθεν εγενου, εις τα φιλα και συγγενη, εις τα στοιχεια. οσον ην εν σοι πυρ, εις πυρ απειειν. οσον ην γηδιου, εις γηδιον. οσον πνευματιου, εις πνευματιον. οσον ὑδατιου, εις ὑδατιον"); *Antoninus* eorum, quae ad se ipsum l. II. §. 17. ed. Wolle p. 33. („επι πασι δε τον θανατον ἑλεω τῃ γνωμῃ περιμενοντα, ὡς ουδεν αλλο η λυσιν των στοιχειων, εξ ὧν ἑκαστον ζωον συγκρινεται"), l. IV. §. 5. p. 56. („ὁ θανατος τοιουτος, οἱον γενεσις, φυσεως μηστηριον. συγκρασις εκ των αυτων στοιχειων" [add. „και διαλυσις"] ex conjectura Gataeeri „εις τ'αυτα," coll. l. X. §. 7. p. 214 s.), §. 14. p. 59. (ενυπεστης ὡς μερος. εναφανισθησῃ τῳ γεννησαντι. μαλλον δε αναληφθησῃ εις τον λογον αυτου τον σπερματικον κατα μεταβολην") et aliis compluribus locis. Sed iidem alibi innuere videntur, animos *per aliquod tempus* post mortem daemonum instar manere, deinceps demum in sui elementum redigendos; *Epictetus* ap. *Arrianum* III. 13. p. 280. („ουδεις φθης, ουδ' Αχερων, ουδε Κωκυτος, ουδε Πυριφλεγεθων. αλλα παντα θεων μεστα και δαιμονων"); *Antoninus* l. IV. §. 21. p. 61 s. (— „ούτως εις αερα μεθισταμεναι ψυχαι, επι ποσον σημμεινασαι μεταβαλλουσι και χεονται και εξαπτονται, εις τον των ὁλων σπερματικον λογον αναλαμβανομεναι, και τουτον τον τροπον χωραν ταις προσυνοικιζομεναις [leg. προσσυνοικιζομεναις ex conj. *Gatak.*] παρεχουσι"). — Quod vero *Epictetus* in *Enchiridii* fine (ed. Heyne p. 209) et ap. *Arrian.* (l. I. c. 29. p. 108. l. II. c. 2. p. 126. l. III. c. 23. p. 321 s.) *Socratis* illud: „ω Κριτων, ει ταυτῃ τοις θεοις φιλον, ταυτῃ γενεσθω. εμε δε Ανυτος και Μελιτος αποκτειναι μεν δυνανται, βλαψαι δ' ου" commendavit, id equidem non in *Socraticum* sensum explicari debere persuasum habeo, sed, ipso contextu Arrianeo clamante, ita, ut, externa ab internis, quae in potestate hominis sapientis sint, longe superari, doceatur.

ctandam, vitamque (quae non e longitudine, sed e fabula bene acta aestimanda sit) ponendam esse monentes [66]).

Restant Graecorum sectae duae, *Academica* nempe *posterior* et *Pyrrhonica*, quae *dogmaticae Peripateticorum* maxime, *Stoicorum* et *Epicureorum disciplinae* sese opposuerunt ita, ut in *scepticam* rationem, sive moderatiorem et limitatam, sive absolutiorem atque licentiorem vergerent. Quarum illa [67]), ARCESILAO potissimum et CARNEADE ducibus clara, cognitionis sensibus externis haustae certitudinem a PLATONE labefactatam dialectica opera studiosius oppugnare perrexit, illius de ideis doctrina negligentius habita [68]), quamvis progredientibus aetatibus ad hanc reverteretur ceteraeque *Platonicae* disciplinae sese denuo magis adjungeret [69]); *Pyrrhonica*, in addubitanda cognitionis sensibus haustae veritate non contenta, omnes veri notas, omnes judicandi rationes subruit abjecitque, ad universalium praecipue notionum ac sententiarum veritatem pernegandam versa, et ipsum illud, omnia incerta esse, incertum pronuncians [70]). Pauca vero sunt, quae de hisce sectis ad argumentum nostrum illustrandum

---

66) v. *Antoninus* libr. XII. §. 5. p. 263. §. 23 s. p. 268 ss. sub finem, p. 276 s. — De universa recentiorum *Stoicorum* circa argumentum nostrum doctrina cf. doctiss. CONZII libr. laud. p. 90 — 126. *Buddei* introd. ad philos. Stoicam ex mente *M. Aurelii Antonini*, libris hujus των εις εαυτον a *Wollio* editis, Lips. 1729. praemissam, p. 55 s. b. *Meiners* comment. laud. p. 177 ss. clariss. *Struvii* comm. laud. p. 68 ss.

67) *Posterioris Academiae* nomine comprehendimus cum *Cicerone* (Acad. Qu. l. I. c. 12. p. 51 ss.) eas, quae *media et nova* alioquin audiunt.

68) Non *omnis* cognitionis veritatem ab Academicis recentioribus impugnatam esse, praeter alia satis clara documenta, loco etiam *Sexti Empirici*, Pyrrh. Hyp. l. I. c. 33. sect. 234. confirmat b. EBERHARDUS (Geist des Urchristenthums, T. II. p. 185 s). Ibi enim auctor Pyrrhonicus *Arcesilaum* prima quidem fronte Pyrrhonicum visum, revera autem Dogmaticum fuisse refert. Longius vero aliquantum progressus *Carneades* rationem etiam ipsam, utpote quae a sensu ac phantasia pendeat, subjective spectatam, certi quid decernere posse negavit, quamvis et ipse cum *Arcesilao probabilitatem* quandam judicandi agendique normam constitueret. cf. praeter alia veterum loca *Ciceronis* Academ. Qu. l. I. 12. IV. 6. 18 s. et palmarium *Sexti Empirici* locum adv. Mathem. l. VII. sect. 163 — 169. p. 403 — 409.

69) Pertinent huc *Philo* Larissaeus (*Ciceronis* magister), et magis etiam *Antiochus* Ascalonita, aliique. cf. *Ciceronis* Qu. Acad. l. I. c. 4. p. 39 s. IV. c. 4. p. 63 s. c. 43. p. 127. *Sexti Empir.* Pyrrh. hypotyp. l. I. sect. 235. p. 62. add. cel. WYTTENBACH. p. LVIII. et doctiss. BUHLE, Lehrb. der Gesch. der Philos. T. III. p. 284 s.

70) cf. *Sextum Empir.* loco not. 68. laud. et toto l. I.

afferri queant. *Posterioris Academiae* asseclas et antiquis simos et recentissimos *Platonis* de immortalitate sententia addictos esse potuisse, et revera addictos fuisse, non est quod inficias eamus, etsi fieri non potuerit, quin dialectic ipsorum philosophandi ratio, quae absolutam judicandi στο χην *videretur certe* inferre, hanc quoque cognitionis huma nae partem in suspensum, vel contra propositum, mitte ret[71]). Quod praecipue tamen valebit de *Carneadis* et, qu eum ducem sequebantur, disciplina (v. not. 68). *Pyrrhoni cos* denique nihil omnino de animorum immortalitate defi niisse, definiendumque esse duxisse, omnis eorum philo sophandi ratio postulat. Diserte vero, quid sit anima, quid sit mori, intelligi posse negarunt[72]).

---

71) cf. *Lohdii* diss. cit. p. 6. s.

72) cf. *Sextum Empiricum*, Pyrrh. hypot. l. II. sect. 31 ss. p. 74. et adv. Mathem. l. IX. sect. 269. p. 605 s.

VII.

DISSERTATIO HISTORICO - THEOLOGICA,

QUID

DOCTRINA DE ANIMORUM IMMORTALITATE

RELIGIONI CHRISTIANAE DEBEAT,

EX CAUSSAE NATURA ET EX REBUS FACTIS

MONSTRANS.

P. 4. Sect. 2.

Transeundum est

β) ad *Romanorum* philosophorum de re nostra sententias, in quibus brevissimis nobis esse eo magis licebit, cum philosophia Romana omnis ex Graeca prodierit, seu, ut verius dicam, temporibus certe Christianam aeram antecedentibus, Graeca tantum non omnis fuerit. Postquam enim gens Romana a bellica ruditate, gravique illa civium, condendae, stabiliendae et augendae reipublicae unice intentorum, simplicitate ad artium, musicae, scenicae, poëticae amorem flecti Graecosque in iis praeceptores ducesque adhibere coeperat, fieri non potuit, quin philosophica etiam Graecorum studia, ea potissimum, quae cum *oratoria* proxime conjuncta fuere, paullatim illi innotescerent atque arriderent. Crevit nobiliorum populi adolescentum in Graecam philosophiam propensio, ex quo *Carneades, Academicus, Diogenes* Babylonius, *Stoicus, Critolaus, Peripateticus*, ab Atheniensibus mulctae deprecandae caussa Romam legati, publicis splendidisque eloquentiae ac philosophiae suae documentis omnium in urbe animos in admirationem rapuerant, Senatusque consultum, quo illi Roma proscribebantur, et, quae iterum iterumque adversus Graecas literas ferebantur, leges concitando potius quam exstinguendo fervori inservierunt. Accessit, ut, quo arctius indies vinculum inter ipsas respublicas Romanam Graecasque intercessit, donec hae ab illa post eversam Corinthum plane subigerentur, eo plures usque Romanorum cives negotia publica administrandi caussa apud Graecos commorarentur. Ita factum est, ut quotquot clariores essent philosophicae Graecorum scholae, earum omnium rationes in Romanorum

notitiam venirent, discipulosque suos et asseclas apud eos nanciscerentur. Ante reliquas inter Romanos invaluisse videtur *Stoicorum* philosophia et *Epicureorum*, quorum illa austeriori *Scipionum, Catonum* aliorumque civium, avitam virtutem morumque simplicitatem retinentium, ingenio maxime convenit, atque, in ipsa urbe a magistris celeberrimis, *Panaetio, Posidonio* et aliis tradita, plurimos sectatores sibi adscivit [1]), haec non concinna solum illa audacia, qua mundi universi constructionem spretis religionis publicae superstitionibus explicare conata erat, virorum juvenumque ad insigniorem sagacitatis laudem aspirantium animos demulsit [2]), sed, quod maximum est, sua de moribus, de Deo, de animorum mortalitate doctrina non potuit non se commendare omnibus iis (fuerunt autem multi admodum), qui sub finem vergente reipublicae libertate in luxuriem cupiditatumque licentiam inclinavere [3]). Mox etiam *Peripatetica* philosophia Romam intravit, cum *Sulla* expugnatis Athenis *Apelliconis* bibliothecam, *Stagiritae* et *Theophrasti* operibus instructam, in urbem transportari curaret, eorumque exemplaria pluries descripta *Ciceroni, Lucullo, Andronico Rhodio* in manus venirent [4]). Quamvis autem proximis deinceps temporibus non defuerint inter Romanos, qui hanc disciplinam ceteris praeferrent, ut, praeter *Andronicum*, de recensendis atque explicandis Aristotelis scriptis egregie meritum, *Xenarchus, Athenaeus, Nicolaus Damascenus*, quos, cum *Romae* philosophiam professi sint, ei genti heic jure annumeraveris, etc. [5]); ma-

1) cf. *Brucker* Hist. crit. philos. T. II. p. 12 ss.

2) Physicam ejus partem T. *Lucretius Carus* libris VI. de natura rerum (ab ipso jam *Cicerone* ad Quintum Fr. l. II. ep. 11. T. IX. p. 194. memoratis) mira arte illustravit.

3) Hinc ipse *Cicero* de fin. bon. et mal. l. I. c. 7. p. 148. „et quod quaeritur saepe," inquit, „*cur tam multi sint Epicurei:* sunt aliae quoque caussae, sed multitudinem hoc maxime allicit, quod ita putat dici ab eo, recta et honesta quae sint, ea facere ipsa per se laetitiam, i. e. voluptatem." add. *Senecae* de vita beata cap. 13. T. I. p. 599 ss. Attamen graviores quoque viri, velut amicissimus *Ciceronis, Atticus, Torquatus, Vellejus*, L. *Calpurnius Piso* aliique deinceps *Epicureorum* scholae adhaeserunt. cf. *Brucker*. p 64 ss. 599 ss.

4) cf. cel. *Buhle* Praef. ad opp. *Aristotelis* ab ipso editorum T. I. p. XVIII. *Bruckeri* Hist. crit. phil. T. I. l. IV. c. 7.

5) cf. *Brucker*. T. II. p. 60 ss. 466 ss., ubi etiam ostenditur, philoso-

jor tamen *Academicae posterioris* auctoritas atque fama evasit. Eam v. c. LUCULLUS, magnus ille philosophicorum studiorum apud Romanos adjutor, omnibusque philosophiae Graecae generibus imbutus [6]), M. BRUTUS, quem publica, quibus occupatus erat, negotia a libris philosophicis scribendis non detinuerunt, M. TERENTIUS VARRO [7]), scriptor fecundissimus atque multiplicis doctrinae fama prae omnibus fere coaevis eniteus, aliique summi ejus aetatis viri defenderunt.

Sed de illo Romanorum, qui et maximam inter Academicos recentissimos gloriam consecutus est, et omnis Romanorum philosophiae, si quam sibi propriam habuisse dici possunt, pater atque exemplar merito praedicatur, de *Cicerone* scilicet, quaedam sigillatim addenda erunt. Licet enim et ipse *Philonis Academici* sententiam sequi se confiteretur, ad dialecticam Academicam ab eloquentiae primum studio allectus [8]), amplissimaque, quam habuit, variarum philosophiae Graecae sectarum cognitione ad eas critice examinandas et ad repudiandum genus philosophiae mere dogmaticum deductus; ipsam tamen recentissimorum Academicorum de argumento nostro doctrinam, cum scriptorum mo-

---

phiam Peripateticam aetate christianam aeram proxime antecedente et consequente non paucos in *illustribus Romanorum viris* et in *Augustis* fautores habuisse.

6) cf. *Ciceronis* Academicas Quaestiones, quartum praesertim librum, *Luculli* nomine inscriptum, et *Plutarchum* in *Lucullo*, c. 41. 42. T. III. p. 340 ss.

7) M. *Brutum* et M. *Terentium Varronem* philosophiae academicae, quomodo ab *Antiocho* Ascalonita tradita fuit, addictos fuisse, cuivis, qui vel *Ciceronis* Academica inspexit, notissimum est. v. v. c. praemissam *Varroni* epistolam, et l. I. c. 3. 4. Et dubitari quidem possit, annon et illi et *Lucullus veteris* Academicae asseclae dicendi sint, quod post ipsum *Ciceronem* (ll. ll.) et *Plutarchum* (in *Lucullo*, c. 42. T. III. p. 342 s. in *Bruto* c. 22. T. VI. p. 226.) *Bruckerus* fecit (T. II. p. 17. 29. 31., add. b. *Eberhardus* allg. Gesch. der Philos. ed. II. p. 150. et Geist des Urchristenthums, T. II. p. 197.). Sed *Antiochus* ille quantumvis *veterem* se academiam revocare velle professus sit, vereor tamen, ut ipsa philosophandi *methodo* eam repetierit; praeterea cum eandem cum *Stoica* combinare studeret, atque in Academia Stoico more philosophari diceretur (v. *Sextum Empir.* in Pyrrh. hyp. l. I. sect. 235. p. 62.), quin (quod *Numenius* ap. *Eusebium*, praep. evang. l. XIV. c. 9. p. 739. testatur) aliena peregrinaque sexcenta Academiae attexeret, in ipsa etiam philosophiae suae *materia* a vetere Academia magis minusve recessisse videtur. cf. cel. *Buhle* Gesch. der Philos. T. III. p. 285.

8) v. Orator, c. 3. T. II. p. 413.

numenta perierint, cognitam non habemus, nec nisi divinare quodammodo possumus. Neque igitur in eo nos continere licuerit, ut *Ciceronem* cum ceteris Academicis novissimis in doctrina de animorum immortalitate conspirasse simpliciter asseramus; sed e philosophicis ejus disputationibus eruendum potius erit, quae ipse in hac caussa senserit, docuerit, quibusnam rationibus usus sit, et inde demum certius quoddam indicium petendum, quae tandem Academicorum, quos secutus est, de eodem argumento opinio fuerit? Accedit, quod, cum *Philonem* Academicum magistrum suum ducemque esse nequaquam dissimulaverit, idem tamen in doctrina de moribus ad *Stoicos*, quorum principia erecti ingenii celsique animi viro in extremis reipubl. turbis funestisque, quibus ipse obruebatur, calamitatibus summo prae aliis praesidio solatioque fuere, *Panaetio* maxime facem praeferente, recurreret, ita quidem, ut ea, quod asperiora subinde viderentur et ad vitam inter homines gerendam minus accommodata, cum *Platonis* etiam atque ipsius *Aristotelis* de moribus disciplina conjungere suo quodam modo anniteretur. In eclectica hac, quam *Cicero* secutus est, ratione, ubi et suo ipsius ingenio non potuit non multum concedere, nihil profecto superflui fecerit is, qui, quid illi de animi immortalitate visum sit, studiosius ex ipso quaesierit.

Qua in re si considerate velimus versari, ea *Ciceronis* scripta, quae philosophica sunt, prae ceteris omnibus evolvenda, in his ipsis autem probe distinguenda esse, quae suo, quae aliorum nomine pronunciet *Cicero*, egregie ostendit cel. WYTTENBACHIUS [9]). Ita vero facile nobis persuadebimus, eam de animi humani natura futuraque in obitu sorte sententiam, quae in *Socratis* et *Platonis* schola obtinuit, plurimum certe apud *Ciceronem* valuisse, ac, *quod summam et rei et argumentorum attinet, tanquam verisimilem ab eo receptam esse.* Primus enim *Tusculanarum Quaestionum* liber cum id omnis agat, ut mortem non malum esse, sed bonum potius, demonstret, postquam

9) l. c. p. LXXVIII—LXXX. Consentit clar. *Struvius*, p. 79.

ostensum est, si mortui nulli sint, nec mortuos nec morituros posse miseros esse, neque etiam mortem malum; omnis disputatio hoc dilemmate conficitur: aut sensum omnem in morte exstingui, aut remanere sensum; si prius, nihil mali in ea esse, cum ipsi post eam nihil simus; si posterius, malum non esse mortem, cum beati post mortem sint animi [10]). Jam igitur primum exponere conatur *Cicero*, remanere animos post mortem (c. 12 — 33. p. 370 — 395), et in aeternum quidem (c. 31 s.) atque ita, ut sensum retineant (c. 14 s.), felicesque sint tum quiete et vacuitate cupiditatum, tum rerum coelestium puriore contemplatione (c. 19. 20.); deinde revertitur ad alterum illud disjunctae argumentationis membrum: ne si interirent quidem animi, quicquam mali esse in morte (quod exsequitur ad finem usque libri). Priorem vero sententiam non disputandi tantum caussa, sed, quasi plane persuasam sibi, contra aliorum dubitationes acriter defendere (c. 32 s. c. 18. 21. et alibi), confirmare argumentis, quotquot suppetant, gravissimis (c. 12 — 17. 24 — 29.) et omni, qua possit, dictionis vi atque copia exornare et inculcare (v. e. c. c. 20. 22.) videtur. Eandem *confidentissime profitetur* in *Catone Majore de Senectute*, c. 21 — 23. T. XII. p. 198 — 202., *Pythagorae*, *Xenophontis Platonisque* rationibus utens, imaginemque alterius, quae instet, vitae praeclarius absolvens ita, ut *vitam eam esse dicat, quae sit sola vita nominanda* (c. 21.), nec dubitare se ajat, quin per mortem ad *divinum illud animorum concilium coetumque*, *virosque illos*, *quos carissimos habuerit, profecturus sit* (c. 23). Denique in *Somnio Scipionis* (librorum de republ. deperditorum clausula), ubi *Scipionem Africanum Minorem* cum *Majore* per insomnia congressum fingit, hunc quidem inducit rempublicam tutandam ita commendantem nepoti, ut ei affirmaret, omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in coelo ac definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur (c. 3. T. XII. p. 299). Quod uberrime ipsum exponentem facit ad calcem usque. Postquam enim *terrena* haec, quam de-

10) Plane ut in *Platonis* Apologia *Socratis*, ed. Bip. T. I. p. 93 s.

gimus, *vita*, *mortis* nomine notata (c. 3.), et locus coelestis, quem incolant corpore laxati, recentissimis coloribus depictus, sphaerarumque concentus, ab iis audiendus, explicatus esset secundum *Pythagoram* atque *Platonem* [11]) (c. 3 — 5), humanis terrenisque contemtis *coelestia semper spectanda et ad coelum enitendum* esse ostenditur (c. 6 — 8), cujus aditus pateat bene meritis de patria (c. 8. 9. add. c. 3. [12]), hominesque ipsos non mortales esse, sed corpora saltim eorum, quae non ipsi sint, prorsus secundum *Platonem*, probatur omnibusque patere dicitur inde, quod animus a se ipso motus moveat corpus (iisd. capp. 8 et 9).

Sed non possumus tamen quin enotemus quaedam, quibus *Ciceronis* de caussa nostra meritum minui nobis quodammodo videatur.

Quod enim primum ad *ipsam ejus* de animorum immortalitate *persuasionem* attinet, disputationem illam in Tusculanis Quaestionibus multo magis in censum venire existimamus, quam ea, quae in Catone Majore et in Somnio Scipionis proferuntur, cum Catonem Majorem quidem senex confecerit, senectutis onus et *Pomponio Attico*, cui inscripsit librum, et sibi levaturus (c. 1. p. 166), ad *optandum itaque ac sperandum, quam ad dubitandum* inclinatior, praeterea in philosophica hac de senectute ac morte commentatione *Attico Epicureo Platonicas* sententias opponere, Academicum arbitraretur decere; in Somnio autem Scipionis poëtam magis agat, quam philosophum, neque id proxime sibi velit, ut immortalitatem adstruat, sed id potius, ut iis, quae de republica civiumque erga ipsam officiis scripserat, eleganti fictione, ex Platonica, Stoica, Pythagorica philosophia petita, qua appareat, quantum ad ipsum reipublicae studium philosophia valere possit, dignum imponat

11) cf. *Eris Armenii* visionem in *Platonis* libr. X. de republ. (T. VII. p. 322 ss.), p. 329., quam omnem in somnio *Scipionis* effingendo ante oculos habuisse *Cicero* videtur.

12) Ibi *Paullus*, *Africani Minoris* pater, quem praesentem filio sistit *Africanus Major*, ita: „Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, *justitiam cole, et pietatem; quae, cum sit magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est. Ea vita via est in coelum, et in hunc coetum eorum, qui jam vixerunt, et corpore laxati, illum incolunt locum, quem vides.*"

finem. Sed in primo illo Quaestionum Tusculanarum libro quamvis, ut diximus, utque decuit Academicum, maxime in *Platonis* sententiam inclinaverit, ita tamen se gessit, ut, verisimilem illam sistere contentus, certi quid statuere nollet [13]), contrariam potius consideratu non minus dignam haberet [14]). Quod cum per se ipsum indicio esse videatur, non *certum* eum fuisse de immortalitate, sed dubium quodammodo [15]); alia tamen supersunt vestigia, quae idem non obscure indigitent. Negare enim vix potueris, ut in aliis argumentis, ita in hoc quoque *inconstantius* locutum esse *Ciceronem*, nec raro secum ipso pugnasse. Quo nolim equidem trahere locum illum in Oratione pro *Cluentio* [16]), ubi *Epicureorum* de morte sententiae eum accedentem deprehendimus, cum in Orationibus suis (utor verbis cel. WYTTENBACHII [17])) non suam ipse sententiam prodat, sed oratorie agat et caussae serviat. Sed non nullius pendendasunt complura *epistolarum* loca, quibus, omnem sensum morte tolli, sumit atque solatium inde petit. Quamvis enim

---

13) cf. c. 9. ab in. p. 167. „— ea, quae vis, ut potero, explicabo: nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa, quae dixero; sed ut homunculus unus e multis, probabilia conjectura sequens, ultra enim, quo progrediar, quam ut veri videam similia, non habeo. Certa dicent ii, qui et percipi ea posse dicunt, et se sapientes esse profitentur.“ (*Stoicos* innuit, contra quos *Arcesilaus* et *Carneades* negarant, sapientis esse, nonnisi percepta probare, quod uberius expositum est Quaest. Acad. l. IV. c. 18—21. p. 87 ss.). Add. locos perquam similes de natura Deorum l. I. c. 5. T. XI. p. 10 s. et de divin. l. II. in fine T. XI. p. 304. „Cum autem proprium sit Academiae, *judicium suum nullum interponere; ea probare, quae simillima veri videantur; conferre causas, et quid in quamque sententiam dici possit, exprimere;* nulla adhibita sua auctoritate, judicium audientium reliquere integrum ac liberum: *tenebimus hanc consuetudinem a Socrate traditam*“ etc.

14) cf. *Grotii* de ver. rel. chr. l. II. c. IX. in textu et nott. Opp. T. IV. p. 37. ubi *Chrysostomi* quoque (ad 1 Cor. 1, 25.) et *Lactantii* (Inst. VII. 8.) de hac *Ciceronis* vel aliorum veterum philosophorum haesitatione effata afferuntur; Hieron. de *Bosch* in comment. diss. hujus Sect. I. not. 18. cit. p. 367 ss.; Abhandl. über das Verdienst der christl. Rel. um die Lehre von der Unsterblichk. p. 37 ss. LESSII l. über die Religion, T. I. p. 69. 83.; b. STORRII diss. de beata vita post mortem, in Opusc. theol. T. II. p. 76 ss.

15) Hinc, postquam pro immortalitate certaverat, (c. 12—33.), alterum illud dilemmatis membrum non minore studio exigit (c. 34—49.). Quo facto ita concludit (c. 49. p. 413 s.), ut plane inhaereat ambobus membris, pro prioris sumtionis veritate ne verbulum quidem addens.

16) C. 61. T. IV. p. 455. cf. *Warburtoni* libr. cit. T. I. p. 559.

17) l. c. p. LXXVIII. s. ubi apposite monetur, ipsum *Ciceronem* in eadem orat. c. 49. confutare eos, qui veram ipsius sententiam ex ipsius orationibus arripere ac tenere studerent.

facile concedamus eruditissimo WYTTENBACHIO, frequenter in hisce epistolis ita agi, non ut interior de philosophiae locis sententia aperiatur, sed ut proferatur aliquid, quod accommodatum sit ad personam et ingenium ejus, ad quem scribitur, neque id refragemur adhiberi quodammodo posse locis illis epistolarum ad *Torquatum Epicureum* (ad diversos l. VI. ep. 2 et 3. T. II. p. 175 s. et ep. 4. p. 179), in quo consolando usus esse dicitur rationibus ex illa schola ductis [18]); monere tamen liceat, non eorundem modo horum locorum alterum certe ita comparatum esse, ut ex mera συγκαταβασει explicari vix possit [19]), sed alia etiam restare aliarum epistolarum loca, in eandem de morte sententiam propendentia, quibus hanc medelam applicandi causam nullam habeamus [20]), et quae ipsius *Ciceronis* sensum expressisse eo minus dubitari queat, cum, si in ullo *alio* sermone, in epistolis certe ad familiares missis vera hominis sententia sese prodere soleat [21]). Accedit, quod in libello etiam *de amicitia* [22]), quid? quod in ipso etiam illo *de senectute* libro, quo de futura vita loquitur confidentissime, non prius tantum, quam *suam* de immortalitate speranda

---

18) cf. *Wyttenbach.* l. c. p. LXXIX.

19) l. VI. ep. 2. „Ego tibi hoc confirmo, etsi levis est consolatio ex miseriis aliorum, nihilo te nunc majore in discrimine esse, quam quemvis aut eorum, qui discesserint, aut eorum, qui remanserint; alteri dimicant, alteri victorem timent. *Sed haec consolatio levis est; illa gravior, qua te uti spero: ego certe utor; nec enim, dum ero, angar ulla re, cum omni vacem culpa; et, si non ero, sensu omnino carebo.*"

20) ad L. *Mescinium*, l. V. ep. 21. T. VII. p. 169 s. „— ut hoc saltem in maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debeamus, *propterea quod nullum sensum esset habitura*, nunc, sic affecti, non modo contemnere debeamus, sed etiam optare." ad *Toranium*, l. VI. ep. 21. p. 205. „una ratio videtur, quicquid evenerit, ferre moderate, praesertim, *cum omnium rerum mors sit extremum.*" *Epicureos* vero fuisse *hos* quoque *Ciceronis* familiares, plane non comperimus; nec veri videtur simile, *omnibus* epistolarum suarum locis, ubi ita de morte loquitur, ad lectorum opiniones eum condescendisse.

21) Scite id pridem observavit *Warburtonus* l. c. p. 569 ss., et doctiss. de *Bosch*, l. c.

22) c. 4. p. 211.: — „id, si ita est, ut optimi cujusque animus in morte facillime evolet, tanquam e custodia vinculisque corporis; cui censemus cursum ad deos faciliorem fuisse, quam Scipioni? quocirca moerere hoc ejus eventu, vereor ne invidi magis, quam amici sit. *Sin autem illa veriora, ut idem interitus sit animorum et corporum, nec ullus sensus maneat; ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali. Sensu enim amisso, fit idem, quasi natus non esset omnino.*"

sententiam (c. 21 ss.) pronunciat, sed post etiam, et in fine omnis disputationis (c. 23. p. 202.) ambiguus haerere videatur atque alternare [23]).

Verum enim vero dubitantius aliquantum atque inconstantius de immortalitate *Ciceronem* sensisse, ex *argumentis* etiam, quibus ad eam confirmandam potissimum usus est, nonnulla innuunt.

Usus vero est tantum non omnibus, quae *Plato* praeiverat; provocavit ad animi *simplicitatem* [24]) et ad *vim ejus, se ipsum movendi* [25]); ad egregias ejus et plane *divinas facultates*, memoriam, judicium, inventa, artes ac disciplinas (ubi tamen, quod vitio ei vertere nolim, *Platonis* e *recordatione* superioris vitae argumentationem affert potius quam urget) [26]); ad *omnium gentium* in hac opinione *consensum, antiquitatisque*, quam ea prae se ferat, auctoritatem [27]), denique ad *curam nominis in posteros propagandi*, omnibus communem, cui insit quoddam futurorum seculorum, ad se ipsos pertinentium, augurium [28]). Quae postrema duo argumenta (ex consensu gentium atque antiquitate, et e cura illa propagandi nominis) quamvis cum ceteris a *Platone* jam ipso facta essent [29]), uberius tamen multo explicantur majorisque habentur a *Cicerone*, quod cadit profecto in philosophum in scepticam potius rationem, quam in dogmaticam propensum.

Ceterum etsi optime meritus esset de illo etiam *Platonis* argumento, quod *ex animi viribus vere divinis* desumsit [30]), cui magna certe persuadendi vis inesse nunquam desinet, illam tamen rationem, quae *ex Dei ipsius sapientia*,

---

23) „Quodsi," inquit, „in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo; *sin mortuus* (ut quidam minuti philosophi censent) *nihil sentiam; non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est.*"

24) Tusc. Qu. l. I. c. 29. p. 390.

25) ib. c. 23. p. 382 s. de Senect. c. 21. p. 199. Somm. Scip. c. 8. 9. p. 305 s.

26) Tusc. I. 24—29. p. 384 ss.

27) Tusc. I. 12 s. p. 371 s.

28) lib. c. 14 s. p. 373 s. de Sen. c. 23. p. 200 s. Lael. c. 4. p. 210 s.

29) V. v. c. de leg. XII. T. IX. p. 213. ep. II. T. XI. p. 66.

30) cf. not. 26.

bonitate, justitia petitur[31]), parum curavit; ita tantum ea usus, ut mortem *malum non esse*, inde conjiceret[32])

Argumenta, quae sua proprie essent, non adjecit. In eo vero adjuvit doctrinam de immortalitate, ut ipsam *contra quasdam adversariorum objectiones opinionesque bene defenderet.* Ita eos, qui animos morte multent, quod nequeant, qualis sit animus vacans corpore, intelligere, aptissime refellit monendo, difficilius etiam esse, qualis sit in ipso corpore, intelligere[33]). Ita *Panaetii* duo pro mortalitate animorum argumenta, quorum alterum ex eo, quod et *nascantur* animi, alterum inde, quod et *doleant*, petitum erat, non inscite confutat distinguendo animam sentientem a mente[34]). Ita *Stoicos* sibi non constare ostendit, dum concedant, animam post corporis mortem permanere, sed tamen aliquando interire, cum haec una sit difficultas, quomodo animi sine corporibus degere ac vivere possint, quo concesso nulla supersit caussa, quare aliquando intereant[35]).

Quae deinde *de status post mortem futuri conditione* docuit *Cicero*, ea quidem non satisfactura esse existimaverim iis, qui disciplinam et rationi suorum finium memori et religioni ipsi consentaneam desiderant. Quamvis enim nemo facile futurus sit, qui non probaverit, animorum beatitudinem in eo maxime poni, quod vacui sint cupiditatibus et perturbationibus, totique in res contemplandas ac perspiciendas intenti (v. supra p. 137.); cuivis tamen sobrie phi-

---

31) cf. diss. nostrae sect. anteced. not. 14.

32) Tusc. Qu. I. c. 49. p. 413 s. „Nos vero, si quid tale acciderit, ut a Deo denunciatum videatur, ut exeamus e vita, laeti et agentes gratias pareamus, emittique nos e custodia et levari vinculis arbitremur, ut *aut in aeternam et plane in nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiaque careamus;* sin autem nihil denunciabitur, eo tamen simus animo, ut horribilem illum diem aliis, nobis faustum putemus, *nihilque in malis ducamus, quod sit vel a diis immortalibus, vel a natura parente omnium constitutum. Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus, sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano; nec id gigneret aut aleret, quod cum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum:* portum potius paratum nobis et perfugium putemus.“

33) Tusc. Qu. I. c. 22. p. 481 s.

34) ib. c. 32 s. p. 394 s.

35) ib. c. 31 s. p. 393 s.

losophari amanti minus profecto illa disputatio placebit, qua animos a corpore solutos, sive (quod maxime arrisit [36])) *igneae sint vel aethereae naturae*, sive ex *quinta aliqua Aristotelis natura* constantes, *in sublime ferri* iisdemque rebus ali ac sustentari, quibus astra sustententur et alantur, adstruere *Cicero* conatur [37]), ut taceam de iis, quae in somnio Scipionis adduntur de animis e sideribus in hanc terram aliquando transpositis, post mortem in locum beatorum, qui in orbe lacteo sit, abituris [38]), et quae sunt ejusmodi alia, a *Platone* et *Stoicis* petita, et ad poeticam magis quam philosophicam rationem accommodata. Minime vero omnium in eo, quod *diversam bonorum malorumque post fata conditionem* spectat, rationis religionisque desideria explevisse *Cicero* videtur. Si enim excipias, quod eos, qui in his terris animum maxime a corpore abduxerint atque ad se ipsum revocarint, emissos ex his vinculis minus tardatum iri in suo ad sublimia cursu, eos vero, qui in compedibus corporis semper fuerint, etiam, cum soluti fuerint, tardius ingressuros esse, praesagiverit (velut eos, qui ferro vincti multos annos fuerunt [39])); justam *praemiorum* et *supplicorum distributionem* in altera vita exspectandam statuere alienum a *Cicerone* fuit, quippe qui justitiam Dei vindicatricem *omnem* cum sua et de Deo et de moribus disciplina (in qua *Stoicos* maxime secutus est) conciliare vix potuit [40]).

---

36) cf. c. 26. p. 387 s.

37) ib. c. 17—19. p. 376 ss.

38) c. 3—5. T. X ss. p. 300 ss.

39) Tusc. Qu. I. 31. p. 392. Eodem pertinent, quae in *Somnio Scipionis* c. 9. p. 306 s. dicuntur: „animum curis optimis, de salute patriae, agitatum et exercitatum velocius in istam sedem et domum suam pervolaturum, idque ocius facturum esse, si jam tum, cum fuisset inclusus in corpore, eminuerit foras, et ea, quae extra sunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstraxerit; eorum enim animos, qui se corporis voluptatibus dedidissent, earumque quasi se ministros praebuissent, impulsuque libidinum voluptatibus obedivissent, deorum et hominum jura violassent, *corporibus elapsos circum terram ipsam volutari*, nec in locum coelestem, *nisi multis agitatos seculis, reverti.*“ Praeterea haec plane e *Timaeo Platonis* hausta sunt, et cum omni, quam somnium Scipionis continet, rerum post mortem futurarum expositione ad poëticam magis quam philosophicam rationem referenda.

40) Hinc in l. de officiis l. III. c. 28. T. XII. p. 153. „Quid est igitur,“ inquit, „dixerit quis, in jure jurando? num iratum timemus Jovem? At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negotii dicunt, et nihil exhibere alteri; sed eorum

Unde nec illud mirandi locus ullus est, suam alterius cujusdam vitae exspectationem ad res morales parcius illum applicasse.

Jam vero, cum, quid *Cicero* de immortalitate docuerit, nescio an justo aliquantum plenius a nobis expositum, et, quae Graecae philosophiae formae maximam apud Romanos usque ad Christi aetatem famam atque auctoritatem nactae, quae igitur de animorum in fatis et post fata sorte inter illos potissimum invaluerint sententiae, ostensum sit, nihil superest, quam ut verbo addamus, *Pythagoreae* etiam sectae *nonnullos* et Romanorum et exterorum, qui philosophiam Romae professi sunt, addictos fuisse; ut *Publium Nigidium Figulum*, *Ciceronis* coaevum amicumque[41]); sub *Augusto* et *Tiberio Anaxilaum Larissaeum*[42]), *Sotionem Alexandrinum*[43]), *Senecae* magistrum, et, ut alios taceam, *Apollonium Tyaneum*, e quibus cum *Nigidius* jam et *Anaxilaus* in penetrandis naturae secretis, futurorum temporum rebus astrologice praedicendis, et in magiae naturalis artibus mirabiliter exercendis versati essent, omnium maxime, quod nemini ignotum est, *Apollonius* praestigiarum suarum fama inclaruit[44]). Adjunxerant sese isti *Pythagoricae* disciplinae restauratores aliis multis, philosophisne dicam an impostoribus? qui sub eandem aetatem Romani imperii terras ipsamque praesertim urbem, *Chaldaeorum* plerumque nomine, inundarunt, et sapientiae suae admiratione repleverunt et ipsos non raro Caesares, et multitudinem potissimum, veriori philosophiae suscipiendae imparem, ad magicas vero artes, ad rerum reconditarum cognitionem, divitias, voluptates, daemonum ope capiendas,

---

etiam, qui Deum semper agere aliquid et moliri volunt, *nunquam nec irasci deum nec nocere.*" Add. c. 27. et 29. cf. *Warburton.* l. c. p. 576 ss. Hinc etiam, ubi *vulgares de suppliciis inferorum opiniones* perstringit *Cicero* (e. g. Tusc. Qu. c. 5. 6. p. 363 s. c. 21. p. 380 s. add. Or. pro *Cluentio*, loco not. 16. cit.), non fabularum tantum, de inferis suppliciisque infernis portenta, sed potius ipsam poenarum divinarum notionem petiisse videtur.

41) v. *Ciceronis* Timaeus s. de universo, c. 1. T. XII. p. 329.

42) v. *Eusebii* Chronicon ad MCMLXXX. in *Hieronymi* Opp. ed. *Vallars.* T. VIII. p. 624. *Epiphan.* haer. 14. vel 34. ed. opp. *Petav.* T. I. p. 232.

43) v. *Senecae* ep. 108. T. III. p. 318. add. ep. 49. T. II. p. 209.

44) v. *Philostratorum* opp. ed. G. *Olearius* Lips. 1709.

resque futuras e siderum constitutione ediscendas in magna illa, quae invaluerat, victus luxurie, animorum effeminatione morumque depravatione magis quam unquam propensam [45]).

Sed a populis gentilibus, postquam eorum de argumento nostro opiniones non vulgares tantum, sed eas etiam, quae in mysteriis atque in scholis philosophicis traditae, explicitae, argumentis confirmatae et cum religionis morumque disciplina magis minusve conjunctae sint, ad Jesu Christi usque aetatem perlustravimus,

B) ad *Hebraeos* denique veniendum est, gentem, divinis, quibus usa sit, oraculis, religionisque, quam professa sit, puritate ac certitudine plus quam ceterae omnes conspicuam, quin ab ipso Servatore ejusque apostolis eo nomine celebratam, genitricem vero eandem et altricem divinorum religionis nostrae conditorum, e cujus scholis librisque sacris ipsorum de immortalitate disciplinam ortum traxisse, non sine specie augurari quis sibi posse visus fuerit [46]).

Desinet autem Hebraeorum nationi multum in hac caussa tribuere, quicunque Veteris Testamenti libros animo, praeceptis opinionibus vacuo, evolverit, recentiorumque etiam ante Christum Judaeorum doctrinam accuratius perpenderit. Facile nimirum is sibi persuadebit, 1) *e doctrinis, ad ipsam Mosis et prophetarum religionem referendis, eam saltim animorum immortalitatem exulare, quae in sui conscientia spontaneaque efficacia post corporis mortem sine fine continuanda, praemiorum et poenarum justam dispensationem sibi junctam habente,* ponatur; deinde 2), quae a recentioribus ante Christum Hebraeis, *librorum apo-*

---

45) cf. *Diodor. Sic.* l. II. c. 29—31. ed. *Wesseling.* T. I. p. 142 ss. *Dio Cass.* Hist. R. L. LVII. ed. *Leuncl.* p. 609. *Juvenal.* Sat. VI. 556—560. X. 93. aliosque veteres; add. S. R. Huc. Einl. in die Schriften des Neuen Testaments, T. II. p. 292 ss. Eberhardi Geist des Urchristenthums, T. III. p. 196 ss. et Tiedemanni disp. in quaestionem: quae fuerit artium magicarum origo etc. Marb. 1787. C. IX. X. p. 56 ss.

46) Ita fere argumentantem videmus S. R. Pareau, in commentat. saepius antea laud. de immortalitatis ac vitae futurae notitiis ab antiquiss. Jobi scriptore in suos usus adhibitis, Daventr. 1807. C. VII. p. 88—92., cum, doctrinam de immortalitate inter antiquissimos jam Hebraeos viguisse, *per se* quam maxime probabile esse contendit.

cryphorum auctoribus, variis *Judaeorum sectis*, *Philone* etc. de eodem argumento tradita sint, tum *varia* esse et *inter se pugnantia*, tum ex maxima certe parte *religionis rationisque desideriis imparia*, denique *argumentis destituta*. Quod ut pro consilii nostri ratione quam fieri possit brevissime exponamus,

1) *in libris Veteris Testamenti canonicis luculentiorem saltim de vita post mortem exspectanda institutionem desiderari*, inde jam colligere quodammodo licuerit, quod non complures tantum religionis revelatae adversarii in disciplinae Mosaicae de animorum immortalitate silentio grave ejus opprobrium deprehendisse sibi visi sunt, in quo avertendo magnam molestamque satis operam theologi collocarunt [47]); sed multi etiam dudum exstiterunt, qui ab inimici in religionem revelatam animi suspicione immunes, disertam de immortalitate institutionem Hebraeorum antiquiorum religioni abjudicatam christianae manciparent [48]); ut taceam, recentiorum, qui hanc quaestionem denuo tractarunt frequentissimi, plerosque in eandem istam, quod ca-

---

47) Ita v. c. Ant. Collins, Discours of Free-Thinking, Sect. III. p. 152. Jo. Toland, Letters to Serena, l. 2. p. 19 s. Voltairius var. loc. et prae ceteris auctor *fragmentorum Guelferbytanorum* (in *Lessingii* l. zur Gesch. u. Literatur aus der Wolfenb. B. P. IV.) Fragm. 4. p. 384 ss., doctrinam de immortalitate, donec a Graecis et aliis Orientalibus tandem inducta sit, plane ignotam sub Vetere Foedere fuisse contenderunt; quibus praeter alios sese opposuere Lilienthalius, Gute Sache der göttl. Offenb. T. III. p. 674. Michaelis et Colberg in argum. immortalit. animorum hum. et futuri sec. ex Mose collectis (Michaelis Synt. Commentat. I. Goett. 1759.) p. 80 ss. et Jerusalemius in Abhandlungen über die vorn. Wahrh. der Rel. T. II. p. 614 ss.

48) Praeter *Socinianos*, quos discrimen, Vetus inter et Novum Testamentum intercedens, in eo potissimum posuisse constat, quod vitam aeternam ab illo exulem hoc stabilierit (cf. Catech. Racov. Qu. 354 ss. ed. *Oederi* p. 582 ss. add. Gerhardi Loc. theol. XXXII. Cap. II. ed. Cottae, T. XX. p. 330 ss.), H. Grotium (de ver. rel. chr. loco not. 14. cit.), Jo. Clericum (Hist. Eccl. Seculi I. et II. Prol. Sect. I. c. 8. cf. Oporinum in hist. crit. doctr. de immortal. p. 130 ss.), quibuscum omnes quodammodo consensere *Arminiani*, quippe qui „promissionem salutis aeternae sub Vetere Testamento factam aliam non deprehenderunt, quam typicam, et quae sub generalibus promissionum aut prophetiarum verbis obscure comprehensa fuerit" (cf. Apologia pro Confess. Remonstr. Harderw. 1629. p. 245. a.), et Warburtonum (goettl. Sendung Mosis, l. V. Sect. V. usque ad l. VI. Sect. V. T. III. p. 122 ss.), qui ex praetermissa a lege Mosaica futurorum praemiorum suppliciorumque indictione singulare aliquod pro divina illius legis cuctoritate argumentum deduxit, nominare liceat.

VII. Quid doctrina de [illegible]

put rei attinet, [illegible]
nos faciamus nostram. [illegible]
eam observationibus [illegible]
ejus expositione post [illegible]
supersedentes.

Jam quidem, *superesse* [illegible]
poris mortem, Hebraea [illegible]
cum ceteris divinasse eo [illegible]
plane ratio afferri queat. [illegible]
munem, *Aegyptiisque* [illegible]
diori etiam hominis [illegible]
sui ejusque *invisibilis* Dei [illegible]
celluit aliis, aut ignorarit [illegible]
ejus opinionis satis clara in [illegible]
libris suppetant. Quo referre [illegible]
illam solennem, qua morientes [illegible]
ad populum suum congregari [illegible]
8. 35, 29. 49, 29. 33. [illegible]
convenit *Jacobi* Patriarchae [illegible]
lium pro mortuo habitum [illegible]

---

49) Sufficiat, loco [illegible]
die Unsterblichkeitslehre [illegible]
morabb. Fasc. III. Lips. 1792 [illegible]
Geschichtsentwicklung der [illegible]
und Vergeltungs-Zustand [illegible]
suarum theol. Tomo IIdo, [illegible]
V. S. V., Entwurf einer [illegible]
sterblichk. bey den Juden, [illegible]
krit. Darstellung der jüd. Lehre [illegible]
Berol. 1795. b. Bauer Theologie des A. T. [illegible]
cel. Bellermanni l. period.: „der Theologie" [illegible]
„von der Auferst. d. Todten."

50) cf. diss. nostrae P. I. p. 55—65.

51) cf. Clericus ad Gen. 15. 15. [illegible]
l'immortalité de l'ame, Chap. IV. [illegible]
Michaelis et Colberg p. 116 ss. b. [illegible]
p. 227. b. Bauerus, Theol. des A. T. p. [illegible]
qui his formulis nihil aliud vellent exprimi, [illegible]
numero adjungentem morientes (cf. [illegible]
mationem in sepulcris familiaribus: eo tamen [illegible]
sum, nos quidem persuadere nobis non [illegible]
περιφρασιν illam continere, plane abhorret a vero, [illegible]
cur eadem verborum ambages tam frequenter [illegible]
innueretur; neque etiam suffecerit, sumere, [illegible]
quitatem ejus, quod per mortem acciderit homini, [illegible]
esset, quam, quod omni populo, omnibus patribus [illegible]

de, cum νεκρομαντειαν cum aliis superstitiosarum divinationum generibus acerrima lege interdixerit Moses (Deut. 12. 11.), quis neget, multos certe Hebraeos credidisse, homines post mortem non illico esse desinere? cujus rei memorabile admodum exemplum exstat in historia Manium Samuelis ab incantatrice Endorea evocatorum (1 Sam. 28. 7—20.[52])). Denique loca illa in ceteris V. T. libris creberrima, quibus commune illud defunctorum sub terra domicilium, s. orcus (שְׁאוֹל), modo describitur diserte, modo innuitur[53]), neminem profecto dubitare sinent, quin aliqua hominum post mortem perennantium imago atque fides Hebraeorum animis infuerit.

Verum enim vero

a) an *vitam animorum, cum sui conscientia,* et *cum virium suarum usu atque exercitio* conjunctam, talesque, *quae bonorum beatitudinem* et *malorum etiam miseriam* secum ferat, post corporis interitum instare existimaverint, multo incertius nobis quidem esse videtur.

Primum enim, quae ad id probandum allegantur testimonia, non ita se habere videntur, ut firmum assensum gignere possint. Si enim, ut graviora tantum respiciamus, ad loca Gen. V. 24. XLIX. 18. Exod. III. 6. Num. XXI. 10. Ps. LXXIII. 26. Coh. XII. 7. VIII. 12. s. XI. 9. XII. 13. sq. Coh. XII. 7. Esaj. XIV. 9—15. provocetur, ea quae

---

gitari, cum plurimis certe locis nulla caussa deprehendatur, quare haec servatio addita fuerit. Sepulturam vero non intelligi, inde apparet, quod haec compluribus locis a congregatione ad populum aut ad patres apertè distinguitur (Gen. 49, 29. 33. coll. 50, 1—13. 50, 26. coll. Jos. 24. 32. add. Gen. 35, 28. 37, 35.). Accedit, quod Aegyptiorum etiam de mortis loquendi rationem, illi formulae perquàm similem, non sepulcra tantum, sed commune quoddam receptaculum, in quo defuncti aeternum degant, sese invicem recipiant, significasse appareat, cf. diss. nostrae P. I., p. 63. et cum hac mortuorum in loco subterraneo congregatorum imagine magnopere et illud conveniat, quod vitam et suam et patrum *peregrinationem* suspicupet Jacobus (Gen. 47, 9.); quamvis hoc, per se spectatum, pro indicio futurae vitae, ab eo speratae, vix habendum esset, cf. Michaelis et Cohn in comm. cit. p. 116 ss. S. V. Ammon, bibl. Theol. T. III. p. 225 s. comm. über das Verdienst der christl. Rel. um die Unsterblichkeit p. 48 s.

52) cf. Oporinus l. c. p. 129. Lilienthalius, l. c. Jerusalem. p. 7. S. V. Ammon, p. 224. b. Bauerus p. 271 s. et cel. Conz in comment. p. 160 s.

53) Num. 16, 30. Ps. 18, 65. 49, 8. 9. Prov. 30, 16. 9, 18. Job. 20 ss. 14, 9—15. etc.

dem vel singulorum quorundam hominum a vulgari morte exemtionem, beneficio Dei plane singulari decretam, praedicant, ut (quod nobis quidem videtur) locus Gen. V. 24.[54]);

---

54) Quamvis nempe verba hujus loci per se spectata ita etiam sumere iceret, ut Enochum, constantissimum Dei cultorem, e vivorum hominum :onspectu a Deo *amotum* repente disparuisse dicerent (ignoto quodam mor- is genere), cum nec formula: „לקח אתו אלהים" receptionem *ad Deum* necessario significet, sed simpliciter, *abreptum* illum esse, indicare ueat (cf. לקח v. c. Job. 12, 20. Jer. 15, 15. et aliis quamplurimis locis); ıec in *pietate* viri *caussa* diserte ponatur, qua motus hunc ei exitum dede- it Deus (totus enim locus: „ויתהלך חנוך את־האלהים ואינגו כי לקח אתו אלהים" ita reddi posset: „*postquam* igitur Enochus in ita sua Deum coluerat, subito adesse desiit, Deo eum auferente"); nec in- ongruum praeterea aut ab antiquitatis genio alienum haberi queat, si vel *nortis genus repentinum ac placidum* pro divino pietatis praemio aut bene- icio singulari duceretur (cf. *Homer*. Od. III. 279 ss. Il. XXIV. 758 s. b. Mori liss. theol. et philol. p. 370 ss. cel. Conz, comment. laud. p. 151 ss.); omnis amen loci contextus nobis persuadet, auctoris vetustissimi sententiam hanc uisse: Enochum, quippe qui Deo et amicissimus et acceptissimus esset, a ommuni moriendi lege exemtum, atque a Deo in sui consortium, ad sedes liviuas, sublatum esse. Cum enim versu jam 22. dixisset, *ambulasse Eno- hum cum Deo* (pie degisse) post natum ex se Methusalam per trecentos an- ıos, filiosque et filias plures suscepisse, ac summam annorum Enochi v. 23. ndicasset, formulam illam: „ambulavit Enochus cum Deo" v. 24. consulto, :t videtur, *repetit*, addens continuo: „et esse desiit, sumente eum Deo;" raemii itaque loco hunc ejus exitum habuisse non sine quadam veri simili- udine putabitur. Quod praemium etsi possit vel in morte subita et mitiori ollocasse (dum modo, quae de Graeca antiquitate comperta habemus, ad lebraeam quoque transferri in hac certe caussa liceat); ita tamen verba: „לקח אתו אלהים" cum ipsa, qua pietas Enochi descripta erat, formula „ויתהלך חנוך את־האלהים") concinere videntur, ut eum, qui *cum Deo amice conversatus esset in terra, in perpetuum tandem sui consor- ium ab ipso* receptum dici, vix dubitare posse nobis videamur. Quo acce- it, quod, cum in omni hoc genealogiae vetustissimae fragmento (C. V. — 31.) indicatis patrum generationibus atque aetatibus *mortis* eorum men- io expressa addatur, ubi ad Enochum ventum est, non de *morte* tantum ejus iri altum silentium sit, sed etiam in indicando tempore, quod post Metha- alam genitum in terris degere perrexerit, *vitae* appellatio (ubique alibi, . 5. 7. 10. 13. etc. adhibita) evitetur. Tandem in ipsis antiquissimis Grae- orum et Romanorum fabulis exempla hominum, in Deorum consortium rapto- ım, non desunt (cf. v. c. *Homer*. Odyss. IV. 56 ss. XV. 259 ss. *Liv*. I. . 16.). Quare non videmus, cur discedendum sit ab ea loci nostri expli- atione, quam *Siraçides* (Cap. XLIV. 16. XLIX. 14.), Fl. *Josephus* (Antt. I. c. 3.) et auctor *ep. ad Hebraeos* (C. XI. 6.) praeiverant. Cf. Melan- hthon de anima, opp. ed. Basil. 1541. T. IV. p. 122. b. Storrius ad Ebr. XI. 15. doctiss. Pareau in comm. laud. p. 93 s. et diss. nostra, a. 1808. dita: quid in augenda immortal. doctr. rel. christianae ipsi hujus condito- es tribuerint? p. 34 ss. Plane similem esse *Eliae* in coelum sublati histo- iam, 2 Reg. II. 1 — 12., nec magis certe probare, beatae vitae, bonis mnibus post fata instantis, exspectationem Hebraeorum animis infixam fuisse, erbo monuisse sufficiet.

vel fidem saltim faciunt, fieri potuisse, ut patres Hebraeorum, et, qui posterioribus temporibus fiducia in Deum animique ad sublimia tendentis acie inter eos eminuere, alterius cujusdam vitae, terrenae molestias aerumnasque compensaturae, et praeclaris Dei promissis ita satisfacturae, exspectationem nonnullam susciperent alerentque, quamvis obscuriorem illam et augurii potius quam persuasionis, firmis rationibus nixae, instar habentem, velut locus Exod. III. 6. et similia [55]); vel ex poëseos cuncta animantis more aestimanda sunt, velut egregia illa Esajae pictura Cap. XIV. 9 — 15. [56]); vel denique in aliam plane sententiam interpretanda, quod de ceteris, quae diximus, omnibus valere existimamus [57]). Majorem aliquanto speciem habere fatemur,

---

55) v. Oporinus p. 128. 143 ss. Joach. Hildebrandus in diss. de vita aeterna ex lumine nat. et ex Pentateucho Mos. Helmst. 1684. Sect. IV. Michaelis l. c. p. 98 ss. b. Jerusalem l. c. p. 615. et al. Eum locum per se spectatum promissionem de favore divino *mortuis etiam patribus* exhibito continere, salva Jesu Christi argumentatione (Luc. XX. 37 s.) negandum esse ostendimus in diss. modo cit., p. 35 ss. Fatendum tamen duximus, praeclara illa promissa, quae, et illo loco et aliis multis (Gen. XV. 1. XVII. 1 — 8. XXVIII. 13.) testantibus, a Deo suo nacti sint patres, animis eorum, ad vitam sempiternam naturali desiderio latis, spem aliquam desiderati, mansurae nominatim in coelo civitatis, terrae promissae jacturam resarturae, augurium instillare potuisse, et, quae de his doceat *ep. ad Hebraeos* (XI. 9 — 16.), ab interna quoque veri similitudine commendari, p. 37 ss. 40. Eodem pertinet salutis *sempiternae* cogitatio, quae prophetis futura Messiae supplicia ac praemia reputantibus, obversata subinde fuisse a *Petro* apostolo ep. I. c. I. 10 ss. dicitur.

56) Ibi nimirum orci incolae regem Babylonium ad se detrusum ingenti cum stupore excipientes, et carmine satyrico pungentes inducuntur; moveri igitur, vivere, sentire, loqui sumuntur. Sed quamvis nolimus refragari, plus similitudinis cum vivis progrediente reipublicae hebraeae aetate sensim sensimque tributum esse manibus, in hoc tamen Esajae loco (aut quisquis sit, a quo profectum eum putemus, recentiorum fortassis vatum) difficile admodum fuerit, quae auctoris opinionem referant, quae elegantissimae prosopopoeiae absolvendae gratia addita sint, distinguere. Simillimus est locus Ezech. XXXII. 18 — fin.

57) Breve suspirium Gen. XLIX. 18. (nisi interpolatum sit, quod non multum a vero abhorret) fiduciam exprimit *Jacobi* morientis, fore, ut eodem divini auxilii beneficio, quo ipse fretus per vitam esset, filii quoque cum tribubus suis adversus gravissimos hostium incursus fruantur. Intelligere illud de alterius vitae sensu, quo ingruentis mortis dolores mitigare voluerit Patriarcha, (cf. praeter alios S. R. Pareau, p. 99.) nihil aliud est, quam vim inferre nexui sermonis. — Quod *Bileamus*, benedicens Israëlitis Num. XXIII. 10. precatur: „utinam horum proborum mortem moriar, exitusque meus eorum exitui similis evadat!“ omnis orationis contextus referri jubet ad terrenam omnis generis felicitatem, qua Israëlitae omnes *ad mortem usque* abundaturi esse cauuntur. Michaelis enim (l. c. p. 107.) dubium, inde petitum, quod Israëlitae peste aut pesti simillimis morbis abrepti et ex vita tanquam extur-

quod ex ipsa illa lege adversus mortuorum evocatores lata, cum historia sagae Endoreae comparata, desumitur argumentum [58]): *mortuum nempe consulere* nonnisi *ejus* esse putaveris, qui, non perennare tantummodo mortuos, sed et *cum conscientia sui, cum vitae hujus recordatione,* quin *cum aucta perspicacia* perennare, persuasum habeat;

---

bati sint, ut sub Palaestinae ingressum in sexcentis virorum millibus non nisi bini essent sexaginta annos supergressi, parum illud profecto movebit recordantem, Bileami oraculum sub ipsum itineris Israëlitarum finem, cum jam coepta esset terrae promissae expugnatio, (C. XXI. 21 ss.) prolatum fuisse; ut taceamus de aliis rationibus, quibus exceptioni illi facillime posset satisfieri. — Locus Psalmi LXXIII. 26. quem nostra adhuc aetate S. R. Ammon (l. c. p. 226.) et (ob v. maxime 24. de quo cf. not. 72.) cel. de Wette (Comm. über die Psalmen, Heidelb. 1811. p. 400.) beatae post mortem vitae spem efferre judicant, vix ambigimus, quin in hanc sententiam interpretandus sit: „totus depereo desiderio tui („כלה שארי ולבבי“ — cf. loca simillima Ps. 84, 3. 143, 7. 69, 4.); refugium enim animi mei bonumque summum Deus est in aeternum.“ — Quod denique attinet ad celebratissima illa effata libri *Coheleth* (in quo alii dudum omnem immortalitatem diserte negari, alii et immortalitatem animi et futurum post fata judicium luculentius quam in ullo V. T. libro doceri contenderunt, cf. J. J. Rambach diss. de libro Cóheleth, Hal. 1716. maxime §. 25 ss. S. V. Haenlein in N. theol. Journ. T. IV. p. 277 ss. S. V. Augusti Einl. ins A. T. p. 209 ss.); illo quidem qui exstat Cap. XII. 7. (cf. praeter alios multos Lilienthal. p. 672 s. Doederlein Iust. theol. chr. T. II. p. 128. Jerusalem l. c. p. 617 s.) equidem persuasum habeo nihil aliud significari, nisi *spiritum vitalem,* quo Deus animasset hominem, in morte ab ipso *retrahendum* (cf. Gen. II. 7. Psalm. CIV. 29 s. et not. 61.), cum totum hujus sectionis a C. XI. 9. ineuntis consilium in eo positum sit, ut homo juvenis ad vitam integre hilariterque gerendam senectutis et mortis ingruentis cogitatione invitetur. Capitis autem VIII. v. 12 s. non piorum *post mortem* felicitatem, malorum *post mortem* miseriam indici, sed *incertam*, *variam*, *arbitrariam* (cf. IX, 2.), quae in hac vita obtingere deprehendatur, fortunae utriusque inter bonos aut malos dispensationem eodem illo consilio, ut scilicet innocens et incuria laetitia commendetur (v. 15.), describi, omnis iterum orationis nexus, inprimis v. 15 cum antecedentibus conjunctio persuadet. Quae ipsa sententia etiam C. XI. 9. XII. 13 s., ubi *judicium* divinum, in altera vita imminens, disertis verbis annunciatum esse putabatur, expressa est. Locus enim C. XI. 9. ita capiendus: „Laetare, o adolescens, in juventute tua, bonoque es animo adolescentiae tuae tempore; i, quorsum te ferat animus tuus, oculique tui te invitent, *non immemor*, *illuc te Deum deducere suo* (quo fata tua regit) *consilio* (sic משפט C. III. 17. VIII. 5. coll. 6.). cf. v. 8. 10. Locus XII. 13 s. ita: „Age, summam rei omnis audiamus: Deum reverere ejusque jussa serva, id enim in cujusque hominis potestate est! Sed quod ad *vitae fata* attinet, ea quidem omnia Deus immittit *pro suo consilio*, in omnibus absconditus, sive prospera sint, sive adversa.“ Si quis dubitet vocem מעשה (quae de actionibus moralibus plerumque explicatur) vitae fata et vicissitudines indicare, cf. libri nostri C. 9, 7. 2, 17. et al. loca.

58) cf. Clericus ad 1 Sam. 28, 7., Doederlein l. l. et Jerusalem. l. c. p. 116., qui alterius vitae fidem *communem* ea aetate populo Judaico fuisse, isto argumento efficere posse sibi videntur.

quo accedit [59]), quod *Samuel quietem* suam, *qua beatus sit,* a *Saule* turbatam esse exprobrare ipsi videatur, (1 Sam. 28, 15). Attamen non praetermittendum erit, saepissime accidere, ut superstitiosa quaedam auxilia, metu potissimum aliisque affectibus urgentibus, quaerantur ab iis etiam, qui opiniones in illis auxiliis latentes, suas ceteroquin non faciant; *varia* fuisse νεκρομαντειας genera, neque omnia ejusmodi, ut, qui iis uterentur, ipsis defunctorum animis vel conscientiam sui vel majorem adeo intelligentiam inesse necessario censuerint, praesertim, cum magicis artibus manes excitari demum, iisque non ad apparendum modo, sed etiam ad loquendum impelli putarentur [60]); nec, si *Samuelis* umbrae, a necyomanti Endorea evocatae, cogitandi, reminiscendi, loquendi facultas tribuatur, consequi inde, necyomantas Aegyptios eorumque apud Hebraeos imitatores iis, qui ipsos consuluerint, *Mosis jam tempore tales* stitisse, quos percontati sint, mortuos; quin ipsam etiam manium *Samuelis* conditionem, qualis in apparitione, *Sauli* facta, deprehendatur, non *solitam* illis apud inferos, sed a sagae artibus praeter ordinem obtrusam fuisse videri; ceterum de *quiete* solum, non de *beatitudine* animae *Samuelis,* his artibus turbata, mentionem fieri (v. 15).

Deinde, vitam vere vitalem, post obitum instantem, inter Hebraeos veteres traditam fuisse, praeterquam quod satis clara ejus testimonia in Vetere Foedere desint, incertius etiam redditur *tum* inde, quod ipsa, quae in V. T. praevalet, *animi humani notio* opinioni, eum separatum a corpore revera vivere perrecturum esse, nequaquam favet [61]),

---

59) cf. *Jenaische Allg. Lit. Zeitung* d. a. 1806. Nr. 233. et S. R. Pareau l. c. p. 59 s.

60) cf. Jo. Wiebi de praestigiis daemonum (Basil. 1683.) l. II. c. 9 — 12. p. 183 ss. et Deylingii Obss. sacr. P. II. p. 192 ss.

61) Scilicet, quae in V. T. libris huc pertinent, tantum non omnia eo redeunt, ut hominum non minus quam ceterorum animalium animus pro *halitu* quodam (נפש — רוח — נשמה) habeatur, quem Deus, vitae omnis fons atque auctor, inanimae corporis massae inflaverit et ita hominem vivum, intelligentem, volentem, agentem stiterit (Gen. II. 7. coll. VI. 17.), victurumque etc., quamdiu illum in se manentem habiturus sit (Coh. XII, 7. Ps. CIV, 29.). Huic vitae principio, cui in pectore, in naribus, maxime vero in *sanguine* (Gen. IX. 4, 5. IV. 10. coll. Job. XXIV. 12. Num. XIX. 11. Lev. XVII. 12.) sedem fixerunt suam, omnes illas hominum vires, quae ab

tum quod innumera ibi occurrunt loca, quibus mors tanquam omnis humanae actionis, cogitationis sensusque terminus

---

animo derivari solent, acceptas retulere (Ps. XXXII. 2. Prov. I. 23. Ps. X. 3. Prov. II. 10. Ps. CXXXIX. 14. ss. Job. IX. 21. Prov. XX. 27.) cf. b. Carus, Psychol. der Hebräer, Lips. 1809. Equidem, quomodo fieri potuerit, ut ex ipsa illa narratione Gen. II. 7. veterum Hebraeorum de animi immortalitate persuasionem arguere conarentur viri intelligentiores (v. Gerhardum in LL. theol. T. XVII. p. 151 ss. Cottam ad eum l. et auctorem lib. Abhandlung über das Verdienst der christl. Rel. um die Unsterblichkeitslehre, p. 45 ss.), me vix assequi fateor. Neque minus miror, nostrae aetatis nonnullos scriptores ab Hebraeorum de mente humana imagine non plane alienam putasse opinionem illam de animorum in orco προύπαρξει, quam in quibusdam V. T. locis (v. c. Ps. CXXXIX. 15. Job. I. 21. XXX. 23.) invenisse sibi videbantur, velut (post Herderum, Zieglerum etc.) Ven. de Zobel, in l. Magazin für bibl. Interpretation, T. I. Fasc. I. 1805. comment. I. §. 10. Cf. quae contra a me monita sunt in Tubing. gel. Anzeigen, d. a. 1807. p. 444—450., haec: Die Frage, ob wirklich der Scheol von den alten Hebräern als Aufenthaltsort der Kinderseelen vor der Geburt gedacht wurde? ist unter den Gelehrten streitig. Der verstorbene *Serz* beantwortete sie verneinend in einer eignen Disputation vom J. 1792. *Bauer* und *Flügge* u. s. w. traten ihm bei. Der Hr. Verf. bejaht sie (mit *Herder* und *Hezel*), und gibt sich viele Mühe, sie zu beweisen. Die Stellen, die er dafür beibringt, theilt er in zwo Classen: 1) solche, wo von einer *Bildung des Menschen im Schattenreich* und von dessen *Heraufkommen* aus demselben die Rede ist. 2) solche, die von einem *Zurück—Wiederhinunterkehren* des Menschen ins Schattenreich handeln. Unter Cl. 1. kommt, nach Rec. Ueberzeugung, nur Eine vor, die mit einigem Schein zum Beweis für jene Vorstellungsart gebraucht werden kann, nämlich die Stelle Ps. 139, 15. לֹא נִכְחַד עֶצְמִי מִמֶּךָּ אֲשֶׁר עֻשֵּׂיתִי בַסֵّתֶר בְּתַחְתִּיּוֹת אֶרֶץ. Hier scheints nämlich, בתחתיות ארץ könne nichts anders seyn, als: im Scheol, und so denn auch das parallelstehende בסתר. Denn wie könnte ein Mensch von sich sagen, er sei *im tiefen Schoos der Erde gebildet* worden, ohne dafs jene Vorstellungsart vom Scheol als dem Aufenthaltsorte der Seelen vor der Verbindung mit dem Leibe vorausgesetzt wird? Zwar hat man sonst, vergl. V. 13. תחתיות ארץ für *Mutterleib* genommen, aber, sagt Herr v. Z., ohne Beweis aus dem Sprachgebrauch; vielmehr ist בטן אמי auch V. 13. der Scheol, als der tiefste *Schoos der Mutter Erde.* — Rec. gibt zu, dafs תחתיות ארץ nicht *geradezu* für Mutterleib gesetzt sei, glaubt aber, es stehe metonymisch für: *tiefste Verborgenheit* = סתר (vergl. עָמוֹק Koh. 7, 25. עֲמִיקָתָא וּמְסַתְּרָתָא Dan. 2, 22.); so fällt der ganze Beweis des Herrn Verf. Nun ist die Stelle nichts weniger, als eine der herrschenden Idee und dem ganzen Zwecke des Psalms angemessene *Folgerung* aus V. 13. „Du *bildetest* mich in Mutterleibe (V. 13.); also war dir auch mein Wesen *nicht verborgen*, als ich gemacht ward im Dunkel, künstlich gebildet ward (wie) in der Erde Tiefe" (V. 15.) Wie viel ist aber *gegen* die Erklärung des Hrn. Verf.! Er mufs a) natürlich עצמי für: *„meine Seele"* nehmen. Diese Bedeutung ist aber ganz unerweislich, ungeachtet hier behauptet wird, Ps. 6, 3. 51, 10. sei sie nothwendig (in diesen Stellen kommt vielmehr עצם offenbar auch im körperlichen Sinne, wiewohl vom *Innern des Körpers* vor). Er mufs b) eben so auch V. 13. כִּלְיוֹתַי von der Seele verstehen, und בְּבֶטֶן אִמִּי übersetzen: im

describitur, nil nisi umbra quaedam vitae superesse, nil nisi immota, iners et flaccida quies dominari apud inferos dici-

---

Innersten der Erde = im Scheol. Wirklich gebraucht er diesen 13ten Vers als *Beweis* für seine Behauptung, weil כליות gewöhnlich den Sitz der Empfindung bezeichne = לב, der Sitz der Empfindung und der Gedanken aber den Orientalern nur Einer sei. So wahr dieſs ist, so folgt daraus doch nicht, daſs wir für כליות *Seele* substituiren dürfen, geschweige *müssen.* כליות, לב ist das *Innere des Menschen* überhaupt, wo die Empfindung, wo der Gedanke, wo — das Leben den Sitz hat. *Aber der alte Hebräer unterschied nicht zwischen Seele und Leib.* — בטן אמי kann überdieſs, schlechtweg gesetzt, nicht wohl Schoos der Erde oder Scheol seyn, obgleich einmal Jesus Sirach (C. 40, 1) die Erde Mutter der Menschen nennt, und Profanschriftsteller sie häufig so personificiren. c) Herr v. Z. wird durch V. 16. in Verlegenheit gesetzt, wo er doch גלמי *nicht* von der Seele verstehen *kann*, und also annehmen muſs, *hier erst* sage der Dichter: „*auch meinen Körper* sahen deine Augen!" Aber wie unerwartet, ja unschicklich kurz bräche hier der Dichter ab! גָּלְמִי רָאוּ עֵינֶיךָ wäre alles, was er vom Körper sagte, V. 13—15. hingegen handelte von der Bildung des „Seelenstoffs." — Hiob 3, 16 — (wo doch die עוֹלְלִים לֹא רָאוּ אוֹר nicht Kinderseelen seyn müssen), Ps. 9, 14 (wo מְרוֹמְמִי מִשַּׁעֲרֵי־מָוֶת gar wohl heiſsen kann: der du mich *heraufführst*, heraufzuführen *pflegst*, schon oft heraufführtest aus den Todes Pforten, d. i. mein Retter aus Todesgefahr!), Ps. 71, 6 (wo der leichteste, erweislichste Sinn *der* ist: du warst meine Stütze seit meiner Geburt, du mein *Wohlthäter* von Mutterleibe an) alle diese andern Stellen können doch dem Herrn Verf. selbst nicht sehr gewichtvoll scheinen. Etwas günstiger ist ihm die 2te Classe von Stellen, und unter diesen besonders wieder die erste, Hiob 1, 21, wo es heiſst: עָרֹם יָצָתִי מִבֶּטֶן אִמִּי וְעָרֹם אָשׁוּב שָׁמָּה. „Wenn Hiob *in den Leib seiner Mutter zurückkehren konnte, so muſste er schon vorher da gewesen seyn!* Unter dem Leib seiner Mutter aber *muſs* er hier den Schoos der Erde verstanden haben, weil er ja doch nicht in Mutterleib zurückkehren konnte; also war er schon *vorher* im Schoos der Erde gewesen." Allein a) das könnte man annehmen, ohne die Meinung des Herrn Verf. zu unterschreiben; nach der Stelle Gen. 3, 19. du bist Erde und zur Erde sollt du wiederkehren. b) Das שוב bezeichnet nicht gerade das Zurückkehren *an* einen bestimmten Ort, von dem man hergekommen war, sondern auch nur das *Wiederweggehen von* einem Orte, an den man vorher gekommen war, und שמה muſs nicht eben auf בטן אמי, es kann auch auf אמי allein bezogen werden, wie schon *Hufnagel* es nahm: „blos werd' ich ihr (meiner Mutter) zur Erde folgen;" oder man kann es auch ganz absolut, als unbestimmten, aber pathetischen, Ausdruck, nehmen. — Die Erklärung von Hiob 21, 13. ist auf jeden Fall ungewiſs. Bei Hiob 30, 23. „כִּי יָדַעְתִּי מָוֶת תְּשִׁיבֵנִי וּבֵית מוֹעֵד לְכָל־חָי" (wo מות sicherlich nicht = שאול ist) und Ps. 9, 18. יָשׁוּבוּ רְשָׁעִים לִשְׁאוֹלָה findet wieder seine Anwendung, was so eben von שוב bemerkt wurde. Alles, was man etwa zugeben könnte, wäre, daſs das שוב *eine Wiederkehr zur Erde, aus*

tur [62]); *tum* denique quod *Moses* ceterique prophetae, ubicunque certis quibusdam praemiis aut poenis propositis

---

welcher der Mensch (wiewohl nicht der Seele nach) *genommen war*, bezeichne. In dieser Hinsicht *könnte* sogar auch von einer Wiederkehr *in den Scheol* in so fern gesprochen werden, *in so fern* der Scheol *im Innersten der Erde war*. Aber, wie schon erinnert wurde, es ist ungewiſs, ob das שוב gerade das Zurückkehren *an den nämlichen Ort*, woher man kam, einschlieſse. Bei 1 Sam. 2, 6. מוֹרִיד שְׁאוֹל וַיָּעַל wird der Hr. Verf. selbst gerne zugeben, daſs *seine* Deutung *wenigstens* nicht nothwendig sei. Die exegetischen Beweise des Verf. (die nach der Relation des Rec. vollständig beurtheilt werden können) müſsten viel stringenter seyn, wenn sie gegen die *Unwahrscheinlichkeit*, die seine Ansicht a priori hat, sollten aushalten können. Diese Unwahrscheinlichkeit ist nämlich nach unserer Ueberzeugung durch den historisch-erweislichen Umstand begründet, der schon gelegentlich berührt wurde, daſs die Hebräer zwischen Geist und Materie, Seele und Körper erst sehr spät unterscheiden lernten, und selbst alle ihre *Ausdrücke* vom Denken und Empfinden und Wollen auf reinen Materialismus hindeuten. Die orientalisch-platonische Idee von der *Präexistenz der Menschenseelen* paſst schlechthin nicht in ihre Gedankenreihe. Hätten sie sie gehabt, so würden sie wohl auch früher schon hellere Blicke über das Grab hinübergeworfen und sich zum Glauben an einen Vergeltungszustand erhoben haben. Daſs wir später im Buch der Weisheit, bei Philo, bei Rabbinen (wohl auch, wiewohl dieſs noch sehr zweifelhaft seyn möchte, bei den Juden im N. T.) jene Idee finden, ist natürlich und sehr leicht zu erklären. (Wenn im Gegentheil der Hr. Verf. zeigen will, auch die alten Hebräer haben sie von den *Aegyptern* erhalten können, so lassen sich dafür gar zu wenig sichere Spuren anführen. Die Nachrichten griechischer Historiker vom Religionssystem der Aegypter sind theils zu unbestimmt, theils gehen sie (wenigstens nicht gewiſs) in so frühe Zeiten hinauf).

62) Esse desinere hominem, qui moriatur, et cum pulvere, unde sumtus sit, misceri vicissim, Gen. III. 19. XLII. 36. coll. 13. 32. add. Ps. XC. (quem *Mosi* abjudicare nolim) maxime v. 3. legimus; cui antiquissimae de morte loquendi formulae plurima V. T. loca concinunt, v. c. Ps. XLIX. 9. 13. Coh. III. 16—22., quo utroque loco homines perinde in morte se habere dicuntur ac bestiae, quamvis amplius ea sententia explicita sit in posteriore loco, praesertim v. 19—21: „homini enim et bestiae eadem plane sors est, *ut haec moritur, ita ille, unus omnibus spiritus est, nec ab ulla parte homo bestiae praestat;* nam omnia inania sunt. *Omnia in unum locum migrant, omnia e pulvere facta sunt, omnia in pulverem revertuntur. Quis novit, spiritus hominum an in sublime ascendat, et spiritus bestiae, an deorsum labatur in terram?*“ Ubi plane nihil proficeres, si cum multis (non antiquioribus modo) interpretibus, invito linguae genio (cf. his sequens pronomen הוא), ה vocibus העולה et היורדת praefixum pro *demonstrativo* potius quam pro interrogativo sumendum dixeris. *Talis* enim spiritus humani in sublime ascensus, qui immortalitatem seu novam vitam secum ferat, profecto ne sic quidem ab auctore innuitur, cum hoc posito magnum confestim inter homines et bruta discrimen intercederet. *Actionem* porro omnem, *cogitationem*, *intelligentiam*, *sapientiam* omnem *ab alta orci quiete exulare*, idem auctor claris verbis affirmat Cap. IX. 10, consentientibus multis Psalmorum (VI. 6. XXX. 10. XXXI. 18. CXV. 17.), Jobi (III. 13—19. X. 22.), Esajae (XXXVIII. 18 s.) etc. locis, quae omnem Dei celebrationem, omnem conditionis humanae differentiam, maleficorum aeque metum ac fessorum laborem victorumque injurias (Job. III. 17.) cessare apud inferos variis modis exponunt. Neque, quod *Jobi librum* attinet,

obsequium legibus praestandum vitaeque integritatem inculcent et commendent, nonnisi terrena bona promittunt, terrena mala comminantur [63]), proborum vero miseriam, secundas improborum res ita plerumque interpretari et cum Dei providentia et veracitate conciliare solent, ut vel versuram esse fortunam ante fatalem mortis terminum praesagiant, vel posterorum futuram sortem in subsidium vocent, vel in occulto summi Numinis consilio venerando acquiescant [64]).

---

moveri nos patiemur eo, quod acutissime observavit S. R. Pareau, Capitis scilicet XXVIII. versu praesertim 22. perfectiorem, quam quae mortalibus in terra degentibus contingat, sapientiae cognitionem mortuis tribui (p. 137 s. et in addito Commentario, cui titulum fecit: „Sermo Jobi de sapientia mortuis magis cognita quam vivis, s. Jobeïdis Cap. XXVIII," pp. maxime 348—352). Ibi enim nihil profecto aliud poëta sibi velle putandus est, quam: *nullibi locorum*, neque in terra, neque in aethere, neque in orco sapientiam inveniri. Verba enim v. 22., orco et morti afficta, „באזנינו שמענו שמעה" ita interpretari: „nos hoc de ea (sapientia) effatum nostris audivimus auribus „(quod effatum sequeretur a v. 23. ad finem Capitis), id quidem esset a consuetudine linguae hebraicae recedere; quamvis enim שֵׁמַע *semel*, in loco nempe Hos. 7, 12. sumi *videatur* de annunciatione quadam certis hominibus facta, omnibus tamen aliis locis vel *audiendi sensum*, vel *famam, rumorem* significat, et tum, ut h. l., additus saepe est genitivus ejus rei, quae audiatur,); sunt potius illa ita capienda: „rumorem quendam et nos de illa audivimus (praetereaque nihil)." Et habet quidem emphatici quid, quod additur: „באזנינו," sed *id* urgetur, eos *auribus solis* nonnihil de ea percepisse, non ipsam oculis intuitos esse aut animo perspexisse. Quae a v. 23. sequuntur, nulla caussa est, cur ad inferorum orationem referamus, cum neque ea, quae v. 15—19. leguntur, maris et oceani verba cum doctissimo Pareau (p. 351. 404.) habenda sint. Praeterea, si vel maxime demus, v. 23 ss. loquentes induci Orcum et Letum, ne sic quidem aliud quicquam diceretur, quam ipsum illud: nec apud inferos esse sapientiam (v. 23. 27.).

63) Id ipsum quamvis rectissime excusetur e consilio Mosis ac Prophetarum theocratico et politico, ex indole populi inculti, incitamentis minisque praesentibus sensuique obnoxiis, non ex altera quadam vita desumtis, movendi, e provida cura, omnem idololatriae ansam, quam animorum perennantium cogitatio praebere potuisset, evitandi etc. (cf. praeter alios Warburtonum in libro saepius laudato, b. Jerusalemium l. c. p. 621 ss. et S. V. C. C. Flattium, amicum desideratissimum, in comment. „Etwas zur Apologie der mosaischen Religion, Mag. für christl. Dogm. n. Moral. Fasc. III. 1797. p. 117 ss.); *dandum* tamen sine dubio erit, nec inficiandum unquam a theologis nostris aut mysticis interpretationibus velandum erat (cf. Gerhardi Ll. theol. T. XX. p. 199 ss.).

64) Quid sit, quod non raro malis tam bene, bonis tam male fiat in his terris, cum studiosius quaeri coeptum esset a *Davidis* inde temporibus, complures *Psalmi* (XXXVII. potissimum et LXXIII.) omnisque *Jobi* liber in tractando hoc argumento (ceterum nec in *Salomonis* scriptis neglecto) allaboraverunt. At solvendo nodo vitae alterius praemiorumque ac suppliciorum in ea instantium cogitationem nullibi adhibitam inveneris; sed, ut dixi-

b) Neque etiam doctrinam de *futura aliquando corporum humanorum* omnium *resurrectione*, qua *vera* tandem *vita* mortuis restituenda, et ad *praemiorum suppliciorumque justam dispensationem* via sternenda sit, (quamvis ea cum ceteris Hebraeorum veterum opinionibus magis profecto conspiraverit, quam animi post ipsum mortis momentum vere victuri fides [65])), neque hanc, inquam, de resurrectione doctrinam ita tradidisse videntur Veteris Testamenti scriptores canonici, ut in sanctis religionis Judaicae decretis numerari indubie posset.

Scilicet in *Mosis* ipsius scriptis, in *Davidicis* ac *Salomoneis*, denique in libro *Jobi* futurae corporum humanorum instaurationis spem exprimi, equidem sine temeritatis suspicione negare posse mihi videor. In iis potius ubique recurrere videmus eandem illam loquelam, *nullum dari ex orco reditum* (Ps. XLIX. 8. 9. 2 Sam. XXII. 6. Cant. VIII. 6. Job. VII. 7—10. [66]) X. 20 ss. XIV. 7—19. XVI. 22,) [67])

mus, vel ad fortunae fragilitatem atque inconstantiam sese receperunt, qua futurum sit, ut impii tandem intereant, pii (ante mortem) triumphent (Ps. XXXVII. 9. 10. 11. LXXIII. 17—20. 24. 27. coll. XLIX. 8—14. add. Jobi C. IV. V. XX. et al. loca), vel ad probitatis scelerisve contrarios fructus a liberis certe ac posteris metendos (XXXVII. 25. 26. 28. cf. Exod. XX. 5. 6.), vel denique ad summam Dei, sive potentiam, cui quomodocunque agenti refragari nequeat homo pulvis (in quem fere modum *Jobus* ipse, C. IX. XII—XIV. XXI. 22 ss. judicavit et auctor libri Coheleth, cf. not. 57) sive ad *sapientiam* divinam, quae, quamvis calamitatibus inflictis meliores etiam homines magis magisque emendare atque ab arrogantia servare velle putanda sit, occulta tamen in plerisque consiliis suis maneat, et ita adorari ab hominibus coecutientibus velit; quomodo et Elihuum Busitam (C. XXXIII. 14—25. XXXVI. 5—15. XXXI. 21—24. XXXVII. 19. etc.) et *ipsum Jobëïdos auctorem* sensisse, cum cel. Ilgenio (Jobi ant. carm. natura etc. Lips. 1789. p. 208 s. et alibi) ac S. V. Staeudlino, („über die Philosophie, den Zweck u. den Ursprung des Buchs Hiob" in l. Beiträge zur Philos. u. Gesch. der Rel. u. Sittenl. T. I. p. 133—220.) persuasum habemus.

65) cf. S. V. Staeudlini doctrinae de futura corporum exanimatorum instauratione ante Christum historiam, recus. in commentatt. theol. ed. Veltheusen, Kuinoel et Ruperti, V. I. p. 271.

66) Eo loco ipsi Sadducaei usi sunt ad oppugnandam resurrectionem, Rabbini vero pariter ac Patres ecclesiae ad probandum, quod ea doctrina ignorata sit a Jobo, v. S. R. Pareau p. 4. 5. Lightfoot Horae hebr. ad Matth. XXII. 23.

67) His et similibus locis ita (praeeunte quodammodo b. Herdero, Geist der hebr. Poësie, T. I. p. 217 s.) mederi conatur doctiss. Pareau (p. 141—152.), ut *rudiorem illam et commentitiam*, quae inter *Arabas Aegyptiosque dominata fuerit*, *futuri mortuorum in hanc ipsam terram reditus exspectationem*, minime vero sanam resurrectionis spem rejectam in illis esse statuat. Sed rudiorem aliquam de vita terrena aliquando iteranda doctrinam Arabi-

Ea vero, quibus futura corporum resurrectio innui dicitur, loca, v. c. Deut. XXXII. 39. (1 Sam. II. 6. Hos. VI. 2.) 2 Sam. XII. 15 — 24. Ps. XVI. 9 — 11. XVII. 15. XLIX. 15 s. Job. XIV. 12. XVII. 12 — 16. XIX. 23 ss. in aliam sententiam intelligi non facile tantum possunt, sed etiam debent, cum praeter orationis contextum contrariae quoque illae, de quibus modo diximus, sententiae, aliam interpretationem flagitent. Quae ut propius aliquanto dispiciamus, Deut. quidem C. XXXII. 39. summam potentiam suam, e qua omnis hominum vita ac fortuna pendeat, ita describit Deus: אני אמית ואחיה etc., quod quamvis ex linguae consuetudine liceret de potestate *conservandae vitae* interpretari, collatis tamen locis 1 Sam. II. 6. (ubi verbis: „יהוה ממית ומחיה" respondent illa „מוריד שאול ויעל") et Hos. VI. 2. (יחיינו מִיָּמִים ביום השלישי יקמנו ונחיה לפניו) ita sumendum est, ut e *praesentissimo mortis periculo summaque calamitate* eripere posse perhibeatur idem, penes quem sit mortem extremamque miseriam infligere. *Ipsam* vero *e morte restitutionem* (quamvis *et hujus potestatem* Deo tribui facile concedere possimus) his locis non intelligendam esse, ex additis membris sententiisque parallelis (מחצתי ואני ארפא Deut. loco; הוא טרף וירפאנו יך ויחבשנו apud Hos. v. 1.; v. 4. 5. 7. 8. in cantico Hannae) et magis etiam ex omni eorum locorum tenore atque consilio apparet. — Quod Davides 2 Sam. XII. 23. *se quidem ad filiolum abiturum*, non vero hunc ad se rediturum esse inquit, id non ita dictum esse, quasi consuetudinis cum illo olim redintegrandae spe lenierit animum [68]), sed ut luctus continuandi inanitatem ob oculos poneret, vel ex ipso commatis initio: „postquam autem mortuus est, quid jejunem? num eum revocare potero?" satis elucet. — Neque etiam Ps. XVI. 10. aut XVII. 15. vitae aliquando renovandae spem expressisse putandus est. Priore enim loco si Messiam loquentem induci sumseris, *ejus solius* ab orci vinculis im-

---

bus aut Aegyptiis *illius aevi* tribui vix posse, diss. hujus P. I, p. 65 s. ostensum a nobis esse putamus. Neque profecto liquet, cur Jobus, *dum* vulgarem illam, si placet, opinionem aspernaretur, saniorem, illi contiguam, non substituisset illi et ad animum suum erigendum adhibuisset.

68) cf. S. R. Bareau, p. 105 s.

munitatem praedici concedes; sin Davidem se ipsum dicere existimaveris (quod salvis apostolorum argumentationibus Act. II. 25 ss. XIII. 35 ss. fieri potest [69])), nihil aliud (toto carminis contextu atque consilio docente) sperasse illum statues, nisi, fore, ut immotus ab invidorum illecebris minisque (v. 3 — 8) piae constantiae suae praemium a Deo suo reportet, quippe qui summam ipsi [70]) securitatem paraturus, nec morti ingruenti ipsum traditurus (cf. Ps. CXVIII. 17. ss.), aut in orcum delabi siturus (v. 10), sed vitae felicissimae laetissimaeque viam ipsi pansurus (v. 11) sit. Psalmi vero XVII, quo Dei auxilium contra hostium insidias implorat auctor (v. 7 — 14), v. ultimo firmiter se confidere profitetur, fore, ut, quamprimum expergefactus fuerit, s. *proximo jam mane* (cf. CXLIII. 8. et XLIX. 15.), *benignissima Dei tutoris praesentia fruatur* [71]). Ipsum Ps. XLIX. 15. 16. locum perdifficilem nos ita interpretandum esse putaverimus: „Ovium instar orco devovebuntur, et mors eos pascet. Conculcabuntque eos probi proximo mane, et *consumtus erit omnis horum* (proborum) *dolor*, cum *ejus* (ut hostium) *receptaculum factus sit orcus*. Meam vero vitam Deus ab orco servabit; immo, eripiet me e mortis periculo!“ [72]). Ut vero solenne est Davidi ceterisque

69) cf. diss. nostra ad introdd. in l. Psalm. supplementa quaedam exhib. p. 23 ss.

70) בשורי — cf. Ps. LXXXIV. 3. LXIII. 2. LXXIII. 26.

71) Ut nempe ראי פנר המלך 2 Reg. XXV. 19. Jer. LII. 25. Esth. I. 14. sunt *intimi regis amici*, ita faciem Dei praesentissimam (תמונתך = פניך cf. Num. XII. 8.) summa cum voluptate (אשבעה) visurum se gloriatur Psaltes, dum *intimam ejus amicitiam*, ab omnibus periculis se defensuram, sperat experiri. Neque est, cur ab hac interpretatione nos dimoveat v. antecedens, ubi hostes, contra quos auxilium divinum imploratur, ita dicuntur describi, esse eos terrenae felicitati toto animo addictos, unde pateat, *opponere se iis* auctorem nostro versu, et *beatitudinis terrena altioris* desiderium atque spem profiteri (cf. S. R. *de* Wette, in comm. über die Psalmen, Heidelb. 1811. ad l. n.). Nihil enim aliud v. 14. sibi velle psalten, quam hoc: auxilium Dei contra hostes sese invocare confidentissime, etsi illi omnibus fortunae splendidissimae bonis *per totam vitam longissimam mactari videantur*, id quidem (ne in criticam et grammaticam loci difficilioris enodationem evagemur, quod longius esset) vel inde satis apparet, quod v. 13. horum hominum *oppressionem*, atque ita liberationem ab iis et eodem versu et toto carmine, precatur.

72) יקחני — cf. not. 54. et Ps. XVIII. 17. In eandem rationem אחר כבוד תקחני Ps. LXXIII. 24. sumere, nihil certe vetat, quamvis

Psalmorum auctoribus, in angustiis sese consolari periculorum divina ope superandorum, hostium feliciter tandem subigendorum etc. exspectatione, ita hoc quoque loco v. 15. *conculcatum* tandem insolentes adversarios a piis iri speratur.

Job. XIV. 12. verbis: עד־בלתי שמים לא יקיצו non *tempus*, quo mortui jacentes tandem resurrecturi sint (ואיש שכב לא יקום), definiri, sed, ut saepissime similibus formulis[73]), certitudinem aut perennitatem rei affirmatae exprimi, quicquid acutissimus *Pareau* (l. c. p. 144 — 152) oggerat, universum orationis consilium ostendit.

Cap. XVII. 12 — 16., ubi in eo est Jobus, ut amicorum de recuperanda ante obitum felicitate promissa repellat, tandem, v. 16., ad orcum, ait, descendere spes suas omnes, et secum decubituras esse in pulvere; quod de recuperandae aliquando vitae exspectatione, ad ipsos inferos Jobum comitante, intelligere, quis facile cum eodem Viro doctissimo (p. 156 — 160) in animum induxerit?

Restat locus Jobi celebratissimus, in doctrina de immortalitate et mortuorum resurrectione pro classico olim habitus[74]) C. XIX. 25 — 27., in quo non felicitatis ante mortem sibi restituendae, sed vitae ipsius olim recuperandae resuscitandique corporis fidem a Jobo efferri, inde potissimum post alios[75]) efficere annisus est S. R. Pareau[76]) (p. 167 ss.), quod ab initio ad finem usque totius disputationis Jobus inducatur de vita sua et de felicitatis adeo pristinae redintegratione penitus desperans mortemque proxime exspectans (cap. III. 21. s. VII. 5. 6. 16. IX. 25 s. maxime vero in sermone illa dicta antecedente c. XVI. 20 ss. XVII. 1. 11 — 16. XIX. 10 — 12). Nos omnem istum locum capiendum putamus in hunc modum: Jobus, nova acerbissimaque Bildadi vellicatione (cap. XVIII.) ad incitas

---

et prius et postea de Psaltae in *religione* tuenda constantia sermo sit (cf. S. R. *de* Wette ad h. l.). Ejus enim ipsius praemium fuit „*honorifica* ex hostium insidiis *ereptio*."

73) Ps. LXXII. 7. Es. LIV. 10. Jer. XXXIII. 20 s. 25 s.

74) cf. instar omnium Gerhardum in LL. theol. Loc. XXVIII. C. 2. T. XVIII. p. 298 ss.

75) cf. S. V. Hufnagel in vers. Jobëidis vernac. p. 113 s.

76) Adstipulatur Ven. Voigtlaender in isagoge ad interpretationem Job. XIX. 23 — 27. Dresd. 1809.

depressus, et ita contritus, ut vel cruciatorum suorum misericordiam humillime imploraret (XIX. 21 s.), tandem, quasi monitus ab innocentiae suae et dignitatis sensu, denuo sese colligit et dicta certe sua, quibus innocentem sese esse constantissime asseveravit, in aeternam memoriam consignari, plumboque, immo lapidi incidi cupit (v. 23. s.), mox vero, crescente animo, confidentiorem spem arreptam his verbis prodit: „Immo novi equidem: vivit defensor meus, postremusque adversus pulverem [77]) assurget. Et tandem, quamvis cutem meam corroserint (vermes), ex hac ipsa carne mea videbo Deum. Eum autem *mihi* videbo, oculique mei videbunt, nec peregrinum (hostem)! Deperco eum intimo pectoris desiderio." Quam interpretationem cum hebraico loquendi usu convenire, non est quod probemus; sed a Jobi ipsius etiam sensu, quem in omni suo sermone exserat, eandem non excludi, vix vereor, ne dubitet, quicunque vel universim meminerit, inconstantes sensibus esse et a variis affectuum vicissitudinibus ultro citroque moveri afflictissimos quosque homines, vel in animum praesertim revocaverit, ipsum Jobum aliis quoque sermonum suorum locis (X. 20. XIV. 6.) ardentissime precari, ut ante mortem refrigerium sibi largiatur Deus, quin, uti saepius (v. c. XXXI. 35 — 37.) ita etiam paullo ante haec dicta (XVI. 20 ss. XVII. 3. 4.) orare Deum, velit ipse innocentiam suam solenni sententia testari, et de ea convincere obtrectatores suos. Eam enim spem fortassis ne nostro quidem loco excedere [78]); ei tenendae, etsi valetudinis restitutionem desperasset, *in tanta innocentiae suae justitiaeque divinae conscientia* non impar fuisse censendus est [79]), eandem denique apparente revera Deo (C. XXXVIII. 1 ss.) expletam esse diserte (C. XLII. 5. coll. XIX. 27) profitetur. — At restaurandae vitae spem tam confidenter hic expressisse Jobum, non tantum propter complura illa loca, quibus con-

77) i. e. imbecillos hos homunciones, cf. Gen. XVIII. 27. Ps. CIII. 14. Sir. X. 9. XVII. 32. etc.

78) cf. ad l. n. Ven. Stuhlmann (Hiob, neu übers. Hamb. 1804.) et cel. Gaabium nostrum in annott. vernac. suae Jobeidis versioni (Tub. 1809.) add. p. 25 ss.

79) Ita Ven. Voigtlaendero videbatur in comm. cit.

trariam opinionem profitetur (v. supra p. 157. et not. 67) sed vel propterea abhorret a vero, quod et difficile creditu fit, Jobum *semel*, non saepius spe illa, quae sola restitisset, sese consolaturum *sodaliumque opprobria* ejus *ope* repulsurum fuisse, et, licet serius additos habeas prologum et epilogum, universo tamen auctoris consilio [80]), non convenisset fingere, Jobum suavissima ista exspectatione animum suum erexisse [81]).

Jam quod attinet ad *libros historicos*, in iis quidem nihil deprehendimus, quod cum aliqua specie trahi huc possit, nisi narrationes illas de hominibus duobus *modo* mortuis, quorum unum Elias, alterum Elisaeus vitae reddidisse dicitur (1 Reg. XVII. 17 ss. 2 Reg. IV. 18 ss). Unde apparet sine dubio, *notionem* novae vitae, quae hominibus certe non multo antea mortuis impertiri possit, non alienam fuisse ab illius aevi Judaeis. At quamvis hoc *viam quodammodo sternere potuerit* ad spem futuri aliquando hominum omnium in vitam reditus concipiendam, amplo tamen intervallo ab ipsa ejusmodi exspectatione abfuisse, non est, quod moneamus.

In *Prophetarum* vero oraculis tria [82]) occurrere loca fatemur, quibus vitae mortuis sepultisque hominum corporibus reddendae notio insit, loca nimirum Es. XXVI. 19. Ezech. XXXVII. 1 — 14. et Dan. XII. 1. ss. Sed eorum priora duo nonnisi *reipublicae Judaicae restitutionem* sub corporum in vitam revocandorum imagine adumbrare, cum aliis interpretibus plurimis persuasum habemus [83]). Po-

80) Id nempe in eo esse ut iniquissimam quamque fortunam, et quam cum justa Dei gubernatione conciliare homo plane nesciat, modesto tamen pioque animo sustinendam esse doceatur; cum ex omni libro appareat, singillatim elucet e Dei ipsius sermone, C. XXXVIII. ss.

81) Cf. praeter alios cel. Eichhorn in comment. „Hiobs Hoffnungen," Allg. Bibl. d. bibl. Lit. T. I. p. 367 — 90. et S. R. Augusti in l. „Praktische Einl. ins A. T. von Berger" a se continuati T. IV. 1808. p. 232 ss.

82) Alia quaedam, olim allegari solita, ut Hos. XIII. 14., nemo erit, qui urgere etiamnum velit.

83) In omni enim illo sermone Es. XXIV — XXVII. id agit vates, ut extremam terrae Israeliticae devastationem populique scelerum suorum poenas luentis eversionem atque dispersionem describat, sed futuram etiam liberationem et restaurationem promittat. Jam C. XXVI, 16. „in angustia," pergit, „te, Jova, quaesiverunt, suspiria protruserunt, cum eos castigares. Velut gravida, partui propinqua, clamat in doloribus suis, ita nos coram te fuimus, Jova! Parturivimus, doluimus, quasi ventum pareremus. Salu-

stremum autem quamvis revera putemus de futuro singulorum hominum e mortuis reditu sumendum esse [84]); illam tamen, quam quaerimus, doctrinam, qua corpora humana *omnia* ad *vitam vere aeternam eamque non terrestrem*, restauratum iri statuatur, contineri eo non videmus. Expressis enim verbis nonnisi *multi* sub terra dormientium expergefaciendi dicuntur (v. 2.), quod ne de omnibus quidem Israëlitis [85]) (qui profecto non tam ambigua vocula notati essent), sed de iis tantum, qui vel defensae reipublicae constantissimaeque pietatis laude, vel proditae et ejus et religionis crimine ante alios excelluerint, intelligere consentaneum est. Et cum sermo esse videatur de seculo illo aureo, Messiano [86]), miseriam ab *Antiocho Epiphane* allatam mox secuturo (quod e nostri capitis cum antecedentibus et conse-

---

tem terrae non paravimus, nec incolae mundi provenerunt (— desolatio neque averti neque finiri labore acerbissimo a *nobis* potuit —). *At* (v. 19.) *mortui tui reviviscent, cadavera nostra resurgent, jubilabunt, qui in pulvere jacent.* Ros enim malvarum ros tuus. *Immo terra mortuos edet.*" Quod in hac orationis serie nihil aliud sibi velle, nisi id: „revertemur in patriam, novamque rempublicam constituemus, Phoenicis instar e cinere assurgentem," magnopere etiam confirmatur versu 14., ubi de hostibus populi, quorum interitus salutem ei reddidit, ita triumphatur: „Mortui non reviviscent, manes non resurgent: nam puniens perdidisti eos omnemque eorum memoriam delevisti." cf. ex multis b. Doederlein ad h. l. Quam vero imaginem paucis absolverat Esajas, eandem uberrime ad vitam expingit egregius imitator Ezechiel, C. XXXVII. 1—10, addita explicatione v. 11—14., quae nullum dubio locum relinquit.

84) Non enim impetrare a nobis possumus, ut in eorum interpretum (quamvis celeberrimorum) sententiam eamus, qui hunc quoque locum de nulla mortuorum corporum in vitam revocatione, sed de sola populi Judaici restitutione, illa scilicet, quae per heroas Maccabaeos facta sit, agere sibi persuaserunt (Vitringae, J. D. Michaelis, Dathii, Baueri, Ammonii, Stzeudlini) quibus ipse etiam ven. Pareau accedere (p. 108 s.). Sive enim verba v. 2 s.: „et multi dormientium in terrae pulvere expergefient, alii ad vitam sempiternam, alii ad opprobria et ignominiam sempiternam" (cum Michaeli) intelligere velis de multorum, qui jam sepulti sint, et patriae defensorum et patriae proditorum, *in perennem hominum memoriam*, vel honorificentissimam vel turpissimam, *reditu*, in reipublicae Judaicae restauratione feliciter absoluta exspectando; sive ea sumere praeferas de iis, qui Maccabaeorum tempore *e speluncarum latebris*, quo aufugissent, vel sponte prodierint (ad defendendam illis ducibus patriam) vel protracti demum et ignavorum patriae proditorum macula notati sint (cf. v. c. S. V. Ammon, bibl. Theol. T. III. p. 245 s.); vereor, ut linguae hebraicae consuetudinem et oraculorum seriem (cf. XI. 45. cum XXI. 1.) tibi consentientem habeas.

85) Ut fecit recentissimus libri Danielis interpres, S. R. Bertholdt, vers. suae vernaculae T. II. p. 793 s.

86) cf. cel. Bertholdt ad v. 1.

quentibus [87]) cohaerentia facile patet), dubio certe locus est, annon חיי עולם et דראון עולם de praemiis poenisque in ipsa civitate restaurata reportandis, iisque *diutissime* [88]) duraturis, sumere lectoribus oraculi maxime proclive fuisset?

Ceterum non est, quod quis miretur, hoc tandem loco aliquam vitae hominum mortuorum sepultorumque corporibus renovandae spem propullulare. Postquam enim quaedam ejus *imago* dudum obversata fuerat animis, nata forsan „ex observatione plantarum e semine putrescente efflorescentium, aliarumque rerum naturalium, quae post apparentem mortem laetius resurgunt“ [89]), et e mortuorum quorundam (quamvis nondum sepultorum ac putrefactorum) hominum in vitam mox revocatorum historiis (cf. p. 162 s.), sed ex ipso etiam, quod mortali cuique naturale est, vitae recuperandae vehementissimo desiderio, nutrita vero et refecta quasi aliarum gentium Orientalium opinionibus per exilium certe in Judaeorum notitiam venientibus [90]); ut ipsam denique *spem* rei antea non ignotae reciperent animo atque confidentius amplecterentur, eo quidem praeter longiorem et arctiorem cum Persis Medisque consuetudinem, eorum opiniones sensim sensimque Hebraeis insinuantem, plurimum fortasse contulit nimis diuturna seculi aurei post reditum ab exilio exspectati moratio, tot pientissimos meritissimosque de republica viros, post extremas, quibus oppressi fuerant, calamitates, regni Messiani bonis privare visa [91]). Quo factum est, ut sub *Maccabaeorum* praesertim aetatem explicatior certiorque resurrectionis mortuorum fides sese proderet, antiquique illius nodi, in quo solvendo a Davidis inde temporibus sapientissimi quique Hebraei, ut Jobeïdis inprimis auctor, desudaverant, solutionem denique non aspernandam afferret. Sed haec hactenus.

87) v. v. 11 s. cf. comm. Abh. über das Verdienst der chr. Rel. um die Unsterblichk. Lehre p. 62.

88) Dictiones לעולם ועד, לעולם saepissime ita venire, neminem linguae Hebraicae non imperitum fugit.

89) Verbis utor S. V. Staeudlini in hist. doctr. de futura corporum exanimatorum instauratione, l. c. p. 274.

90) Earum forsan vestigia, si non in oraculo Es. XXVI. 14. 19., attamen in Ezechielis tabula C. XXXVII. inesse putari possint.

91) Cf. diss. nostram, not. 54. cit. (a. 1808 editam: quid in augenda immortal. doctr. relig. chr. ipsi huj. conditores tribuerint?) p. 40 s.

VIII.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,

QUID

DOCTRINA DE ANIMORUM IMMORTALITATE

RELIGIONI CHRISTIANAE DEBEAT,

EX CAUSSAE NATURA ET EX REBUS FACTIS

MONSTRANS.

P. 5. SECT. 1.

Cum, perlustratis populorum gentilium aera christiana priorum de immortalitate opinionibus tum vulgaribus tum esotericis philosophicisque, ad Hebraeam gentem devenissemus, quae in libris V. T. canonicis de hoc argumento docentur, perscrutantes, frustra ibi quaeri vidimus immortalitatis animorum vere sic dictae notitiam atque persuasionem, licet, iisdem libris testantibus, post exilii Babylonici tempora corporum humanorum ex morte ac pulvere ad vitam redeuntium nescio cui *imagini* sensim sensimque assuefacti sint Hebraei, quin, vergente aevo, ipsam ejus rei *fidem* a Persis, ut videtur, Medisque adoptare coeperint. Ita nimirum vel hoc factum esse apparuit, ut nec *omnium* hominum in vitam reditum aliquando futurum, nec, qui resurrexerint, ad *vitam vere immortalem atque aeternam* emersuros esse, claris verbis doceretur [1]).

Reliquum est, ut 2) quid librorum Veteris Testamenti *apocryphorum* auctores [2]), quid *variae Judaeorum sectae,* recentioribus ante Christum seculis prognatae, quid *Philo* et *Flavius Josephus* [3]), aliive, quos forsan aetate Christiana antiquiores vel ei aequales habere queas, Hebraeae gentis scriptores, inter quos aliqui certe *Pseudepigraphorum* V. T.

---

1) v. diss. hujus P. IV. Sect. 2., p. 163 s.

2) Eorum nullum excipimus, quamvis sint in hoc numero, qui aetate Christi facile inferiores haberi queant, ut v. c. auctor libri *Judithae* (cf. ill. Eichhornii Einl. in die apocr. Schriften des A. T. p. 331. et b. Zieglerii „Lehre der Hebräer von der Auferst., Unsterblichkeit etc." in commentt. suarum theoll. T. II. p. 228.

3) *Josephum*, licet Jesu Christo paulo recentiorem, excludendum propterea non ducimus, quod eum, cum *apostolis* certe aequalis esset, ad religionis christianae de immortalitate doctrinam nescio quid contulisse somniari posset.

auctores referri posse videntur[4]), ad rem nostram contulerint, exponamus. Qua in re ut justo ordine progrediamur, tenendum ante omnia erit magnum illud discrimen, quod inter *Judaeos Palaestinenses* et *Judaeos Alexandrinos*, quemadmodum in aliis disciplinae sacrae partibus, ita in nostra potissimum, quae agitur, doctrina intercedere patet. Cum enim illi aut in Mosis prophetarumque de mortuorum conditione placitis penitus acquieverint, ab opinionum novarum peregrinarumque contagione abhorrentes, aut acquiescere in illis videri saltim voluerint, ad novam etiam audaciam in neganda altera quadam vita progressi, aut denique Chaldaeorum tantum aut Persarum dogmata vario modo sua fecerint, hi contra, praeter Zoroastrica decreta, Graecae etiam philosophiae, Platonicae inprimis, quae maximam Alexandriae auctoritatem nacta erat, de immortalitate animorum sententias in rem suam plerumque vertere, ac cum religione patria contexere non dedignati sunt. Duorum istorum generum[5]) alterutri omnes, quos diximus, sequioris aetatis Judaei plus minusve accenseri debent. Ita

4) Harum scriptionum aetatem aestimare ut plenum opus aleae sit; sunt tamen ex iis non nullae, quae *cum aliqua veri specie* temporibus Christo anterioribus, vel ipsi Christi et apostolorum aetati vindicari queant; Enochi sc. liber, Psalterium Salomonis, quartus Esdrae, Ezechielis prophetia apocrypha, Analepsis Mosis, Eliae apocalypsis etc. An *recte* Christi et apostolorum aetatem superare aut aequare certe censeantur (quod nobis quidem de plerisque eorum valde dubium videri fatemur) hoc loco disquirere non attinet; apparebit enim, quicquid sumseris, nihil inde, quod rei nostrae intersit, consecuturum esse. Similiter judicandum erit de *Targumo Onkelosiano*, quod unum ex omnibus paraphrasibus chaldaicis aetati Christo anteriori vindicare forsan licuerit, quod praetereundum tamen erat, quia nihil de argumento nostro memoratu dignum suppeditat.

5) cel. Bretschneiderus in l. System. Darst. der Dogm. und Moral der apocryph. Schriften des A. T. T. I. Lips. 1805. p. 52 ss. et in alio l.: „die dogmatisch histor. Auslegung des N. T. Lips. 1806." p. 80 ss. tres classes constituit, primam ChaldaeoPalaestinensium, secundam mere Palaestinensium, tertiam denique Alexandrinorum. Quae dispescendi ratio licet, si diversum librorum genium spectes, non plane incongrua videri possit, respectu tamen habito ad locum scriptionis (v. dogm. hist. Ausl. p. 80.), arbitraria quodammodo dici meretur, cum apud plerosque ipsorum, qui in Palaestina degebant, Judaeorum Chaldaicas Persicasque opiniones magnam sibi gratiam conciliasse appareat, nec ulla caussa adsit, quare eos libros, qui Chaldaicum ingenium redolent, in Chaldaea (aut Perside) ortos esse statuamus. Satius habemus, dichotomia retenta, Palaestinensium nomine complecti omnes eos, qui, Graecae philosophiae maximam partem, ut videtur, expertes, vel doctrinae πατροπαραδοτῳ inhaeserunt, vel cum disciplina Chaldaeo-Persica, plerorumque Palaestinensium more, eandem conjunxerunt, sive illi in Palaestina, sive in quacunque exterorum regione degerint.

a) ad *Palaestinenses* (quorum tamen nomine omnes comprehendimus, quos genium Palaestinensem secutos esse appareat; quamvis nonnullos eorum extra Palaestinam, quin in ipsa Aegypto vixisse verisimile sit) — ad Palaestinenses, inquam, referre vix dubitaveris

ex apocryphorum auctoribus *Siracidem*, *I. II. et III. Maccabaeorum* libri, *Tobeidos*, libri *Baruchi*, denique libri *Judithae* scriptores;

e pseudepigraphorum, quae in censum hoc loco venire possunt, auctoribus eum, qui *Enochi librum*, qui *Psalterium Salomonis*, qui *IV. Esdrae librum* conscripsit;

e sectis Judaicis *Pharisaicam* et *Sadducaeam;*

ex aliis denique, qui huc spectant, Judaeorum scriptoribus *Flavium Josephum;*

b) ad *Alexandrinos* autem

ex apocryphis *Sapientiae Salomonis* et *IVti*[6]) *Maccabaeorum* auctores[7]);

e sectis Judaicis *Essaeos;*

ex aliis, qui huc spectant, scriptoribus[8]) *Philonem Alexandrinum.*

a. Ordimur a *Palaestinensibus*, inter quos considerandi sunt

α) ii, qui in antiqua de morte et inferis sententia simpliciter substitisse videntur. Pertinent huc *Siracides* et librorum *Tobiae* ac *Baruchi* auctores; neque excludendi, qui *I. et III. Maccabaeorum* librum conscripsere, quamvis ab his, quid de argumento nostro senserint, disertis verbis

6) Dicimus nempe notissimum illum l. de *imperio rationis* (περι σωφρονος λογισμου, s. περι αυτοκρατορος λογισμου), *Flavio Josepho* in quibusdam codicibus tributum, qui etiam Ιωσιππου εις τους Μακκαβαιους βιβλιον inscribitur; quibusdam versionis Alexandrinae editionibus (ut *Breitingerianae*) insertum sub titulo IVti Maccabaeorum.

7) *Tertium Esdrae* librum, *additamenta Estherae* et *additamenta Danielis* (*historiam Susannae*, *Beli et Draconis*, *Manassis orationem*, *canticum trium puerorum*), *epistolam* etiam *Jeremiae* tributam, non habemus, quo referamus, cum nihil plane contineant, quod vel Palaestinensem vel Alexandrinam in rebus ad religionem pertinentibus indolem testetur.

8) *Pseudepigraphorum*, quae vel integra vel mutilata supersunt, ne unum quidem novimus, cujus scriptorem huc referre audeamus. Quae de *Ezechielis* prophetia apocrypha, Analepsi *Mosis*, *Eliae* apocalypsi aliisque ejusmodi pseudepigraphis, christianam aeram fortassis attingentibus aut superantibus, restant, minutiora sunt, quin sive Palaestinensem sive Alexandrinum prodant.

enunciatum non inveniamus. Maxime omnium hic eminet *Siracides*, qui, cum ab ipsa, quam tractavit, materia ad vitae post mortem futurae commemorationem adigi, atque a sublimioribus illis, quas de natura hominum morali conceperat, notionibus [9]) ad amplectendam immortalitatis vere sic dictae doctrinam sponte deferri debuisse videretur, praemia tamen ac supplicia omnia intra hujus vitae terminos concludere, in terrena cujusque conditione [10]), in memoria inter superstites relicta [11]), in posterorum diversa fortuna [12]) ponere, atque inde solum ad virtutem commendandam, impietatem dissuadendam argumenta petere perrexit, mortis vel propriae vel propinquorum solatium omne in *communi* omnibus moriendi necessitate a Deo constituta quaesivit [13]), tristi vero veterum de Hade imagini calculum adjecit, ejusque incolas mortuorum, qui quasi non essent, loco habuit [14]). Et multum profecto abest, ut alia quaedam hujus auctoris loca, ubi vel *meritorum compensationem in*

9) cf. v. c. egregia naturae hominum moralis atque rationalis encomia Sir. XV. 14 — 20. XVII. 3 — 8.

10) cf. e. g. C. I. 12. „φοβος κυριου τερψει καρδιαν, και δωσει ευφροσυνην και χαραν και μακροημερευσιν." 20. „ριζα σοφιας φοβεισθαι τον κυριον, και οἱ κλαδοι αυτης μακροημερευσις," XI. 14 s. „αγαθα και κακα, ζωη και θανατος, πτωχεια και πλουτος παρα κυριου εστι. Δοσις κυριου παραμενει ευσεβεσι, και ἡ ευδοκια αυτου εις τον αιωνα ευδοωθησεται." C. XL. 9. 10. „θανατος και αἷμα και ερις και ῥομφαια, επαγωγαι, λιμος και συντριμμα και μαστιξ. επι τους ανομους εκτισθη ταυτα παντα, και δι' αυτους εγενετο ὁ κατακλυσμος." XXXVIII. 15. „ὁ ἁμαρτανων εναντι του ποιησαντος αυτον, εμπεσοι εις χειρας ιατρου. XVIII. 24. „μνησθητι θυμου εν ἡμεραις τελευτης, και καιρον εκδικησεως εν αποστροφῃ προσωπου. coll. XI. 24 — 28. etc.

11) C. XLIV. 14. XLVI. 12. XLI. 11. „ονομα δε ανθρωπων ουκ αγαθων (al. ἁμαρτωλων ουκ αγαθον) εξαλειφθησεται." 13. „αγαθης ζωης αριθμος ἡμερων, και αγαθον ονομα εις αιωνα διαμενει."

12) XLI. 5 — 7. „τεκνα βδελυκτα γινεται τεκνα ἁμαρτωλων, και συναναστρεφομενα παροικιαις ασεβων. Τεκνων ἁμαρτωλων απολειται κληρονομια, και μετα του σπερματος αυτων ενδελεχιει ονειδος. Πατρι ασεβει μεμψεται τεκνα, ὁτι δι' αυτον ονειδισθησονται." XI. 28. „προ τελευτης μη μακαριζε ουδενα, και εν τεκνοις αυτου γνωσθησεται ανηρ."

13) C. XXXVIII. 16 ss. XLI. 1 — 4.

14) In eodem illo cap. XVII. in quo naturae humanae virtutes tantis laudibus efferuntur, antiqua cantilena (Psalm. VI. 6. XXX. 10. LXXXVIII. 11 — 13. Es. XXXVIII. 18. 19) de exulantibus ab orco quibuscunque gaudiis laetisque Dei celebrationibus repetitur, addita insuper caussa, quod scilicet mortuus quasi non sit, v. 27. 28. „ὑψιστῳ τις αινεσει εν ᾁδου, αντι ζωντων (και ζωντων) και διδοντων ανθομολογησιν; απο νεκρου ὡς μηδε οντος απολλυται εξομολογησις· ζων και ὑγιης αινεσει τον κυριον." cf. C. XIV. 16 — 19. „δος και λαβε, και απατησον την ψυχην σου, ὁτι ουκ εστιν εν ᾁδου ζητησαι τροφην etc.

morte futuram praedicere (C. XI. 24 — 28. I. 13.), vel *aeternas* improbis poenas minari (C. VII. 17. XLI. 9. 10.), vel *proborum in vitam reditum* promittere (XLVI. 12. XLVIII. 10. s.) videri queat, priora illa elevent, aut in alium sensum detorquere suadeant, ut potius exilem Siracidis de mortuorum statu sententiam maxima ex parte et ipsa testentur [15]).

---

15) Locus XI. 24—28. ita habet: 24. „μη ειπης, αυταρκη μοι εστι, και τι απο του νυν κακωθησομαι; 25. εν ημερᾳ κακων ου μνησθησεται αγαθων. 26. Οτι κουφον εναντι κυριου εν ημερᾳ τελευτης αποδουναι ανθρωπῳ κατα τας ὁδους αυτου. 27. Κακωσις ὡρας επιλησμονην ποιει τροφης, και εν συντελειᾳ ανθρωπου αποκαλυψις εργων αυτου. 28. Προ τελευτης μη μακαριζε μηδενα, και εν τεκνοις αυτου γνωσθησεται ανηρ." Ubi non de poenis a morte instantibus, sed de ipsa morte, funesta, terroribus doloribusque plena, quae impium arguat puniatque, sermonem esse, formulae: εν ημερᾳ κακων v. 25. κακωσις ὡρας v. 27. κουφον εναντι κυριου, εν ημερᾳ τελευτης αποδουναι, v. 26. et: αποκαλυψις εργων satis demonstrant; quo accedit, quod ex ultima etiam sententia: „και εν τεκνοις αυτου γνωσθησεται ανηρ," auctorem non ad alterius cujusdam vitae poenas prospexisse patet. Confirmatur hoc simili loco C. IX. 11. 12. „μη ζηλωσης δοξαν ἁμαρτωλου, ου γαρ οιδας τι εσται ἡ καταστροφη αυτου. Μη ευδοκησεις εν ευδοκιᾳ ασεβων, μνησθητι, ὁτι ἑως ᾅδου ου μη δικαιωθωσι" (quod *certe non usque ad ipsum* ᾅδου *introitum* tanquam pii tractentur). Contrarium de piis praedicatur C. I. 13. Τῳ φοβουμενῳ τον κυριον ευ εσται επ' εσχατων, και εν ημερᾳ τελευτης αυτου ευλογηθησεται (Vat. εὑρησει χαριν) cf. similem locum Prov. XIV. 32.

Locus C. VII. 17. „ὁτι εκδικησις ασεβους πυρ και σκωληξ" minas Esaj. LXVI. 24. contra hostes populi intonatas, fore scilicet, ut innumeris eorum cadaveribus consumendis nec vermes nec ulli rogorum ignes sufficiant, ad improbos quosque accommodat. Ubi non possumus non mirari, Ven. *Bretschneiderum*, quem ceterum in delineanda Siracidis de statu mortuorum opinione plane consentientem nobis habemus, in annot. ad libr. Sir. a se editum Ratisb. 1808. p. 146., de poenis post mortem futuris, ipso Jesajae loco in subsidium allato, cogitare, aliam vero interpretationem, quae πυρ pro imagine destructionis cujuscunque habet, non obscure postponere. Dubitantius sibique constantius de eodem loco doctiss. auctor judicat in l. Dogm. der Apokryphen, Lips. 1805. p. 300. et 304. — Sententia autem C. XLI. 9. 10., quae improbos ad execrationem (perniciem) et nasci et mori asserit, ita statim v. 11. explicatur: Ονομα δε ανθρωπων ουκ αγαθων (al. ἁμαρτωλων ουκ αγαθον) εξαλειφθησεται."

Pari modo, quid sibi voluerit Siracides, cum precaretur C. XLVI. 12., ut ossa judicum Israëliticorum e sepulcris ipsorum efflorescerent (τα οστα αυτων αναθαλοι εκ του τοπου αυτων), verbis proxime sequentibus clarissime ostendit: „και το ονομα αυτων αντικαταλλασσομενον εφ' υιοις δεδοξασμενων αυτων i. e. transeatque eorum gloria ad filios (posteros) virorum celeberrimorum (vel, si interpretatio graeca peccaverit, „ad filios ipsorum celeberrimos)." Apprecatus nempe est celebratissimis illis populi ducibus novam usque vitae suae quasi e cineribus redintegrationem per posteros numerosos clarosque.

Locus denique C. XLVIII. 10—12. „ὁ καταγραφεις (Ἠλιας) εν ελεγμοις εις καιρους, κοπασαι οργην προ θυμου, και επιστρεψαι καρδιαν πατρος προς υιον, και καταστησαι φυλας Ιακωβ. Μακαριοι οἱ ιδοντες σε, και εν αγαπησει κεκοσμημενοι. Και γαρ ἡμεις ζωῃ ζησομεν. Ἠλιας, ὁς εν λαιλαπι

Nec multo aliter censuisse reperimus ceteros, quos modo nominavimus, scriptores apocryphos, licet parcius aliquantum, partim et obscurius, quid sibi de his rebus videretur, effatos. *Tobias* quidem C. III. 6.[16]), mortem tanquam longae miseriae terminum efflagitans a Deo, priscam *mortuorum in terram commutandorum* imaginem repetit (ὅπως απολυθω και γενωμαι γη), et ceterae, quae adduntur, formulae, quamvis melioris cujusdam de morte opinionis speciem primum obtendant, accuratius consideratae eodem pertinent. Etenim „τον αιωνιον τοπον," in quem dimitti vult Tobias, esse *sepulcrum* (unde nemo redeat), e locis Coh. III. 20. Sir. XLVI. 12. XLIX. 10. (add. Es. XIV. 18. איש בביתו Ps. XLIX. 12 קרבם בתימו) satis clarum est[17]); formula vero:

εσκεπασθη" — nisi spurius sit, quod equidem cum ven. *Bretschneidero* (ann. ad Sir. p. 653 ss. et Dogm. d. Apokr. p. 300. 352 ss.) vero proximum censeo, futurum tamen hominum mortuorum in vitam reditum non clare innuit. Quidni enim (ut taceam alios interpretandi modos) ita capi possit: „cui tributum est a scriptura, fore, ut stato tempore correptorem agat, iram (divinam) ante ingruentes poenas sedet, animos patrum una cum filiorum animis ad meliorem frugem reducat, tribusque Jacobi in integrum restituat. Beati, qui te videbunt, modo pietate ornati sint! *Immo nos ipsi tum summa felicitate fruemur* (cum tam prope instet desideratissima illa rerum conversio, ut nobis ipsis spes sit, eam vita nostra assequendi)" etc. Formula nempe: ζωη ζησομεθα, *nude posita*, ex ipsa sermonis consuetudine felicitatem citius, quam vitae restitutionem indicari putaverim (cf. Ezech. III. 21. XXXIII. 13. 15.), licet verbum חיה, ζην, pro contextus ratione de reviviscendo etiam usurpari tironibus notum sit. Neque alienum fuisse a Siracide, insignem populi restaurationem a prophetis promissam proxime exspectare, inde apparet, quod, cum floruisse videatur primis *Antiochi Epiphanis* temporibus, ubi jam ille variis modis tentare populum et affligere coeperat (conf. ill. *Eichhornii* Einl. in die apokryph. Bücher des A. T. p. 36 ss.), liberationem tam ab his malis, quam ab omni in universum exterorum servitute, civium omnium ab exilio reditum, cunctarum denique tribuum mutuam reconciliationem stabilemque antiquae dignitatis, potentiae ac felicitatis usum compluribus locis (C. XXXIII. 1—11. maxime v. 11. „συναγαγε πασας φυλας Ιακωβ, και κατακληρονομησαι αυτας καθως απ' αρχης" — C. XXXVI. 12—17) confidenter non minus quam enixe precatus sit.

16) „Και νυν κατα τα αρεστον ενωπιον σου ποιησον μετ' εμου· επιταξον αναλαβειν το πνευμα μου, ὅπως απολυθω και γενωμαι γη, διοτι λυσιτελει μοι αποθανειν η ζην. ὅτι ονειδισμους ψευδεις ηκουσα, και λυπη εστι πολλη εν εμοι. επιταξον απολυθηναι με της αναγκης ηδη εις τον αιωνιον τοπον, μη αποστρεψης το προσωπον σου απ' εμου." Quod in Vers. (vel Ed.) *Lat.* Tobeïdis tum Itala tum Hieronymiana C. II. 18. ita loquens inducitur Tobias: „filii sanctorum sumus et *vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo*," morari nos non potest.

17) cf. ad Tob. III. 6. annot. S. R. Ilgenii (in hist. Tobiae vern. redd. p. 42.) et Grotii, qui tamen τον αιωνιον τοπον explicat de Hade, ablegans ad orci denominationem Aegyptiis solemnem (αϊδιοι οικοι" teste *Diod. Sic.* l. I. c. 51.) et ad chaldaicam interpretationem loci Es. XIV. 18. Sed et

„αναλαβειν το πνευμα τινος" nihil aliud sibi vult, quam: *spiritum s. halitum vitalem retrahere ab homine et ita morti eum tradere*, plane ut Coh. XII. 7. et Ps. CIV. 29. αντανελεις το πνευμα αυτων [18]).“ — Similiter in libro *Baruchi* C. II. 17. (ubi et laudes Dei in orco cessare dicuntur) mortuorum occurrit descriptio haec: „ὑν ελληφθη το πνευμα αυτων απο σπλαγχνων αυτων" i. e. „quorum ex intimo corpore demtus est spiritus vitalis.“ Idem auctor C. III. 3. misericordiam Dei populo impetraturus, Deum quidem in aeternum manere monet, *homines vero in aeternum perire* [19]). Ex libris vero *Maccabaeorum* et I. et III. solamina minaeque, a rebus post mortem futuris depromtae, vel ibi, ubi harum rerum cogitationem sponte quasi sese offerre debuisse censeas, plane exulant, terrenis solum suppliciis liberationibusque memoratis [20]), quin in I. saltim libro impius, *quamprimum in pulverem suum reversus fuerit*, *non amplius reperiri* dicitur [21]), quod quidem, quomodocunque capias, antiquam sententiam non obscure redolet.

β) Alii Palaestinensium, *Sadducaeos* puta, quamvis et ipsi opinionibus Mosis et prophetarum auctoritate sacratis acquiescere [22]) videri vellent, ulterius tamen etiam in amo-

---

Aegyptii τους ταφους vocarant αἴδιους οικους, licet του ᾅδου notione non exclusa, (cf. diss. nostrae P. I., p. 64.) nec Es. XIV. 18. de Hade, sed de singulis sepulcris sermo est.

18) cf. diss. hujus P. IV. Sect. 2., not. 57., p. 151. Vocibus „επιταξον αναλαβειν το πνευμα μου" nullo modo subesse hunc sensum: „*manda* (angelis), *ut auferant* spiritum meum" (cf. Ilgen. l. c. p. 40.), sed verti illas debere: „*placeat tibi* (velis) auferre spiritum meum!" coll. v. 15. ejusd. Cap. et VIII. 7. ostendit cel. Bretschneiderus (Dogm. d. Apokr. p. 306.).

19) „ὁτι συ καθημενος τον αιωνα, και ἡμεις απολλυμενοι τον αιωνα.“ Quae verba et parallelismus membrorum et precantis consilium vix in aliam, nisi in ipsam, quam supra memoravimus, sententiam sumi patiuntur.

20) cf. 1 Macc. II. 52—61. I. 57—63. 3 Macc. II. 4—8. VI. 3—8. cum 2 Macc. VII. 14. 23. 29. 35 s. XII. 43—45. add. clar. Frisch in commentat. inserta III. Eichhornii Bibl. lit. bibl. T. IV. „Vergleichung zwischen den Ideen, welche in den Apokryphen des A. T. und den Schriften des N. T. über Unsterblichkeit, Auferstehung, Gericht und Vergeltung herrschen“ p. 664 s.

21) 1 Macc. II, 62 s. „και απο θυμων ανδρος ἁμαρτωλου μη φοβηθητε, ὁτι ἡ δοξα αυτου εις κοπριαν και εις σκωληκας. Σημερον επαρθησεται, και αυριον ου μη ευρεθη, ὁτι εστρεψεν εις τον χουν αυτου, και διαλογισμος αυτου απωλετο.“

22) v. *Josephi* Antt. l. XIII. c. 10. §. 6. — „ὁτι νομιμα πολλα τινα παρεδοσαν τῳ δημῳ φαρισαιοι εκ πατερων διαδοχης, ἁπερ ουκ αναγεγραπται εν τοις Μωϋσεως νομοις, και δια τουτο ταυτα το Σαδδουκαιων γενος εκβαλλει,

venda spe immortalitatis progressi sunt, *diserte* profitentes, nullum[23]) esse post corporis interitum hominis animum; quin omnino *per se* et *seorsum a corpore nullum*[24]); prae-

---

λεγον εκεινα δειν ηγεισθαι νομιμα τα γεγραμμενα, τα δ' εκ παραδοσεως της πατερων μη τηρειν και περι τουτων ζητησεις αυτοις και διαφορας γενεσθαι συνεβαινε μεγαλας" κ. τ. λ. L. XVIII. 1, 4. „φυλακης δε ουδαμων τινων μεταποιησις αυτοις η των νομων· προς γαρ τους διδασκαλους σοφιας, ην μετιασιν, αμφιλογειν αρετην αριθμουσιν." add. *Moses Maimonides* ad Pirke Abh. I. 3.

23) *Josephus* Antt. XVIII. 1, 4. „σαδδουκαιοις δε τας ψυχας ὁ λογος συναφανιζει τοις σωμασι." cf. loc. de B. J. l. II. not. 25. notandum. add. Matth. XXII. 23—32. ubi, licet dubium a Sadducaeis propositum Servatori *resurrectionem* proprie spectet, universa tamen, qua Servator ad eos refellendos utitur, argumentandi ratio, omnem a morte corporis vitam animi, eaque ipsa de caussa resurrectionem etiam ab illis repudiatam fuisse innuit (coll. Matth. X. 28.). cf. diss. nostra, quid in augenda immortalitatis doctrina religioni christianae ipsi hujus conditores tribuerint? p. 35 ss.

24) Act. XXIII. 8. „σαδδουκαιοι μεν γαρ λεγουσι μη ειναι αναστασιν, μηδε αγγελον, μητε πνευμα," cujus dicti partem posteriorem vix in aliam sententiam explicari posse patet, nisi in eam, ut Sadducaei dicantur, quemadmodum angelos, ita omnem, qui per se existeret, spiritum, ideoque etiam animum humanum a corpore distinctum negasse, sive quod animum pro crasi quadam seu temperatura humorum habuerint (cf. Drusius de tribus sectis Judaeorum, in Triglandii Syntagm. de tribus Jud. Sectis, P. I. p. 292.), sive quod antiquiorem de halitu divino hominem vivum animante, morientem deserente, sententiam secuti sint, (quod proxime ad veritatem accedere nobis persuasum est). Quamvis enim variae sint vocabulorum: „μητε πνευμα" explicationes (ut v. c. πνευματος nomine innui dicantur (v. Jos. Scaliger in Elencho trihaeresii N. Serarii, ap. Trigland. P. I. p. 419 s.) spiritus mali (quos sub angelorum nomine comprehendi probabilius est), vel Spiritus Sanctus (v. Drusius de tribus sectis Jud. l. III. ib. T. I. p. 292. N. Serarius in trihaeres. l. II. l. c. p. 92. atque in Minervali ibid. P. II. p. 116 ss.) etc.: facillima tamen et aptissima loci contextui (qui solam resurrectionis et immortalitatis spem respicit, v. 6.) ea est, quae et angelos et naturas spirituales quascunque a Sadducaeis negatas dici ponit eo consilio, ut appareat, eosdem non potuisse non humanum quoque animum, quatenus πνευμα audiret, negare, ideoque την ελπιδα της αναστασεως (v. 6.) rejicere. cf. Grotius ad Matth. XXII. 23. et ad l. n., Jac. Basnagius in hist. des Juifs, T. II. à la Haye, 1716. p. 335 s. Alii, in quibus Lohdius (in imagine doctrinae de conditione animi post mortem eo, quo Christus et apostoli vixerunt seculo, diss. II. p. 5 s), S. V. Staeudlinus (Gesch. der Sittenl. Jesu T. I. p. 452.) et cel. Heinrichs (Acta app. perpet. annot. illustr. P. II. p. 213.) voce πνευματος *animum humanum ipsum* significatum putant; quod, si rem spectaveris, a nostra ratione parum abest. — Verbo tangimus Venerandi Des Cotes (in l. Auferstehung der Todten nach der Lehre des N. T. Kirchhem. Boland. 1791.) conjecturam, quae, a Bayelio (Diction. art. Sadducéens) et b. Semlero (Beantw. der Fragm. eines Ungen. p. 8 s.) praeparata, etiam S. V. Ammonio arrisit (bibl. Theol. T. II. p. 251.), *Sadducaeos* animorum a corpore separatorum immortalitatem docuisse (p. 119 ss.), resurrectionem vero *Pharisaicam* negasse, et praemia ac supplicia, quae post mortem instare dicerentur, in medio reliquisse (p. 158 ss.); neque etiam *angelos spiritusque incorporeos* voluisse infitiari, sed iis tantummodo, quae *Pharisaei* de *angelis uxores ducentibus*, et de *spectris* somniarint (coll. Luc. XXIV. 14. cum Marci VI. 49.), sese opposuisse (p. 147—152.). Quae quidem opinio

mia atque supplicia nulla[25]); ducti tum vehementiori quodam studio, novas peregrinasque de futura vita opiniones, a multis popularibus, praesertim ab adversaria Pharisaeorum secta receptas, quam fieri posset absolutissime repudiandi[26]), tum disciplinae moralis, quam amplexi essent, ratione perquam rigida, qua spem metumque omnem a regundis moribus abesse oportere sibi persuaderent[27]), in uni-

---

quam destituta sit omnibus rationibus historicis atque hermeneuticis, non est quod moneamus.

25) *Josephus* de bello Jud. l. II. 8, 14. „ψυχης τε την διαμονην, και τας καθ' ᾅδου τιμωριας και τιμας αναιρουσι." Quod etsi ex ipsorum de rebus post mortem exspectandis sententia sponte consequatur, non praetermittendum tamen erit, praemiorum suppliciorumque absentiam expressis etiam verbis eosdem ursisse. — De universa *Sadducaeorum* de rebus post mortem doctrina conferri etiam meretur Ven. Schreiterus in Comment. „Philo's Ideen über Unsterblichkeit etc." inserta Analectorum theologg. edd. a *Keilio* et *Tzschirnero* Fascic. II. Lips. 1813. p. 113—145.

26) Tale studium, ut plurimum omnino valuit ad gignendas sectas sectarumque decreta efformanda et augenda, vix dubio locus est, quin et *Pharisaeorum* inter ac *Sadducaeorum* familiam majus indies discrimen dissidiumque pepererit, effeceritque, ut hi, qui verbo scripto constantissime inhaerere puramque abs traditionum additamentis doctrinam sacram servare prae se ferrent, et in sectae formam sese darent, et ultra priscae disciplinae exemplar magis magisque evagarentur (quod nominatim in nostro argumento factum esse quis miretur?). Quo minus tergiversamur in eorum partes ire, qui prima *Sadducaeae* sectae stamina in ipsa potius antiquae disciplinae tenacitate, quam in licentiore quadam sentiendi ratione, ad Graecam sapientiam prona, deprehendere sibi visi sunt (velut S. Ven. J. E. C. Schmidtius in Excursu III. ad l. Coheleth vernacule redd. Giss. 1794. p. 304 ss. et in l. Entwurf einer Gesch. des Glaubens an Vergeltung und Unsterblichkeit bei den Juden, Giss. 1797. p. 80 s. 92 ss. cel. C. C. L. Schmidtius in comm. über Sadducaeismus und Pharisaeismus in Biblioth. für Kritik und Exeg. des N. T. T. II. fasc. IV. Hadam. 1802. p. 532 ss. cel. Poeliz in l. Pragmatische Uebersicht der Theol. der spätern Juden, Lips. 1795. p. 278 s. Loñdius in diss. laud. p. 8. S. V. Staeudlinus in l. Gesch. der Sittenl. Jesu, T. I. p. 444 s. et Anonymus in comment. Versuch, den Ursprung der Sittenlehre Jesu historisch zu erklären, in Promtuar. *Henkiani* T. V. Fasc. II. p. 363 ss.) In ea enim, in quibus ab antiqua doctrina recessit, facile incidit per obloquendi fervorem; ut taceamus nunc de aliis momentis, quae postea huic caussae sese adjunxerunt.

27) Nolumus caussam suscipere narrationis illius Rabbinicae, omnem Sadducaeae sectae originem repetentis a *Sadoco* quodam et *Baithoso*, qui dicto magistri sui *Antigoni Sochaei* (mortuo Simone Justo, anno circiter 290 ante C. N., Synedrii magni Praesidis): „*ne estote sicut servi, qui serviunt „domino propter mercedem, ut nempe accipiant praemium, sed estote sicut „qui ministrant principi suo hac conditione, ne accipiant praemium, ut „sit Dei timor super vos*" (*Pirke Abhoth*, c. I. 3.) abusi sint ad infringendam resurrectionis fidem, „*cum, si Deo non debeamus servire ullo mercedis intuitu, aut spe retributionis alicujus, nec ulla post hanc vitam ex„spectari debeat mortuorum resurrectio*" (v. R. Nathanis Comm. in Pirke Abh. c. 5. et *Moses Maimonides* ad Pirke Abh. c. 1. et al.). Quamvis enim haec ipsa sectae derivatio ab antiquitatum hebraicarum scriptoribus tantum

versum denique illo, quem sequerentur, cogitandi modo ad philosophicam ακριβειαν magis accommodato, quo ipso spon-

---

non omnibus olim recepta sit (cf. Drusius de trib. sectis Judd. l. c. p. 278 ss. J. Scaliger in elencho trihaeres. N. Seran. ib. 415. Buddeus in introd. ad hist. philos. Hebraeorum, Hal. 1720. p. 88 s., dubitantius aliquantum in H. E. V. T. T. II. p. 1205 s.); multa tamen sunt, quae eam valde incertam reddant (cf. Clericus in proleg. ad H. E. C. III. p. 12.), solertissime indicata a b. Schulzio in Conjecturis historico-criticis *Sadducaeorum* inter Judaeos sectae novam lucem accendentibus, Hal. 1779. p. 18 ss. add. S. V. Staeudlini l. l. p. 443 s. Sed haec quomodocunque se habeant, atque ut in fabularum loco docenda sit illa Rabbinorum historiola, negare nihilo magis ausim, inesse ipsi arctioris cujusdam vinculi, quo suam de vita altera sententiam cum puriore morum doctrina Sadducaei copulaverint, vestigia minime obscura. *Pharisaicos* enim et Mischnae commentatores (ad Pirke Abhoth) et ceteros Judaeorum magistros adversariorum *Sadducaeorum* decretum odiosissimum ab origine, tantam honesti speciem gerente, fuisse repetituros, nisi solenne fuisset Sadducaeis, decretum illud ad suam de moribus doctrinam simili saltim modo accommodare, quis id quaeso sibi facile persuaserit? Accedit, quod, quaecunque de cetera *Sadducaeorum* disciplina morali memoriae tradita sunt, severiori rationi congrua esse deprehendantur. Pertinent huc, quae de libertate hominis, a fati seu providentiae influxu immuni, atque de fortuna cujusque a sola ejus voluntate morali dependente eos docuisse *Josepho* teste comperimus. Ita enim ille Antt. l. XIII. c. 5, 9. „Σαδδουκαιοι δε την μεν ειμαρμενην αναιρουσιν, ουδεν ειναι ταυτην αξιουντες, ουτε κατ' αυτην τα ανθρωπινα τελος λαμβανειν, ἀ παντα δε εφ' ἡμιν αυτοις τιθενται, ὡς και των αγαθων αιτιους ἡμας αυτους γενομενους, και τα χειρω παρα ἡμετεραν αβουλιαν λαμβανοντας" — et de Bello Jud. l. II. 8, 14. „Σαδδουκαιοι δε την μεν ειμαρμενην παντα-πασιν αναιρουσι, και τον θεον εξω του δραν τι κακον η εφοραν (e conject. *Grotii*, rec. ab *Havercampio:* μη δραν) τιθενται· φασι δε επ' ανθρωπων εκλογῃ το τε καλον και κακον προκεισθαι, και το κατα γνωμην ἑκαστῳ τουτων εκατερῳ προσιεναι." Quibus locis equidem vix putaverim ipsas tantum *actiones* hominum morales a fati s. divinae providentiae potestate exemisse dici *Sadducaeos*, sed *conditionem* etiam vel *felicem* vel *miseram* a liberis hominum actionibus suspendisse. Junguntur cogitando et facta hominum, et quae iis inde nascuntur fata sive bona sive mala. Haec non exclusa esse, verba loci prioris: „τελος λαμβανειν" — „παρα ἡμετεραν αβουλιαν λαμβανειν" demonstrant. — Et licet posteriori loco de numinis in *actiones* humanas potestate sermonem *proxime* esse, ex antecedente *Pharisaeorum* sententiae, cui Sadducaea opponitur, descriptione (coll. simili Antt. l. XVIII. 1, 3.) pateat; vicissim tamen priori loco, ipsa sententiae *Pharisaicae* delineatio confirmat, *faustam infaustamve hominis sortem* a libertate ejus morali *Sadducaeos*, ut *Josepho* saltim visum esset, derivasse, et bonum quemque beatum, malum miserum duxisse. — Neque alia desunt vestigia, severam rigidamque fuisse moralem Sadducaeorum disciplinam. Ipse iterum *Josephus*, qui, cum *Pharisaeus* esset, in *Sadducaeorum* quidem rebus enarrandis non sine ira versatur, de B. J. l. c. addit: „Σαδδουκαιων δε και προς αλληλους (aut ex probabili conjectura J. *Clerici* in prolegg. ad H. E. p. 15. αλλοτριους) το ηθος αγριωτερον, αἴτε επιμιξιαι προς τους ὁμοιους απηνεις ὡς προς αλλοτριους" et Antt. l. XVIII. 21, 4. εις ολιγους τε ανδρας," inquit, „οὑτος ὁ λογος (των Σαδδουκαιων) αφικετο, τους μεντοι πρωτους τοις αξιωμασι. πρασσεται τε απ' αυτων ουδεν ὡς ειπειν," quibus omnibus indicatur genus hominum, super ea, quae vulgus amare, expetere, inhiare solet, sese efferentium, sibi ipsis quasi sufficere gestientium, eaque ipsa ex

te factum est, ut apertius ac distinctius effarentur animorum in morte exitium; quibus caussis omnibus seriori tempore Graecarum quoque sectarum, mox *Stoicae* mox *Epicureae*, auctoritas accessisse potest[28]).

γ) Propriam sibi inter Palaestinenses classem vindicant ii, qui, licet a Graeca philosophia cum religionis patriae decretis commiscenda alieni, his ipsis tamen nova quaedam dogmata, tum e *Persarum* disciplina hausta, tum temporum rationi et exspectationibus opinionibusque avitis apprime apta atque accepta, addere non dedignati sunt; quam viam ut maxima Judaeorum Palaestinensium pars temporibus exilium Babylonicum secutis ingressa videtur, ita *Pharisaica* inprimis secta firmiter tenuit et contra adversarios *Sadducaeos* acerrime propugnavit. Caput autem omnium eorum, in quibus haec Judaeorum Palaestinensium classis dissentiret a ceteris, novisque opinionibus aurem praeberet, in ipsis rebus post mortem exspectandis positum fuisse constat. Referenda huc sunt, quae in *II. Maccabaeorum* libro, in libro *Judithae*, in libris *Enochi* et *IV to Esdrae*, in *Psalterio Salomonis* de hoc argumento scripta exstant, denique, quae et *Pharisaeos* de eo sensisse narrat et semetipsum sentire profitetur *Flavius Josephus*. Separatim vero spectanda putamus librorum apocryphorum et pseudepigraphorum, quos modo nominavimus, effata a *Pharisaeorum*, qualem *Jose-*

---

caussa plebi minus acceptorum; unde pergit *Josephus*: „ὁποτε γαρ επ' αρχας παρελθοιεν, ακουσιως μεν και κατ' αναγκας, προσχωρουσι δ' ουν οις ὁ φαρισαιος λεγει, δια το μη αλλως ανεκτους γινεσθαι τοις πληθεσιν."

28) *Originem* sectae *Sadducaeae ab Epicureis* repetere, quod quibusdam visum est, non ausimus, cum et omnis philosophiae Graecae parca admodum apud Judaeos Palaestinenses Christo antiquiores vestigia appareant, et *Epicureae* praesertim rationis indoles a *morali* certe *Sadducaeorum* disciplina multum abhorreat, denique ubi caussae intestinae suppetunt, ad exteras confugere absonum sit. Quod Thalmudistae ceterique recentiores Rabbini *Epicureorum* nomine *Sadducaeos* notarunt, inde nihil plane, nisi Rabbanitarum in Sadducaeos odium elucere, per se patet. Nolim tamen refragari, si quis tum *Stoica* tum *Epicurea* philosophemata progrediente aevo (postquam Judaei Palaestinenses, in iisque nobiliores potissimum, viam sternentibus *Romanis*, ad Graecam sapientiam lubentius certe, quam *Antiochis* saevientibus, accedere coeperant) influxisse quodammodo contenderit in *Sadducaeorum* doctrinam. Nec scimus, an inde cum aliqua veri similitudine explicentur illae eorum sententiae, quibus et suae fortunae fabrum unumquemque praedicarunt, et totius hominis in morte interitum omnium naturarum corporis expertium negatione confirmaverunt.

phus indicavit, hujusque auctoris ipsius opinione, non ea quidem ex caussa, quod in illis *vulgi* tantum sententiam, apud *Josephum philosophantium* doctrinam εσωτερικην expressam esse hancque ab illa distingui debere censeamus[29]), sed, quod, cum *Pharisaei* a *Josepho* delineati et ipse *Josephus* in summa rei cum illis consenserint, apud hos tamen de animorum inter mortem et resurrectionem statu *addita* quaedam deprehendamus, quae apud illos frustra quaesiverimus. Itaque

N) apud *apocryphos* et *pseudepigraphos*, quos modo enotavimus, V. T. scriptores dominantem reperimus hanc de rebus post mortem futuris opinionem:

aa) fore, ut aliquando *ex inferis revocentur et corpora sua vitae restituta resumant* vel *Judaei* saltim illi, *qui veri Numinis cultum probitatemque servarint*, vel homines mortui *omnes*. Priorem de resurrectione sententiam amplexi esse videntur *IIdi Maccabaeorum libri* et *Psalterii Salomonis* auctores[30]); posteriorem in libro *Ju-*

---

29) Posterius statuere videmus Ven. Bretschneiderum in Capitibus theol. Judaeorum dogmaticae e Fl. *Josephi* scriptis collectis, Lips. 1812. p. 47 ss. Sed deficere putamus idoneum ejus sumtionis argumentum. Quidni enim, quae *Pharisaei* apud *Josephum* propria sibi et peculiaria habent, vel temporum progressui tribuamus, vel a scriptoribus V. T. apocryphis et pseudepigraphis, quibus omnem suam de rebus post mortem sententiam edisserere propositum non esset, omissa fortuito putemus? Neque, si *Pharisaeorum* placita a *Josepho* relata *scholae interiori* propria fuisse contenderimus, ipsum *Josephum* assentientem nobis habituri essemus, quippe qui Antt. l. XVIII. 1, 3., enarratis, ut l. XIII. 5, 9. et de Bello Jud. II. 8, 14., *Pharisaeorum* decretis, addit: „και δι' αυτα (sc. δογματα) τοις τε δημοις πιθανοτατοι τυγχανουσι" κ. τ. λ. Quin eundem etiam *Josephum*, quod cardinem rei attinet, cum ceteris *Pharisaeis* fecisse, quamvis communibus sectae placitis, certe cum ex sua persona loqueretur, colorem sapientiae gentili accommodatiorem indueret, ex sequentibus clarum fore speramus.

30) In II. nempe Maccabaeorum libro quaecunque de futura resurrectione dicuntur, ad nullos alios spectant, nisi ad martyras illos, qui constantissimam legis Mosaicae observantiam fortemque patriae amorem atroci morte luerint (C. VII. 9 ss. XII. 43 ss. XIV. 37 ss.) *Antiocho* vero, in Jehovae cultores saevienti, nihil aliud hi ipsi minantur, nisi hoc (VII. 14): „σοι μεν γαρ αναστασις εις ζωην ουκ εσται." Quae verba etsi quidam in eam partem interpretentur, quasi resurrectio ad vitam *beatam* abjudicetur tyranno (cf. clar. Frisch in comment. Vergl. zwischen den Ideen über Unsterblichkeit etc. in den Apocr. des A. T. und im N. T. in Ill. *Eichhornii* Bibl. f. b. L. T. IV. p. 691. b. Bauerus in bibl. Theol. des A. T. p. 290. et al.); nos tamen *omnem* vitae olim recuperandae spem oppressori his verbis denegatam fuisse (cum Ven. Bretschneidero, Dogm. der Apokr. p. 332 s.) persuasum habemus. 1) enim in priore commatis hemistichio, cui oppositum est posterius, nonnisi de vitae restitutione *in universum* dicitur: αιρετον μεταλλασ-

dithae, Enochi et *IVto Esdrae*, partim sumtam esse

σοντας ὑπ' ανθρωπων τας ὑπο του θεου προσδοκαν ελπιδας, παλιν αναστησεσθαι ὑπ' αυτου (ubi voce αναστησεσθαι beatitudinis notionem non comprehendi, et addita particula „παλιν" et similia ceterorum fratrum matrisque solamina v. 9. 11. 23. 29. docent). 2) ipsa vox ζωη etiam v. 23., ut bene monuit Ven. Bretschneiderus, et maxime v. 9. (εις αιωνιον αναβιωσιν ζωης) non beatitudinem, sed vitam denotat; 3) martyr, si de sorte *Antiocho* in vitam revocato imminente monere voluisset, vix eo sese contenturus fuisset, ut eum *ad felicitatem* revicturum esse negaret (cui sumtioni vehemens illud concitatumque loquendi genus, quod in hisce martyrum orationculis deprehendimus, valde obstaret); 4) denique, quaecunque *Antiocho* a ceteris fratribus et a matre intentantur minae, vel plane generales sunt (v. 19. 31. 35 s.) vel poenas in hac vita illi infligendas, speciatim morbi foedissimi cruciatus ab ipso perpetiendos (v. 17. 37. coll. C. IX. 5 — 10. 11 s.) spectant. —

Simili modo *Psalmus Salomonis* III. v. 13 ss. de improbo: „επεσεν," inquit, „οτι πονηρον το πτωμα αυτου, και ουκ αναστησεται ἡ απωλεια του ἁμαρτωλου εις τον αιωνα. Και ου μνησθησεται, ὁτ' αν επισκεπτηται δικαιους. αὑτη μερις των ἁμαρτωλων εις τον αιωνα" — quae verba vix aliud sibi velle posse, nisi id ipsum: „improbos aliquando, cum futurum sit, ut e mortuis revocentur pii, orco relictum, neque unquam in vitam restitutum iri," versu sequenti 16. confirmatur: „οἱ δε φοβουμενοι κυριον αναστησονται εις ζωην αιωνιον." Psalmus XIV. v. 6. 7. postquam impiorum turpitudinem descripserit, *peculium eorum esse affirmat orcum, caliginem et exitium, negatque, eos in lucem proditurus esse illo tempore, quo piis misericordiam suam praestiturus sit Deus*, sanctos contra *vitam nacturos esse*, et laetissimam quidem („δια τουτο ἡ κληρονομια αυτων ᾅδης και σκοτος και απωλεια, και ουχ εὑρεθησονται εν ἡμερᾳ ελεου δικαιων. οἱ δε ὁσιοι κυριου κληρονομησουσι ζωην εν ευφροσυνῃ"). Si quis esset in Psalterio Salomoneo locus, qui videri posset poenas post resurrectionem luendas impiis indicere, esset locus Psalm. XV. v. 11 — 15.: „και ἡ „κληρονομια των ἁμαρτωλων απωλεια και σκοτος, και αἱ ανομιαι διωξονται αυ„τους ἑως ᾅδου κατω. 12. ἡ κληρονομια αυτων ουχ εὑρεθησεται τοις τεκνοις „αυτων. 13. αἱ γαρ ανομιαι εξερημωσουσιν οικους ἁμαρτωλων και απολουν„ται οἱ ἁμαρτωλοι εν ἡμερᾳ κρισεως κυριου εις τον αιωνα. „14. ὁταν επισκεπτηται ὁ θεος την γην εν κριματι αυτου, αποδουναι ἁμαρ„τωλοις εις τον αιωνα χρονον. 15. οἱ δε φοβουμενοι τον κυριον ελεη„θησονται εν αυτῃ, και ζησονται εν τῃ ελεημοσυνῃ του θεου αυτων." Attamen, quam primum acrius inspexeris et singula ejus loci verba et sententiarum seriem, dubitare vix poteris, quin hic quoque nihil aliud sibi voluerit poëta, nisi hoc, impios criminum suorum poenas luituros esse eo ipso, quod orco mancipati maneant in aeternum, futurumque sit, ut die judicii a Deo quondam habendi, qua vitam piis redditura sit misericordia divina, denuo per irrevocabilem judicis sententiam morti devoveantur (απολουνται εν ἡμερᾳ κρισεως εις τον αιωνα). Verbum scil. απολλυσθαι de morte ipsa saepissime usurpari, monere non attinet; neque minus notum est, verba actum consummatum significantia de actu *continuato* aut de *permissione* haud raro intelligi, velut, quod apprime huc facit, hebr. חָיָה, ζην, valet vivere pergere, חִיָּה, ζωοποιειν, in vita conservare, vivere sinere (cf. b. Storrii obss. ad analog. et synt. Hebr. p. 8 ss. 194. 25 ss.); quo accedit, quod ipsum απολλυναι ab interpretibus Alexandrinis non uno loco substituatur hebraeo הַחֲרִים, perditioni s. morti devovere (v. Esaj. XXXIV. 2. XXXVII. 11). cf. similem verbi απολλυναι usum Jo. VI. 39. Aeternam autem male factorum ultionem ab impiis petendam nulla certe caussa est, cur in singularibus po-

auguramur, partim disertis verbis enunciatam deprehendimus [31]).

bb) *Illi eorum, quae quisque in hac vita meruit, compensationem* in eo ipso posuerunt, quod probi resur-

---

tius post resurrectionem suppliciis, quam in aeterna vitae absentia, damno gravissimo, posuisse existimemus auctorem. Posterius eum sensisse, praeter loca similia vel id nobis persuadet, quod morem veterum Hebraeorum, qui, fluxam atque instabilem malorum felicitatem ostensuri, et ipsos ad inferos mox delapsuros esse et posteros eorum paternae fortunae hereditate privatum iri affirmaverant, versibus 11 et 12 tam presse sequitur, ut etiam criminum ἕως ᾅδου malos comitantium exemplum afferat illam posterorum egestatem. cf. supra not. 12 et 15.

31) Unus exstat in l. *Judithae* locus, qui impiorum in altera vita miseriam, poenae loco perpetiendam nobis quidem videatur innuere, C. XVI. 17.; ubi nationibus exteris, gentem suam hostiliter insectantibus, haec imprecatur *Juditha:* „Κυριος παντοκρατωρ εκδικησει αυτους εν ἡμερᾳ κρισεως, δουναι πυρ και σκωληκας εις σαρκας αυτων, και κλαυσονται εν αισθησει ἑως αιωνος." Quae etsi a Ven. Bretschneidero (libr. l. p. 300. et p. 304. not. d.) exponi videamus in eam sententiam, ut *terrena* supplicia ac tormenta, populi Judaici hostibus a Deo judice infligenda, verbis solennibus e V. T. petitis, nec tamen sensu stricto sumtis, significasse censeat *Juditham*, et arbitraretur sine dubio, respexisse illam loca Es. LXVI. 24. Sir. VII. 17.; facile tamen concessum iri confidimus, longe aliam esse istorum locorum et nostri rationem, cum illic de cadaveribus, hic de hominum *vivorum ac sentientium* corporibus sermo sit, nec nisi reclamantibus legibus hermeneuticis locum nostrum ad terrestrem calamitatem hostibus imminentem trahi posse nobis persuademus. Quomodo scilicet fieri potuisset, ut *Juditha*, s. auctor libri, gentes populo Judaico inimicas *igne vermibusque* ipsa hac vita durante cruciatum iri et prae tantis doloribus ejulare non desituras esse fingeret, nobis quidem non liquere fatemur. Ingeniosa Grotii conjectura (Annotatt. ad h. l.), morbos diuturnos intelligi, qualis sit febris ἑκτικη et verminatio, alludique ad *Antiochi Epiphanis* morbum 2 Macc. IX. 5—9., magis arridere posset, si de hominibus quibusdam singulis, in populum Judaicum grassantibus, non de integris gentibus sermo esset, quas morbis diuturnis puniri jubere alienum est a more Hebraeorum, quippe qui cladibus potius bellicis nationes hostiles die judicii oppressum iri imaginati sint; ut taceamus, insolentiorem certe futuram fuisse febrium aliorumve morborum hanc descriptionem. Jam vero si in ea loci nostri interpretatione, quae sponte sese offert, acquiescamus, innui porro crediderimus non poenas post ipsam statim mortem a gentibus in Judaeos injuriis luendas (quod b. Ziegleero in comm. „Lehre der Hebräer von der Auferst. Gericht und Vergeltung nach dem Tode bis auf Christus," syntagmatis commentatt. theoll. a se editi Tomo II. Goett. 1804. inserta, p. 228. aliisque placuisse videtur), sed supplicia potius, quibus illae post restauratam sibi vitam corporalem, subitumque commune judicium cruciandae putarentur. Eo nimirum spectare censemus ipsum illum, qui additus est, terminum „ἡμερας κρισεως," dictionemque: „εις σαρκας αυτων," quae, etsi nec mortui omni amictu corporeo destituti cogitarentur, magis tamen respicere videatur ad corpus carnale redditum animis mortuorum.

Librum autem *Enochi* communem omnibus mortuis resurrectionem futuram sumere augurari possis inde, quod spiritus nequam, gigantes atque homines reprobos ad supremum usque judicium vinculis coërcitos asservari, ac tum demum in ignis chaos, in tormenta, et in aeterni carceris vincula raptum iri docet. v. l. *Enochi* C. VI. (in *Fabricii* Cod. Pseudepigr. V. T.

recturi sint; improbi non item [32]), cum *hi contra* post communem omnium in vitam reditum praemia bonis, supplicia malis Deo judice distributum iri contenderent [33]).

cc) De ipsius *animi* ante corporis restitutionem statu vix quidpiam apud hos omnes inveneris dictum [34]), tantum-

---

p. 191 s), ubi Deus Raphaelem alloquens inducitur ita: „πορευου Ῥαφαηλ, και δησον τον Ἀζαηλ, χερσι και ποσι συμποδισον αυτον, και εμβαλλε αυτον εις το σκοτος — — και εν τη ἡμερᾳ της κρισεως απαχθησεται εις τον εμπυρισμον του πυρος" et C. VIII. p. 193 s. „πορευου Μιχαηλ, „δησον Σεμιαζαν και τους αλλους συν αυτῳ, τους συμμιγεντας ταις θυγα„τρασι των ανθρωπων — δησον αυτους επι ἑβδομηκοντα γενεας εις τας ναπας „της γης, μεχρι ἡμερας τελειωσεως τελεσμου, ἑως συντελε„σθη κριμα του αιωνος των αιωνων. τοτε απενεχθησονται εις „το χαος του πυρος, και εις τον βασανον, και εις το δεσμω„τηριον της συγκλεισεως του αιωνος. Και ὁς αν κατακριθη „και αναφανισθη απο του νυν μετ' αυτων, δεθησεται μεχρι „τελειωσεως γενεας αυτων." cf. finem Cap. IX. p. 196. „μεχρις „ἡμερας της τελειωσεως, ἑως της κρισεως της μεγαλης, εν ᾗ ὁ αιων ὁ με„γας τελεσθησεται, εφαπαξ ὁμου τελεσθησεται"; maxime vero longiorem universalis judicii olim a Deo habendi descriptionem in excerptis ex *Aethiopica* libri *Enochi* editione (quam *Brucius* detexerat) apud ill. Silvestr. *de Sacy* in l. Nachr. das Buch Enoch betreffend, nach dem Französ. von *Rink*, Königsb. 1801. p. 35 — 37.

De IVto Esdrae libro dubitari non potest. Is enim universalem mortuorum ex orco reditum diserte indicit C. IV. 41 s. „In inferno promtuaria animarum matrici assimilata sunt. Quemadmodum enim illa festinat, quae parit, effugere necessitatem partus, sic et haec festinat reddere ea, quae commendata sunt," coll. C. VII. 31 s. „Et erit (post dies septem) et excitabitur, quod nondum vigilat, seculum, et morietur corruptum, et *terra reddet, quae in ea dormiunt, et pulvis, qui in eo silentio habitant, et promtuaria reddent, quae eis commendatae sunt animae.*"

32) cf. not. 30.

33) In libris *Judithae* quidem et *Enochi* praemia a piis post recuperatam vitam reportanda non memorantur, nec pro contextus ratione memorari debebant; supplicia vero ab impiis petenda depinguntur. Aliter se res habet in *IV. l. Esdrae*, quem compluribus locis tum poenarum, improbis in vitam revocatis infligendarum, tum beatitudinis, a piis tum percipiendae, mentionem facere videmus; v. e. c. C. XIV. 35. „*Judicium enim post mortem veniet, quando iterum reviviscemus, et tunc justorum nomina parebunt* (apparebunt) *et impiorum facta ostendentur.*" II. 16. „Et *resuscitabo mortuos de locis suis et de monumentis educam illos:* quoniam cognovi nomen meum in Israel." 27. „Noli fatigari. Cum enim venerit dies pressurae et angustiae, alii plorabunt et tristes erunt: tu autem hilaris et copiosa eris." Aut, si forsan priora duo libri capita serius addita habeas a Christiano quodam homine (quod non multum a vero abhorret), Cap. VII. 43 — 45. „Dies enim judicii erit finis temporis hujus et initium temporis futurae immortalitatis, in quo transivit corruptela: soluta est intemperantia, abscissa est incredulitas: crevit autem justitia, orta est veritas: *tunc enim nemo poterit salvare eum, qui periit, neque demergere, qui vicit.*" add. C. VIII. 55 — 59.

34) Sunt *in libro IV. Esdrae* loca quaedam, quae videri possint animorum a corpore separatorum conditionem spectare, Cap. nempe IX. v. 10 — 12.: „qui enim non cognoverunt me, viventes beneficia consecuti, et „qui fastidierunt legem meam, cum adhuc esset eis apertus poenitentiae lo„cus, non intellexerunt, sed spreverunt, *hos oportet post mortem in cru-*

que abest, ut sublimiorem quandam purioremque alterius vitae imaginem effinxerint, ut *corpora* prorsus talia, qualia in hac vita fuerunt, restauratum iri sumserint, futuramque post reddita corpora bonorum felicitatem terrenae perquam similem subinde fecerint[35]); quamvis

---

„*ciamento cognoscere*" — et Cap. VII. v. 56. „non enim cogitavimus viventes, quando iniquitatem faciebamus, quod *incipiemus post mortem pati.*" At vero dictionem: „post mortem" non sensu strictissimo sumi debere, sed, cum omne tempus mortem insecuturum complectatur, his locis tempus judicii de mortuis post resurrectionem ferendi innuere, contextus docet. v. C. IX. 1 — 5. VII. 31 — 35. 42 — 45. et locorum, de quibus quaerimus, cum his ipsis nexum. — Dignior est, quem animadvertamus, locus *l. II. Maccabaeorum* C. XV. 11 — 16. ubi *Judas Maccabaeus* militum animos egregie erexisse narratur eo, quod in insomniis sibi apparuisse affirmaret *Oniam* pontificem et *Jeremiam* prophetam, multis precibus pro populo et urbe sancta intercedentes, hunc vero et gladium aureum sibi porrigentem additis verbis: „accipe sanctum gladium, a Deo donatum, quo hostes confringas!" Unde conjici sine dubio potest, non alienum fuisse vel a *Judaeis Judae* aequalibus, vel ab auctore saltim libri, defunctos homines cogitare continuantes ea, quae egissent vivi, resque superstitum curae cordique habere pergentes. Quod etsi non plane novum et singulare haberi potest, cum Hebraei manes rebus actionibusque per vitam consuetis inhaerentes fingere jamdudum coeperint (cf. diss. hujus P. IV. Sect. II. not. 55. p. 150.); nostro tamen, quem tractamus, loco id videtur effici, plus quam antea vigoris et efficaciae vitalis tributum esse actionibus mortuorum, cum *Oniae* ac *Jeremiae* precibus *confisi* esse sumantur milites *Judae*. cf. Grotius in annott. ad l. n. clar. Fischius in commentat. laud. p. 693. s. Ven. Bretschneiderus, l. c. p. 319. s. 324. ac S. R. Bertholdtus in Christol. Judd. Jesu et apostolorum aetate, Erl. 1811. p. 61. s. et in *Danielis* libro vern. reddito T. II. p. 625. s. Nihilominus concedendum esse arbitramur, discerni vix posse, quantum ipsa virorum sanctissimorum populique, dum vixerint, amantissimorum memoria, somniique pro divino habiti admiratio, quantum fiducia, in precibus eorum mortuorum collocata, valuisse ponatur ad erigendos militum animos? Neque liquere nobis fatemur, quomodo e loco nostro colligi possit, auctorem (quod Bretschneidero et Bertholdto ll. cc. visum est) *sedes coelestes* statim a morte inhabitandas assignasse hominibus piis, aut rerum post mortem suam in terra gestarum cognitionem illis adscripsisse (quod Grotio placuerat). — In *Cantico trium puerorum* v. 63. „πνευματα και ψυχαι δικαιων" ad Dei laudes canendas excitantur, quod si (ut videtur) de animis piorum *corpore solutis* intelligendum est, non obscure innuit, obversatam fuisse auctori notionem mentium humanarum post discessum e corpore per se existere pergentium, sentiendique et cogitandi facultate praeditarum. Nimium tamen huic loco tribuere eo magis dubitamus, quod, pro poëtico omnis orationis genere, corporeae etiam inanimesque naturae complures Deum collaudare jubentur (v. 34. s. 37 — 58).

35) De corporis olim restituendi praemiorumque a bonis postea reportandorum natura nihil, quod memoratu dignum esset, in *Psalterio Salomonis* et in *Judithae* atque *Enochi* libris legimus. *IVtus Esdrae*, qualem futuri corporis naturam sumserit, felicitatis post resurrectionem percipiendae imagine a se efformata prodit, v. g. C. II. 11 s. „Et sumam mihi gloriam illorum, „et dabo eis tabernacula aeterna, quae praeparaverum illis. Lignum vitae „erit in odore unguenti, et non laborabunt, neque fatigabuntur." 18 s. — „et paravi tibi arbores duodecim gravatas variis fructibus et totidem fontes „fluentes lac et mel: et montes immensos septem, habentes rosam et lilium,

dd) esset in iis, qui vitae recuperandae fiduciam cum teneriore humanitatis affectu copularet ita, ut mutuae caritatis vincula, morte abrupta, per ipsam resurrectionem redintegratum iri polliceretur [36]).

ב) Quod vero jam attinet ad *Pharisaeos*, in N. T. atque a *Fl. Josepho* descriptos, et hunc ipsum, qui eorum sectae addictus fuit, *Flavium Josephum*;

aa) *Pharisaeos* quidem

αα) in *summa caussae* cum illis fecisse persuasum

„in quibus gaudio implebo filios tuos." VIII. 52. „Vobis enim apertus est „paradisus, plantata est arbor vitae, praeparatum est futurum tempus, prae„parata est abundantia, aedificata est civitas etc."

Luculentissime vero omnium *II. Maccabaeorum* liber idem ex omnibus partibus corpus, quod in hac vita circumgestarint, eadem illa, quibus antea usi sint, membra mortuis aliquando redditum iti praenunciat, C. VII. 10. s. „μετα δε τουτον ὁ τριτος ενεπαιζετο, και την γλωσσαν αιτηθεις ταχεως προεβαλε και τας χειρας ευθαρσως προετεινε, και γενναιως ειπεν· εξ ουρανου ταυτα κεκτημαι, και δια τους αυτου νομους ὑπερορω ταυτα, και παρ' αυτου ταυτα παλιν ελπιζω κομισασθαι," et C. XIV. 46. ubi Rhazis viscera sua e corpore protracta multitudini projiciens summum vitae mortisque dominum precatur „ταυτα αυτω παλιν αποδουναι" atque ita loquens exspirat. De *coelesti* vero quadam beatitudine resuscitatis speranda apud hunc quoque auctorem altum silentium obtinet, quod mirandi eo minus caussae habemus, quod, ut ipsi Maccabaeorum aequales (cf. diss. nostrae P. IV. Sect. 2. p. 163. s.), suam de piorum Judaeorum resurrectione sententiam cum regni Messiani terrestris exspectatione copulasse videtur (C. II. 17—19. VII. 29. [ubi formulam „εν τω ελεει" huc spectare vero simile est]). cf. IV. libri Esdrae loca complura, e. g. VII. 29 ss. IX. 1 ss. omnemque eorum contextum. *Thalmudici* quoque ceterique Rabbini recentiores *Pharisaici* (quos ceterum in re nostra conferre alienum duximus, cum nemo facile futurus sit, qui placita iis propria christianis de immortalitate decretis antiquiora perhibere audeat) multa habent de resurrectione ad regnum Messianum, suntque in iis, qui resuscitandi opus ipsi Messiae attribuant. cf. S. V. Süskind über die jüd. Begriffe vom Messias als Weltrichter u. Todtenerwecker in Magaz. f. christl. Dogm. u. Moral, Fasc. X. p. 104. ss. Verbo monemus, plane non esse, cur (cum clar. Frischio in Ill. *Eichhornii* Bibl. l. c. p. 691 s. et aliis), quae in hoc libro Maccabaeis eorumque aequalibus tribuuntur opiniones de rebus post mortem futuris, soli *auctori* vindicemus, cum resurrectionis fidem ipso *Maccabaeorum* aevo invalere coepisse, ex aliis rationibus atque testimoniis satis certum sit (cf. diss. nostrae P. IV. l. c.), *primi* autem libri *Maccabaeorum* auctor de hisce *Maccabaicae* aetatis opinionibus ea ipsa de caussa siluisse possit, quod a sua ipsius sententia alienae fuissent. *Disputatum* de illis in utramque partem eo saltim tempore esse, quo 2. Macc. conscriberetur, ex Cap. XII. 43—46. apparet. (cf. S. V. Starudlini doctr. de fut. corp. exanim. instauratione ante Chr. hist. in Commentt. theol. edd. a *Velthusenio*, *Kuinoelio* et *Rupertio* Vol. I. p. 278).

36) Cap. VII. 29. „μη φοβηθης τον δημιον τουτον, αλλα των αδελφων „αξιος γενομενος, επιδεξαι τον θανατον, ἱνα εν τω ελεει συν τοις αδελ„φοις σου κομισωμαι σε."

habemus, qui *futuram corporis resurrectionem* crederent[37]), sed

---

37) Fuisse hanc *Pharisaeis Jesu Christi et apostolorum aequalibus* sententiam, ex *Novi Testamenti* locis, quae eorum de hoc argumento doctrinam spectant, indubie efficitur, nominatim ex Act. XXIII. 6—8. XXIV. 15. Matth. XXII. 24. ss. (et locis huic parallelis). Ut enim sumere posse tibi videaris, duobus illis locis prioribus αναστασεως voce generalem *vitae post fata instantis* notionem exprimi (quae ipsa tamen explicandi ratio et iis, quae de plerorumque *Judaeorum Palaestinensium* placitis hucusque historia duce vidimus, et vocis αναστασεως [resurrectionis] significationi apud II. Maccabaeorum et IV. Esdrae libri auctores solemni repugnaret); certe, quae *Sadducaeos* Matth. XXII. 24. ss. vulgari (*Pharisaeorum*) περι της αναστασεως sententiae opposuisse legimus, ita se habere fatendum erit, ut *corporis* resurrectionem a *Pharisaeis* creditam ponant. cf. J. F. Flattii, collegae ac fautoris pie reverendi, commentat. insert. S. V. Pauli Memorabb. fasc. II. „Etwas über die Lehre der Pharisäer von dem Zustande nach dem Tode" p. 160. Add. Jo. XI. 24., ubi *Martha*, eandem sine dubio περι της αναστασεως opinionem secuta, „οιδα," inquit, „ὁτι αναστησεται (frater *Lazarus*), „εν τῃ αναστασει εν τῃ εσχατῃ ἡμερᾳ," quod de alio, quam corporeo in vitam reditu intelligi non posse, et verba ipsa, futuram aliquando communem mortuorum resurrectionem indicantia, et omnis contextus docet.

Sed nec *Josephum* locis tritissimis vexatissimisque de bello Jud. l. II. 8, 14. Antt. l. XVIII. 1, 3. aliud quicquam tribuere *Pharisaeis*, cum Buddeo (introd. in philos. Judaeorum, ed. II. p. 84 s. not. 440 s. not. et Hist. Eccl. V. T. T. II. p. 1203 s.), Moshemio (diss. qua docetur, J. C. resurr. mort. corp. ex tenebris in lucem revocasse, in dissertatt. ad H. E. pertinentium Vol. II. p. 603. ss.), Tellero (in fide dogmatis de resurr. carnis per IV. priora secula, Hal. et Helmst. 1766. p. 58. ss.) clar. Flüggio (Gesch. des Glaubens an Unsterbl. Auferst. etc. T. I. p. 331. ss.) b. Bauero (Theol. des A. T. p. 297. ss.), b. Zieglero (commentat. cit. p. 244. ss.), S. V. Paulo (in Pharisaeorum de resurr. sententia ex tribus Josephi locis, Meletem. ad hist. dogm. de resurr. Jen. 1796. p. 45. ss. et in Commentar. ad Luc. XX. 27.), S. R. Knappio (ad 1 Cor. XV. 12. ss. in Scriptis var. arg. p. 351.), aliisque verisimillimum habemus, quantumvis momenti rationibus illis tribuamus, quibus, *metempsychoseos* doctrinam *Pharisaeis* a *Josepho* adscribi, eamque de opinione *Pharisaeorum* sententiam compluribus etiam N. T. locis confirmari, post Serarium (trihaeres. l. II. C. 3. l. c. p. 32.), Drusium (de tribus Judaeorum sectis, l. II. c. 14. l. c. p. 252.), Jacobum Basnagium (hist. des Juifs, T. II. p. 489. ss.), Clericum (H. E. II. primorum a Chr. nato seculorum, Prolegg. p. 8.), Bruckerum (Hist. crit. phil. T. II. p. 753. s.), demonstratum iverunt Staeudlinus (comm. cit. p. 284.), Ammon (bibl. Theol. T. III. p. 249. s. et in diss. de adumbrat. doctrinae de animorum immortal. a J. C. propositae praestantia, in Opusc. theol. Erl. 1793. p. 88. ss.), J. E. C. Schmidtius (Entw. einer Gesch. des Glaubens an Vergeltung etc. p. 99. s.), Lohdius (in diss. laud. p. 8. ss.), Bretschneiderus (Capp. theol. Judaeorum dogm. e Fl. Jos. p. 51. ss.), aliique magnae auctoritatis arbitri. Equidem, ut prioribus accedam, hisce potissimum caussis moveor: 1) scilicet *ipsa*, *quibus Josephus usus est*, *verba*, *quamvis non eadem plane sint*, *quibus mortuorum resurrectio alibi* (in libro Danielis, in apocryphis pseudepigraphisque V. T. libris et in N. T.) indicatur, μετεμψυχωσεως *tamen notioni exprimendae minus etiam apta fuisse videntur.* Palmarius locus, de Bello Jud. II. 9, 14., hic est: „ψυχην δε (docent *Pharisaei*) πασαν μεν αφθαρτον, μεταβαινειν δε εις ἑτερον σωμα την των αγαθων μονην, την δε των φαυλων αἰδιῳ τιμωριᾳ κολαζεσθαι." Ubi si migrationem animarum

NN) partim iis adstipulatos esse, qui non nisi *pios Judaeos* (velut *II. Maccabaeorum* libri auctor), partim iis, qui

---

per varia corpora innuere voluisset *Josephus*, quaeso, nonne dicendum illi fuisset: εις ἑτερα σωματα —? Ut maxime urgeas illud: „ἑτερον," μετεμψυχωσεως tamen doctrinam nunquam inde elicies, nisi forte hoc nomine designare velis quemvis transitum animae in *novum*, *a priori diversum corpus, quo tanquam instrumento perpetuo utatur* (fore enim, ut anima e novo hoc corpore, aut ex aliis etiam, in quae deinceps immeatura sit, tandem satis purificata evolet ad loca sublimia, ne verbulo quidem significatur). Sed ipsum illud ἑτερον ne diversum quidem a priori corpus inferre putamus. Σωμα enim, quod reviviscentibus redditur, *secundum, alterum* (ἑτερον) est *tempore* (δευτερον, cf. Act. XXVII. 3. et *Hesychius* ad voc. ἑτερον. „αλλο, η αλλοιον, η εν των δυοιν, η αριστερον. νεον, δευτερον)," si vel idem *numero* sit, quin, si idem sit *ipsa conditione.* Nihil itaque aliud sibi velle videtur *Josephus*, nisi hoc: statuere Pharisaeos, omnem quidem animam immortalem esse, sed solam bonorum in corpus *iterum* redire (quod an aliud numero aut natura futurum putetur, in ancipiti relinquitur), malorum vero animam in aeternum puniri (eo ipso etiam, quod nunquam in vitam corporalem redeundi facultas detur). Quam sententiam equidem multo etiam concinniorem existimaverim, quam eam, quae sumta μετεμψυχωσεως notione prodiret, cum in eo versetur *Josephus*, ut *beatam bonorum sortem* malorum miseriae opponentes inducat Pharisaeos. Optime etiam cum hac ipsa interpretatione convenit eamque confirmat locus alter, Antt. XVIII. 1, 3., cui non minus invito obtrusa videtur migrationis animarum notio. Cum enim ibi legimus: „ἀθανατον τε ισχυν ταις ψυχαις πιστις αυτοις ειναι, και ὑπο χθονος δικαιωσεις τε και τιμας οἷς αρετης η κακιας επιτηδευσις εν τῳ βιῳ γεγονε. και τοις μεν ειργμον αἴδιον προστιθεσθαι, τοις δε ῥαστωνην του αναβιουν," postrema haec verba persuasum plane habemus neminem ad μετεμψυχωσιν tracturum, sed simpliciter quemque explicaturum fuisse *reviviscendi*, i. e. resurgendi ab inferis (εκ των ὑπο χθονος) copia, probis tributa, cum contra scelesti aeternis orci miseriaeque vinculis relicti maneant, nisi prior ille locus alio vertisset interpretum oculos. Nos verba prioris: „μεταβαινειν εις ἑτερον σωμα" aptissime illustrata reperimus nostris: „τοις δε ῥαστωνην του αναβιουν (προστιθεσθαι)." Si nempe in his argutari nolis, per ipsam parallelismi antithetici legem nihil ea sibi velle judicaveris, nisi, quod modo dictum est, animas bonorum, ab ᾅδου carcere non retinendas (ειργμῳ αἰδιῳ non obnoxias), ad vitam pristinam redituras, vitam in corpore iteraturas esse (εις ἑτερον s. δευτερον σωμα μεταβαινειν).

Tertium insuper locum de Bello Jud. III. 8, 5. recte quidem a ceteris duobus distinguere videmus aliquos, velut cel. Conzium nostrum (in lib. Schicksale der Seelenwanderungs-Hypothese, Regiom. 1791. p. 103), Ven. Bretschneiderum (l. c.) aliosque. Nihil enim vetat, quo minus *fieri certe potuisse* suspicemur, ut in hac oratione *sua* potius quam *Pharisaeorum* sensa profaretur *Josephus*, cum nemo facile futurus sit, qui hanc orationem, *plane ut scriptam legimus*, *coram militibus habitam revera esse* contendat. Attamen hic quoque non μετεμψυχωσεως tantum notio frustra quaeritur, sed omnino de futuro bonorum animorum in corpora reditu vix aliud quicquam, quam ceteris duobis locis, dictum esse deprehenditur. Cum enim monet *Josephus*: αρα ουκ εστε, ὁτι των μεν εξιοντων του βιου κατα τον της φυσεως νομον, και το ληφθεν παρα του θεου χρεος εκτινοντων, ὁταν ὁ δους κομισασθαι θελῃ, κλεος μεν αιωνιον, οικοι δε και γενεαι βεβαιοι, καθαραι δε και επηκοοι μενουσιν αἱ ψυχαι, χωρον ουρανου λαχουσαι τον ἁγιωτατον, ενθεν εκ περιτροπης αιωνων ἁγνοις παλιν αντενοικιζονται σωμασιν" — puros animos post longam in sanctis-

omnes homines, tam probos, quam improbos (ut IV. *Esdrae* scriptor) e mortuis aliquando resurrecturos esse existimarent [38]);

---

simo coeli loco commorationem tandem, lapsis seculis, ad migrationem (purificaturam scilicet, cf. S. V. Paulus in melet. laud. p. 51 s.) progressuros esse, quis eum praedicere velle sibi persuaserit? Quid? quod nec reditus in *corpus a priore diversum* indicari videtur, sed corporis, vel emundati, vel (quod contextui aptissimum fuerit) castius sanctiusque, quam ab iis, qui necem sibi consciverint, habiti, restitutio.

Quibus omnibus accedit locus quartus, ubi iterum ex sua ipsius persona loquentem audimus *Josephum*, a plerisque praetermissus (notatus tamen a S. V. Staeudlino l. c. p. 284 s. clar. Lohdio l. c. et b. Zieglero l. c. p. 246 s.), l. II. contra Apionem §. 30. „του μεν νομοθετου προφητευσαντος, του δε θεου την πιστιν ισχυραν παρεσχηκοτος, ὁτι τοις τους νομους διαφυλαξασι, κἀν ει δεοι θνησκειν ὑπερ αυτων προθυμως αποθανουσυν, εδωκεν ὁ θεος γενεσθαι τε παλιν, και βιον αμεινω λαβειν εκ περιτροπης." De animorum migratione nec hoc loco quisquam cogitabit; simpliciter potius novam eamque meliorem vitam παλιγγενεσιας (αναστασεως, cf. *Lucianum* apud Bielium in Thes. ad formulam παλιν γινομαι, et S. R. Schleusnerum in Lex. N. T. ad voc. παλιγγενεσια) beneficio nanciscendam promitti fateberis, et „παλιν γενεσθαι, βιον λαβειν εκ περιτροπης" respondere formulis: „μεταβαινειν εις ἑτερον σωμα, αναβιουν, σωμασι παλιν αντενοικιζεσθαι." Ceterum facile largimur, in enuncianda resurrectionis futurae notione a dictionibus inter Judaeos solennioribus abstinuisse posse *Josephum* ea de caussa, quod graeco loquendi modo adulari amaverit. Verum enim vero

2) si vel maxime demus, allata *Josephi* de *Pharisaeis* verba per se sumta sine difficultate posse de μετεμψυχωσει intelligi, hanc tamen doctrinam *Pharisaeis* ab ipso adscribi parum probabile habemus. Loquitur enim de *Pharisaeorum* doctrinis non esotericis quibusdam, sed vulgo propinatis (cf. supra not. 29), vulgum autem Judaeorum, *Pharisaeos* sectantem, μετεμψυχωσεως commento Christi aut apostolorum et Josephi tempore addictum fuisse, nemini facile persuaseris, qui ea, quae libri V. T. apocryphi et pseudepigraphi, quin ipsi etiam N. T. scriptores de *Judaeorum Palaestinensium* opinionibus tradiderunt, *Thalmudisque* et antiquissimorum ecclesiae christianae *Patrum* silentium satis perpenderit, memineritque, recentiorum quoque Judaeorum eos, qui animorum migrationem doceant, non bonorum tantum (quod *Josephus* asseruisse perhibetur), sed omnium migrationem docere. Loca etiam Matth. XVI. 14. XIV. 2. Jo. IX. 2. non ex μετεμψυχωσεως opinione a Judaeis recepta, sed partim inde, quod illi insignes prophetas ante Messiae adventum *resurrecturos* esse putaverint (Matth. XIV. 2. „αυτος ηγερθη απο των νεκρων"), partim hinc, quod fieri posse somniarint, ut in ipso utero matris peccarent infantes (cf. Lightfoot. ad Jo. IX. 1), explicanda esse, dudum ostensum est ab interpretibus.

Monendum restat, si nihilo minus suspiceris, a *Pharisaeis* vel *Christi* jam tempore vel *Josephi* saltim atque apostolorum aetate adoptatum fuisse μετεμψυχωσεως commentum, non desiisse tamen inter eos resurrectionis quoque fidem dominari (quod loca ex Actis Apostolorum allata, et multa Thalmudis Rabbinorumque testantur), sumique necessum fore, aut utramque opinionem quocunque modo a secta Pharisaica conjunctam contextamque esse, aut alios ex secta alteri, alios alteri addictos fuisse.

38) Fuisse ex *Pharisaeis*, qui nonnisi *pios* in novam corporis vitam evasuros esse existimaverint, e *Josephi* locis supra allatis de bello Jud. II. 8, 14. Antt. XVIII, 1, 3., nisi vim iis inferre velis, satis apparet. Si enim his ipsis locis de resurrectione agitur (quod ponere nobis jam licere arbitramur);

בב) plerosque eorum *rudioribus* de futuro corpore futuraque vita imaginationibus indulsisse, corpus resurrectu-

---

prior eorum, solam bonorum animam (την των αγαθων μονην) in novum corpus transituram esse diserte perhibet. Textum enim corrigendi, ita v. c., ut cum ingeniosissimo Paulo legas vel (v. melet. laud. p. 48): „την των αγαθων μεν ονημενην" vel (v. Comment. ad Luc. XX. 27. not. p. 278): „την των αγαθων μεν ονηναι," ipse certe textus rationem suppeditat nullam, cum particula „μεν" quae posteriori „δε" (in vocibus: την δε των φαυλων antecedere debuisse videtur (p. 46), ab auctore, ut aliâs saepe fit (cf. Devarium ad partic. „δε" et „μεν"), ita h. l. eo citius omissa esse possit, quod et aliud „μεν" proxime antecesserat, et antithesis particulae „δε" ipsa jam voce: „μονην" quodammodo expressa erat. *Sensum* vero a textu recepto proditum mutationem lectionis neque imperare neque excusare, vix est quod moneamus. Aliam viam ingressus est b. Tellerus libr. cit. p. 61. 62., ut resurrectionem ad pios restrictam a loco nostro removeret; pressa nempe vocula „ἕτερον" hanc loci sententiam constituit: „rediturum in *aliud* (*purissimum*, coll. de Bello Jud. III. 8, 5) corpus solam bonorum animam esse, improborum vero animam (cum crasso, tormentorumque calamitates mirifice augente corpore rursus uniendam) aeternis suppliciis punitum iri." Sed quam multa hoc modo auctoris sermoni ab interprete inseri atque intrudi opus sit, per se patet. — Idem valet de altero loco, Antt. XVIII. 1, 3. ubi, quamcunque statuas verbi „προστιθεσθαι" significationem, sive *additionis* notionem in illo urgeas (cum S. V. Paulo, in melet. p. 40 s.), sive de *attribuendo*, *dicando*, *decernendo* illud sumas (ut idem fere sit cum verbo „προτιθεσθαι" cujus optionem vir celeb. dedit in Commentar. p. 279); certe formula „εἱργμος αἴδιος" facillime explicatur de malorum animis in ᾅδου vinculis *perpetuo* retinendis, *neque* igitur *unquam* ad superas auras revocandis (cf. Ven. Bretschneiderum in Capp. theol. Jud. p. 51), nec quicquam continet, quod *arctiorem* quandam inclusionem, deterioremque conditionem restitutis corporibus (de quibus profecto ne hiscitur quidem) instantem (v. Paulus p. 45) innuere possit; et altera, quae ex adverso posita est, dictio: „ῥαστωνην του αναβιουν" *copiam* reviviscendi, omni vinculorum infernorum (του εἱργμου) vi expeditam, denotat (conf. not. antec. p. 185). Neque praetermittendum sane erit, ea etiam loca, ubi ex sua persona loquitur *Josephus* (de B. J. III. 8, 5. c. Ap. II, 30.), cum hac sententia colludere.

Exstitisse autem etiam inter *Pharisaeos*, Christo apostolisque vel antiquiores, vel iis aequales, qui *solos Judaeos* vel *pios tantum Judaeos* (suisque partibus addictos) revicturos existimarent, quamvis, ut lubentes fatemur, demonstrari disertis testimoniis nequeat, perquam tamen verisimile habendum erit, tum, quod haec ipsa opinio universae Pharisaeorum rationi, qua ceteras gentes omnes intolerabili fastu rejicerent atque a divino favore excluderent, apprime conspirat; tum quod ea libris *Danielis* (cf. sectionem diss. nostrae prox. anteced. p. 163. et II*do Maccabaeorum*, *Psalmisque Pseudo-Salomonis* quodammodo confirmatur; tum denique, quod inter recentiores quoque *Rabbinos* non pauci exstiterunt, qui ita sentirent (cf. Eisenmengeri Entd. Judenthum, T. II. p. 903 ss. et ex eo Ven. Flügge. l. c. p. 282 ss. add. Ven. Des Côtes in l. cit. p. 162 ss. et S. V. Süskind in Comm. cit. p. 105. ss.). Ipsa *Josephi* sententia, ex omni nempe hominum genere nonnisi, qui pie vitam egerint, in vitam redituros esse sumens, originem fortasse traxit ab illa aliorum *Pharisaeorum* sumtione; quod eo facilius accidisse potest, cum Judaei saepissime, ubi de populo suo loqui vellent, *piorum* s. *sanctorum* (צריקים, קדושים) nomine usi sint more antiquo. cf. S. R. Bertholdt in Christol. Jesu et apostolorum aetate, p. 180 s.

Alii denique *omnium hominum*, tum proborum, tum improborum, re-

rum non idem tantum cum priore, sed huic etiam perquam simile, novam vitam ab hac terrestri parum diversam concepisse [39]); licet fuerint forsan, qui in hoc capite plus saperent [40]);

ϛϛ) censuisse porro eos omnes, futurum esse resurrectionis tempore, ut pii ad summum felicitatis fastigium evehantur, impii poenis in aeternum devoveantur, sed ita tamen, ut impios alii iis tantum poenis, quas statim post mortem in ipso orco subierint, privatos resurrectionis beneficio, relictum iri, alii novas etiam acerbiores corpore resuscitato subituros esse sumserint [41]).

---

surrectionem docuerunt, cujus rei gravissimum documentum sumi potest e loco Act. XXIV. 15., ubi Paulus apostolus, sperare se, inquit, futuram *mortuorum* resurrectionem, *tam proborum quam improborum* (δικαίων τε καὶ ἀδίκων), eamque spem ipsis etiam accusatoribus suis (supremo sacerdoti presbyterisque, v. 1) probari affirmat; quod potuit certe, etsi essent in *Pharisaeorum* familia, quin *inter ipsos*, *quos praesentes habuit*, *Pharisaeos*, qui piorum tantum (Judaeorum) in vitam reditum exspectarent. Ad *pios* certe non ab omnibus *Pharisaeis* restrictam fuisse resurrectionem, locus etiam Matth. XXII. 23 ss. indicat. Immo conjecturae forsan locus esset, annon ipse Servator in gradatione, quae inter Jo. V. v. 25 et 28 s. animadvertitur, ad dissensionem hanc inter *Pharisaeos* obtinentem respexisse putari queat?

Ceterum ii *Pharisaeorum*, qui omnes homines resurrecturos esse statuerunt, distinxisse tamen videntur *primam* inter et *secundam* resurrectionem, illam piis Judaeis ad regni Messiani gaudia evocandis (v. Luc. XIV. 14. coll. 15.), hanc ceteris tandem hominibus vindicantes. Ad hanc scilicet opinionem, apud Rabbinos obviam, non uno N. T. loco (v. c. Luc. XIV. 14. Apoc. XX. 5. 6) allusum esse suspiceris.

39) Matth. XXII. 23 ss. Sadducaei, *Pharisaicam* de resurgentium corpore docendi rationem spectantes, posita resurrectione inferri sumunt resuscitatorum, ipsiusque *seculi futuri participum* (coll. Luc. XX. 34 s.), qualia in hac vita exstiterint, connubia; neque Jesus objectionem ab iis prolatam pro inani cavillatione habet, quae in Pharisaicam de resuscitatorum statu sententiam non quadret, sed ei serio refellendae operam navat. Et cum ad regni Messiani voluptates percipiendas (cf. Luc. XIV. 15. et Schoettgenium ad Matth. VIII. 11.) revicturos esse pios Judaeos, vulgaris *Pharisaeorum* opinio tulerit, non potuerunt non corpus resurgentibus addicere rursus terrenum, voluptatibus terrenarum similibus aptum (cf. Moshemius l. c. p. 607 s.).

40) Non defuisse, qui de futuri corporis natura alteriusque vitae conditione subtilius sublimiusque statuerent, tum per se probabile habendum est, cum *doctorum* saltim Pharisaicorum partem ad rerum harum considerationem magis philosophicam inclinasse et Alexandrinae de iis sentiendi rationi non omnem ad semetipsos aditum praeclusisse, consentaneum sit, tum vero *Josephi* Pharisaei et Rabbinorum quorundam Thalmudicorum, aevo Christiano propiorum, exemplo (cf. Wetstenius ad Matth. XXII. 30) confirmatur.

41) Priorem sententiam ut eorum ratio, qui pios solos revicturos putarent, per se tulit, ita satis expressam arbitramur esse locis *Josephi* saepius allegatis; posteriorem, licet nulla nobis de ea suppetant ex aetate Christi *vel*

ββ) De *mortuorum* nempe *post ipsa statim fata conditione* additum jam reperimus hoc, fore, ut proborum hominum animi, quamprimum ex hac vita discesserint, ad praemia reportanda accedant, malorum contra mentes deposito corpore suppliciis in Hade sustinendis tradantur[42]). Quod etsi non *novum* plane fuisse putemus, sed, postquam magis perspectum semel esset animi corporisque discrimen[43]) (quo praeter alias caussas ipsa sine dubio resurrectionis futurae cogitatio contulit), sensim sensimque a parte *Pharisaica* assumtum, in apocryphis tamen et pseudepigraphis V. T. scriptis omissum est.

bb) *Flavium Josephum*, arbitramur, velut in ceteris, ita in hoc etiam argumento *Pharisaeis* sese adjunxisse, sed ita tamen, ut de futurorum corporum novaeque vitae natura sanius digniusque, quam plerique, sentiret, atque in adumbranda sua et Pharisaeorum de rebus istis omnibus opinione Graecorum Romanorumque ingenio subinde se accommodaret; quo praeter alia id praesertim referimus, quod

---

antiquiore testimonia, viguisse tamen inter ceteram *Pharisaeorum* partem, non temere conjeceris tum ex ipsa rei natura, tum inde, quod apocryphorum et pseudepigraphorum V. T. scriptores illos, quibus universalis resurrectio placuit, judicium adversus impios habendum cum ea conjunxisse videamus (IV. Esdr. XIII. 26. VII. 32 s. VIII. 55—59.), denique, quod in Thalmude etiam suppliciorum a resuscitatis corpore pariter atque animo subeundorum frequens mentio fiat (conf. Eisenmenger T. II. p. 950 ss.).

42) Quemadmodum id a *Josepho* clarissimis verbis expositum deprehendimus (Antt. XVIII. 1, 3. „και ὑπο χθονος δικαιωσεις τε και τιμας οἷς αρετης η κακιας επιτηδευσις εν τῳ βιῳ γεγονε" — de B. J. II. 8, 14. ubi ex oppositae certe Sadducaeorum sententiae descriptione: „και τας καθ' ᾅδου τιμωριας και τιμας αναιρουσι" idem apparet), ita mirifice confirmatur illustri Servatoris parabola Luc. XVI. 19—31., ubi Pharisaeorum et vulgi de rebus a morte instantibus opiniones spectatas esse res ipsa docet, ὁ ᾅδης autem, in quem mortuorum animae, quamprimum e corpore discesserint, descendentes finguntur, sistitur distinctus in regiones duas, superiorem nimirum, s. Abrahami sinum (παραδεισον Luc. XXIII. 43), et inferiorem, s. locum tormentorum, ignibus flammantem (την γεενναν); unde et sequioris aevi Rabbinis solenne fuit docere, duobus istis του ᾅδου receptaculis, paradiso scil. s. sinu Abrahami, et Gehenna, illo piorum, hac impiorum animas ad resurrectionis usque tempus asservari (conf. Lightfootus ad Luc. XVI. 22 ss. et Wetstenius ad Luc. XXIII. 43.).

43) Perspectum id esse a Pharisaeis, *Josephus* certe innuit Antt. XVIII. 1, 3 hac formula: „αθανατον τε ισχυν ταις ψυχαις πιστις αυτοις ειναι." Luculentius *Josephus* ipse, suo nomine loquens (de B. J. III. 8, 5), „τα μεν γαρ σωματα" inquit, „θνητα πασι, και εκ φθαρτης ὑλης δημιουργειται. ψυχη δε αθανατος αει, και θεου μοιρα τις σωμασιν ενοικιζεται."

puriores animas, postquam e corpore discesserint, *ad sedes coelestes* evolaturas esse uno certe loco affirmasse videatur [44]).

---

44) Loco proxime allato, ubi paucis interjectis ita pergit: καθαραι δε και επηκοοι μενουσιν αἱ ψυχαι χωρον ουρανου λαχουσαι τον ἁγιωτατον" κ. τ. λ. Quod quomodo intelligi possit de loco *Hadis subterranei*, altiore coeloque propiore, nos quidem non perspicere nos fatemur.

IX.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,

QUID

DOCTRINA DE ANIMORUM IMMORTALITATE

RELIGIONI CHRISTIANAE DEBEAT,

EX CAUSSAE NATURA ET EX REBUS FACTIS

MONSTRANS.

P. 5. SECT. 2.

Ipse *Josephus,* quem modo reliquimus, transitum nobis aperuit

b. ad *Judaeos Alexandrinos,*

quorum de rebus divinis sentiendi rationem ille, quamvis aliàs et natione et universo cogitandi modo *Palaestinensis,* in quibusdam tamen attigisse videtur.

Jam cum supra dictum sit, in eo praecipue cerni *Alexandrinorum* genium, quod ii praeter *Zoroastrica* decreta [1]) Graecae etiam philosophiae, *Platonicae* inprimis, sententias, ut universim, ita in nostro potissimum, quod agimus, argumento sequi et cum opinionibus patriae religionis auctoritate sacratis contexere amarint; nihil, quod ad summam rei pertineat, addi amplius necesse est, nisi, et longe majorem fuisse inter *Alexandrinos Judaeos,* quam inter *Palaestinenses*, in iis, quae de animorum immortalitate statuerent, concentum; et, quod vel inter illos ipsos animadverti possit, discrimen, ad *parciorem* potissimum *amplioremve* Sapientiae aut *Orientalis* aut *Graecae* usum, tanquam ad fontem suum, redire. Ita omnes, quos supra ad hanc *Alexandrinorum* classem retulimus, librorum nempe *Sapientiae* et *Quarti Maccabaeorum* auctores, *Essaeos,* atque ipsum tandem, qui horum familiae adhaesit, *Philonem* junctim considerare, et, quid in doctrina nostra au-

1) Orientalem de rebus divinis disciplinam atque philosophiam, *Persicam* praesertim, qualis a *Zoroastris* tempore exstitisset, variis viis in *Aegyptum* quoque, maxime *Alexandriam*, introduci potuisse et introductam esse (e. g. imperii Persarum in Aegyptios, a *Cambyse* conditi, occasione, colonorum Palaestinensium, doctrina Orientali imbutorum, crebris in Aegyptum migrationibus etc.), atque in ipsa urbe Alexandria, literarum artiumque sede celeberrima, studiosius subtiliusque quam inter Palaestinenses indigenas cultam, non est, quod hoc loco longiùs persequamur.

genda, religionem christianam forsan antevertentes, praestiterint, perlustrare liceret. Satius tamen duximus, *a*) praemittere sigillatim, quae *Sapientiae librum* praecepisse deprehendamus, deinde *b*), quae *Essaei* (quorum nomine et *Therapeutas* comprehendimus), quae *Philo*, quae *IVti Maccabaeorum libri auctor* addiderunt subtiliusque explicarunt, uno obtutu complecti, levioribus differentiis suo quibusque loco notandis. Id enim facile nobis datum iri speramus, l. *Sapientiae* scriptorem [2]), licet et ipsum philosophia *Platonica* tinctum, magis tamen, quam ceteros *Alexandrinos* [3]), disciplinae *Zoroastricae* inhaesisse [4]), a *Graeca* minus mutuatum esse; et enatam inde fuisse latiorem aliquam diversitatem, qua a ceteris secerni ille posset. Quod sponte appariturum est, quam primum utriusque par-

---

2) Loqui malumus de uno libri hujus auctore, quam de pluribus, tametsi Ill. Eichhornium, (Einl. in die apokr. Schriften des A. T. p. 142 — 162.) duas libri partes, a duobus auctoribus, aut ab uno quidem, sed diversis certe temporibus, conscriptas, Cap. I — XI. 1. et Cap. XI. 2. — XIX. 22.; Ven. Bretschneiderum (in dissertt. III. de l. Sap. parte priore Cap. I — XI. e duobus libellis diversis conflata, Wittenb. 1804. et in I. Syst. Darstellung der Dogm. u. Moral der apocr. Schriften des A. T. p. 54 s.) tres partes (C. I — V., C. VI — XI., C. XII usque ad finem) a tribus auctoribus profectas; Ven. Nachtigal (in l. Sap. vernac. redd. Hal. 1799. p. 5 ss.) ex complurium virorum, ingenio, disciplina, sentiendi ratione diversissimorum, sermonibus, in scholis sapientium recitatis, librum omnem serius consarcinatum sumere videamus. Parum enim absumus, quin accedamus Censori *Halensi* (Allg. L. Z. v. J. 1805. p. 399 s.), qui, cum adstipuletur cel. Bretschneidero in libro Sapientiae trifariam dispertiendo, ipsas tamen has partes tres non uni tantum eidemque auctori, sed uni etiam operi ab eo confecto vindicare posse sibi videtur; persuasumque nobis est, si vel concedatur cel. Eichhornio, diverso saltim tempore partes libri (sive duas sive plures) exaratas esse, posse eas nihilominus ac debere pro unius operis, sive ab ipso auctore sive ab alio quodam homine collecti, partibus censeri, cum, quicquid varietatis habeant, eandem tamen sentiendi rationem prodant (cf. S. V. Staeudlinus in Gesch. der Sittenl. Jesu, T. I. p. 373. 375.), et conjunctae scriptionem satis cohaerentem sistant. Si, quid nobis videatur, breviter profiteri liceat, conjici posse arbitramur, auctorem iis, quae a C. XII. 3. usque ad finem libri leguntur, prius a se scriptis, praeposuisse postea sectionem ab initio libri usque ad C. XII. 2. pertinentem, eo consilio, ut illa ipsa adhiberet ad uberiorem sapientiae commendationem.

3) *Palaestinensem* fuisse auctorem aut unius alteriusve partis, quod Ven. Bretschneiderus (conf. diss. II. p. 11.) existimavit, aut totius libri (quod *Censori Halensi* visum est), neminem facile consensurum putamus, qui argumentum libri cum iis, quae de *Palaestinensium* sentiendi et loquendi more comperta habemus, contenderit.

4) Prae aliis id ipsum ostendere annisus est J. M. Faber in IIItia prolusionum VI. super libro Sapientiae (Onoldi 1776 ss.).

tis de argumento nostro placita e documentis suis breviter eruerimus. Ut igitur

a. ab hoc *libri Sapientiae* auctore ordiamur, deprehendimus eum

α) *animam humanam* (ψυχην), quamvis a *mente* (νοϊ) nullibi distinctam [5]), et pro *spiritu homini divinitus inflato* etiamnum habitam [6]), exactissime tamen *a corpore*, tanquam corrumpi nesciam et coelestem ab eo, quod corruptioni obnoxium et terrestre sit, secrevisse [7]), adeo, ut eam *per se exstitisse* sumeret *ante* vitam corpoream [8]), ipsumque corpus pro *carcere* quodam animae, quo illa gravaretur et coërceretur, duceret [9]). Cui de animae natura sententiae

β) plane accommodatum fuit, quod de iis, *quae ipsi post mortem* instarent, professus est.

γ) *Immortalem* nempe eam esse gravissime et copiosissime defendit contra eos, qui, peccandi amore ducti, secus sentirent [10]), eamque immortalitatem ab ipsa, qua ho-

---

5) Commutantur invicem ψυχης et νοος nomina C. IX. 15. „φθαρτον γαρ σωμα βαρυνει ψυχην, και βριθει το γεωδες σκηνος νουν πολυφροντιδα."

6) Cap. XV. 11. „ὁτι ηγνοησε τον πλασαντα αυτον, και τον εμπνευσαντα αυτῳ ψυχην ενεργουσαν, και εμφυσησαντα πνευμα ζωτικον." Videtur nempe auctor in doctrinae *Zoroastricae* morem non modo *mentem* ratione praeditam, sed ipsam etiam *vim vitalem omnem*, quae *in hominibus* quidem *conjuncta* sit cum intelligendi facultate, *excelsiori cuidam principio spiritali*, quod, tanquam particula e divina natura progressa, corpori inditum esset, acceptam retulisse.

7) v. l. modo allatum, et C. XVI. 14.

8) C. VIII. 19 s. „Παις δε ημην ευφυης, ψυχης τε ελαχον αγαθης. Μαλλον δε αγαθος ων ηλθον εις σωμα αμιαντον." Auctor, Salomonis personam indutus, „bona animae indole se instructum memorat, quin (μαλλον δε) animam nobilem purum etiam corpus tanquam habitaculum suum esse ingressam (nihilo minus vero sapientiam atque continentiam a Deo solo potuisse expeti)." Ubi, praeterea, quod anima ponitur *per se* exstitisse ante vitam corporalem (conf. S. V. Keil de doctoribus vet. eccl. culpa corr. per Platonicas sententias theologiae liberandis Commentat. XI. p. 8.), nec hoc praetermitti debet, *semetipsum eundem cum anima* praedicare loquentem. Ipsam vero de animarum προϋπαρξει opinionem, licet possit e philosophia *Pythagoreo-Platonica* petita esse, nihil tamen vetat, e doctrina *Zoroastrica* derivare, cum et haec mentes hominum e divina natura progressas, diu ante intratum corpus substitisse sumserit.

9) v. locum not. 5 citatum.

10) In hoc argumento tractando prima libri pars C. I — V. *omnis* occupatur. Cap. praesertim II. eorum rejicitur ineptia, qui mortem pro rerum humanarum ultimo fine habeant. v. 1 — 5. „ειπον γαρ αὑτοις λογισαμενοι ουκ „ορθως· ολιγος εστι και λυπηρος ὁ βιος ἡμων, και ουκ εστιν ιασις εν „τελευτη ανθρωπου, και ουκ εγνωσθη ὁ αναλυσας εξ ᾅδου.

mo conditus esset, natura ita repetiit, ut *imaginem divinam*, homini innatam, cerni doceret in eo, quod sit immortalis [11]). Neque profecto *piorum* tantum hominum, sed *omnium* animis perennitatem fine carentem adscripsit [12]).

„Ὅτι αυτοσχεδιως εγεννηθημεν, και μετα τουτο εσομεθα ὡς ουχ „ὑπαρξαντες (erimus, quasi nunquam fuissemus), ὁτι καπνη ἡ πνοη „εν ῥισιν ἡμων, και ὁ λογος σπινθηρ εν κινησει καρδιας ἡμων (nil nisi vapor est halitus ille in naribus nostris, et ipse sermo nil nisi scintilla e pectore moto emicans), 3. οὗ σβεσθεντος τεφρα αποβησε„ται το σωμα, και το πνευμα διαχυθησεται ὡς χαυνος αηρ.“ — 5. „σκιας γαρ παροδος ὁ βιος ἡμων, και ουκ εστιν αναποδισμος της τελευτης „ἡμων, ὁτι κατεσφραγισθη, και ουδεις αναστρεφει.“ Sed per reliquum etiam librum ubique redit persuasio ista de animorum immortalitate firmissima, v. c. Cap. XV. 3. „και ειδεναι το κρατος σου ῥιζα αθανασιας.“ (Versus ejusd. Cap. 8., qui *antiquiorem ac tristiorem* de morte opinionem repetere videri possit (conf. b. Ziegleum l. c. p. 236.): „και κακομοχθος θεον ματαιον εκ του αυτου πλασσει πηλου, ὁς προ μικρου εκ γης γεννηθεις μετ ολιγον πορευεται εξ ἡς ελληφθη, το της ψυχης απαιτηθεις χρεος.“ — inde illustrandus est, quod *humilius* de humana natura loqui *consilium* loci tulerat). Alia loca, quibus cum immortalitate simul eorum, quae quisque factis suis meruit, compensatio olim futura asseritur, deinceps afferemus.

11) Cap. II. 23. „ὁτι ὁ θεος εκτισε τον ανθρωπον επ' αφθαρσια, και εικονα της ιδιας ιδιοτητος εποιησεν αυτον.“ — quae verba non ad eum restringenda videntur sensum, quasi illa Dei immortalis imago homini, cum crearetur, impressa quidem esset, sed morte interveniente evanuerit (v. 24). Fert enim id omnis orationis series, ut credatur auctor insidiarum piorum saluti ab improbis structarum vanitatem (v. 20 — 22.) demonstratum ivisse eo ipso, quod ad vitam corrumpi nesciam conditus esset homo, ejusque, quod Deo proprium esset, instar in se proponeret, et, licet diaboli invidia mors invaserit in mundum, quam, qui ab illius partibus starent, et contra se et contra alios provocarent lacesserentque (v. 24), proborum tamen *animi*, infesta inimicorum vi superiores, Dei tutela amantissima fruerentur, ipsique pii non nisi viderentur vita privari (III. 1. 2.).

12) Argumenta scilicet illa, quibus doctissimi nonnulli nostrae aetatis viri ostendere posse sibi visi sunt, malorum animos ab immortalitatis beneficio exclusos esse sive in libro nostro omni (quod Ven. Bretschneidero placuit, Dogm. der Apokr. p. 307 ss.) sive in quibusdam ejus fragmentis (ut Ven. Nachtigal l. c. p. 49. et passim) nobis quidem non satisfaciunt. Maxime in hac caussa urgeri videntur tum loca quaedam, quibus futura improborum exstinctio diserte praenunciata esse putatur, locus nempe Cap. III. 10. 16 s. et Cap. IV. 17 — V. 15. (prae ceteris v. 18. 19. V. 14. coll. 15.), tum sententia illa, saepius rediens, virtutem s. sapientiam esse immortalitatis fontem v. g. C. I. 15. VI. 18, cum opposita: improbos mortem adversus se provocare, C. II. 24. I. 12. 16. Sed, quod 1) ad loca illa attinet, neque in singulis eorum vocibus, neque in contextu quicquam deprehendere potuimus, quod absolutum malorum interitum indicaret. Cap. enim III. 10., poenam impiorum, quam, aliis intentatam („καθα ελογισαντο“), ipsi luituri esse dicuntur, aliam non esse, nisi *exstinctionem sui*, non perniciem universim sumtam, quis est, qui defendere audeat? Neque magis ejusdem Cap. v. 16 verba: „και εκ παρανομου κοιτης σπερμα αφανισθησεται“ cum Ven. Nachtigal de iis, qui e scelesto thoro prognati sint, *plane* aliquando *in nihilum redigendis* intelligenda sunt, cum αφανιζειν saepissime de cujusvis generis pernicie dici inter omnes constet, et tam ejusdem commatis hemisti-

ב) Ipsius autem immortalitatis notionem conceperat eam, ut perennare statueret animos *sui conscios*, eorum,

---

chium prius: „τεκνα δε μοιχων ατελεστα εσται" i. e. filii adulterorum *non proficient* (cf. IV. 3. „πολυγονον δε ασεβων πληθος ου χρησιμευσει" et IV. 5. „περικλασθησονται κλωνες ατελεστοι), quam ipsius auctoris interpretatio, sequentibus versibus 17. et 18. adjecta, abunde doceat, de *quacunque miseria*, improborum posteros manente, (ex antiquo Ebraeorum more, Ex. XX. 5. Job. XX. 10. XXVII. 14. Sir. XLI. 5 — 7. etc.) sermonem esse; nisi forte, quod ad v. 17. attinet, reclamante et linguae consuetudine et parallelismo, formulam: „εις ουδεν λογισθησονται" cum celeb. Nachtigal ita reddere volueris: „doch sind sie am Ende Nichts!" Capitis vero IV. commata 18 — 20. hoc sibi volunt: „instare tempus, quo improbi, morte piorum tantopere elati, contemta cadavera sint maniumque adeo perpetuis contumeliis traditi (cf. locus ab auctore sine dubio respectus Es. XIV. 9 ss.); nam praecipites eos dejecturum esse Deum funditusque perditurum; tantum vero abesse, ut sola morte, fortunis terrestribus privante, puniantur, ut potius post ipsam mortem in cruciatibus („εν οδυνη", non tantum „in ignominia", ut cum Nachtigalio vertit Bretschneiderus) futuri sint et omni inter superstites memoria carituri, tandemque ad peccatorum suorum solennem computationem („εν συλλογισμω αμαρτηματων," die judicii, cf. ημερα διαγνωσεως C. III. 18. et Cap. V. 1 — 14.) cum magno animi angore accessuri et a sceleribus suis tanquam testibus coram arguendi." Quae quomodo ad opinionem de malis *plane exstinguendis* trahi possint, plane nos non perspicere fatemur, cum, si vel dederis Ven. Bretschneidero (p. 319.), versum 19. de malis *jam mortuis* agere (quod alienum nobis videtur a loci contextu), sequentia tamen verba („και εσονται εν οδυνη — ελευσονται εν συλλογισμω αμαρτηματων" etc.) satis indicent, mortuos post illam perditionem („ρηξει — σαλευσει — χερσωθησονται") nequaquam pro deletis haberi. Neque etiam e ratione illa, qua *aeterna* piorum *vita* C. V. v. 15. opponitur caducae impiorum spei (v. 14.), colligi quicquam potest, quod opinioni illi faveat. Primum enim ex ipsis impiorum querelis, v. 8 — 13. antecedentibus, satis patet, spem eorum, quae frustrata esse dicitur, non esse spem post mortem perpetuo perennandi, sed potius rebus prosperis (v. 8.) perpetuo utendi fiduciam, quae eo certius pudefacta sit, cum vitam terrestrem omnem male agendo consumsissent („εν τη κακια ημων κατεδαπανηθημεν" v. 14.) ideoque nullo virtutis documento producendo („και αρετης μεν σημειον ουδεν εσχομεν δειξαι" v. 13.) futurae suae in altera vita sorti prospicere possint. Deinde „ζην εις τον αιωνα" v. 15. *beatam* vitam aeternum perennaturam denotare posse, si quis esset, qui inficietur (putamus vero futurum esse neminem), sequentia tamen verba: „και εν κυριω ο μισθος αυτων" etc. usque ad fin. v. 16. cum ipsis illis: „δικαιοι δε εις τον αιωνα ζωσι" conjungi et posse et debere, vix diffitebitur; quo posito iterum *beatitudinem* proborum, qua per aeternam vitam fruituri sint, non ipsam tantum eorum vitam perpetuo duraturam impiorum futurae sorti opponi consentiet. Sed sponte hinc deducimur ad *alterum* argumentum, quo futuram aliquando impiorum exstinctionem ab auctore nostro exspectatam fuisse, demonstrare voluerunt; desumtum ex sententiis illis saepius obviis, quibus sapientia s. virtus immortalitatis scaturigo esse, aut mors ab ipsis peccatoribus provocari atque arcessi dicitur (locis supra citatis). cf. cel. Bretschneiderum, p. 307 — 310. Vis autem, quae huic argumento inesse putari possit, omnis, si quid videmus, evanescet, quamprimum animadverterimus, immortalitatem, bonis ab auctore tributam, esse *immunitatem a morte*, *felicitatis jacturam et miseriam secum ferente*, sive *perpetuam felicitatem*, *post discessum animi e corpore non nisi augendam; mortem*, impiis indictam, esse *mortem sensu eminentiore sumtam*, bonis omnibus, quibus in hac vita fructi sint, eos privatu-

quae per vitam terrenam bene maleve gesserint, *memores*, aut culpae contractae aut innocentiae probitatisque servatae sensu praeditos [13]). Inde

---

ram miserrimaeque conditioni traditurum. Quod in eum revera modum se habere ex auctoris sententia, ut multis aliis locis (cf. v. c. C. VIII. 17 s.) ita maxime confirmatum esse arbitramur loco, quem Cap. III. v. 2—5. legimus: 1. „Δικαιων δε ψυχαι εν χειρι θεου, και ου μη ἁψηται αυτων βασανος. 2. Εδοξαν εν οφθαλμοις αφρονων τεθναναι, και ελογισθη κακωσις ἡ εξοδος αυτων, 3. και ἡ αφ' ἡμων πορεια συντριμμα. οἱ δε εισιν εν ειρηνῃ. 4. Και γαρ εν οψει ανθρωπων εαν κολασθωσιν, ἡ ελπις αυτων αθανασιας πληρης. 5. Και ολιγα παιδευθεντες μεγαλα ευεργετηθησονται, ὁτι ὁ θεος επειρασεν αυτους, και εὑρεν αυτους αξιους αὑτου." Ubi pios (non piorum *animos*) nonnisi *videri*, inquit, *mori*, propterea quod tantum absit, ut eorum obitus calamitatis (κακωσεως, συντριμματος) loco haberi queat, ut potius in ipso obitu et post eum *salvi quam maxime* sint (εν ειρηνῃ) *summisque beneficiis* mactentur („μεγαλα ευεργετηθησονται"); unde fit, ut ubicunque de piis vita fungentibus sermo sit, mortis nomen sedulo vitetur, aliis mitioribus vocabulis in ejus locum substitutis, ut nostro loco v. 4. „εξοδος" v. 3. „ἡ ἀφ' ἡμων πορεια," C. IV. 7. „τελευτησαι." 10. „μετετεθη," 11. „ἡρπαγη," 13. „τελειωθεις," 17. „καμων," 17. „τελευτην." In similem modum *Philonem* quoque sapientiam *immortalitatis* genitricem praedicare, infra videbimus. Ex his vero omnibus satis elucet, quid sit, quod scelesti mortem adversus semetipsos provocare et arcessere dicantur. Lacessunt nempe sibique ipsi consciscunt mortem, dum male agendo *obitum acerbiorem, revera calamitosum, verae vitae omniumque, quae illa suppeditaverit, bonorum jacturam nunquam reparabilem afferentem, summaeque miseriae eos mancipantem* incurrunt. Universa itaque hujus auctoris sententia de bonorum malorumque immortalitate huc redire videtur: Homines omnes, quippe quos sui similes creavit Deus, vitae nunquam desiturae, eique verae ac beatae, a creatore sunt destinati. Attingunt metam, qui fini suo convenienter agunt sapientiaeque et virtuti student; poena vero peccati, a diabolo in hominum genus introducti, mors est, s. jactura verae vitae, quam non effugient, sed consciscent sibi potius, quicunque peccato sese addixerint (cf. C. II. 23. 24. „ὁτι ὁ θεος εκτισε τον ανθρωπον επ' αφθαρσια, και εικονα της ιδιας ιδιοτητος εποιησεν αυτον, φθονῳ δε διαβολου θανατος εισηλθεν εις τον κοσμον. πειραζουσι δε αυτον (τον θανατον) οἱ της εκεινου (του διαβολου) μεριδος οντες," add. I. 12—15). cf. etiam b. Zieglerum l. c. p. 231.

Praeferendam esse hanc interpretationem, ut reliqua de natura animorum humanorum sentiendi ratio, in libro nostro obtinens, innuit (cum nemo facile animorum malorum exstinctionem exspectaturus sit, qui animos prorsus distinctos a corpore per se perennare posse credit, et quidem, quod statim videbimus, conscios sui et beatitudini miseriaeve experiendae aptos); ita eo praecipue confirmatur, quod (ut obiter jam dictum est) impiorum animos variis in altera vita cruciatibus afflictum iri diserte pronuncietur, de futura vero eorum exstinctione clariora certe effata desint. Quo accedit denique, quod eam opinionem ex omnibus Judaeorum scriptoribus (qui huc pertinent) huic uni tribuere opus esset, et *Alexandrini* praesertim ceteri malorum non minus quam bonorum immortalitatem luculentissime professi sint.

13) Maxime huc facit locus Cap. V. 1 ss., ubi probi in altera vita *magna cum fiducia et hilaritate* (εν παρρησια πολλῃ) vexatoribus suis adversum staturi, hi contra non sine magno timore inexspectatam illorum beatitudinem miraturi seque ipsos anxie *incusaturi* esse dicuntur (v. 2.), *probe memores*, illos ipsos esse quos iniquissime contemserint (v. 3.), *se* autem a via salutis propria culpa aberrasse (6. 7.). Eodem vero referenda esse,

3) magnum etiam illud *justitiae divinae opus,* quod ad virtutem felicitate remunerandam, improbitatem debitis suppliciis afficiendam spectat, cum infectum maneat per terrestrem hominum vitam, in defunctis *expletum consummatumque iri* docuit; proborum nempe animos, quamprimum corpore soluti fuerint, ab omni injuria atque calamitate immunes praesentissimoque Dei tutamine et favore fruituros fore, dum malorum contra mentes cruciatibus, vitae male gestae et injuriae potissimum, qua pios afflixerint, respondentibus afficiantur [14]); contrariamque illam sortem generali quodam animorum *judicio* [15]), a summo Numine ha-

---

quaecunque de futura meritorum compensatione per omnem librum docentur, monere superfluum foret.

14) Versatur auctor in hoc argumento per tota fere Capp. V. priora, et alibi passim. Capitibus potissimum II. et III. postquam inducti essent impii libidinosum sceleratumque, quo uterentur, vitae genus mortis mox instantis praetextu tuentes, piorumque a se perditorum spei irridentes (v. 1—20.), falsissima esse dicitur haec sentiendi ratio, animique malitiam et *consiliorum divinorum coecissimam ignorantiam* prodere (v. 21 s.), cum ad immortalem vitam conditi sint homines (v. 23.), improbosque solos vera mors (v. 24.), certissimaeque post obitum poenae (III. 10 s. 18 s.), pios vero, cum maxime perditi videantur, aeterna vita, ab omni calamitate immunis praemiisque referta (C. III. 1. 3. 4 s. 7—9. 14 s.) maneat. — *Impiorum* vero nomine nec solos nec omnes gentiles, illo *piorum* nec omnes in universum *Judaeos*, nec Judaeos solos, sed *homines probos religiososque quoscunque*, imprimis tamen *pios Judaeos*, indicari, ex omni sentiendi genere, in hac saltim libri parte obtinente (I. 2. 12—15 etc.), ex impiorum descriptione, et ex multis aliis vestigiis satis patet. cf. cel. BRETSCHNEIDER. l. c. p. 90.

15) C. III. 7. „και εν καιρω επισκοπης αυτων αναλαμψουσι (δικαιοι)" i. e. „quando sententia de iis feretur, et de sorte illis obventura decernetur"; quae solennis est vocum επισκοπη, פקדה, ἐπισκεπτειν, פקד, vel in bonam, vel in deteriorem partem sumtarum, significatio. v. 13. „μακαρια στειρα ἡ αμιαντος, ἥτις ουκ εγνω κοιτην εν παραπτωματι, ἑξει καρπον εν επισκοπη ψυχων." v. 18. „εαν τε οξεως τελευτησωσιν (τεκνα μοιχων), ουχ ἑξουσιν ελπιδα, ουδε εν ἡμερᾳ διαγνωσεως (cognitionis sensu forensi, s. judicii, cf. 2 Macc. IX. 15. Act. XXIII. 15. XXIV. 22.) παραμυθιον." IV. 20. „ελευσονται εν συλλογισμῳ ἁμαρτηματων αυτων (ubi eorum, quae deliquerint, ratio coram judice subducetur, cf. τους ὁ Exod. XXX. 12. Lev. XXV. 27) δειλοι, και ελεγξει αυτους εξεναντιας τα ανομηματα αυτων." Quae imago ut manifesto desumta est a vetere Ebraeorum more, futuram superbientium hostium ruinam solenni, quod Deus habiturus sit, judicio tribuendi (cf. v. c. ex multis aliis locis Ps. IX. 4. 5. 8. 9. 18—20.), et magnam praesertim illam, quae *regnum Messianum* comitatura sit, rerum omnem conversionem exordiendam cogitandi a judicii, omnium solennissimi et maxime universalis, die divinitus constituta (Joël. IV. 2. 12. Obad. 15. 16. Mich. IV. 3 ss. Zeph. III. 8 ss.), qualem diem

bendo, bonis malisque in aeternum assignatum iri. Quod autem

ד) ad *futurae vitae naturam, praemiorumque ac suppliciorum in illa experiendorum formam attinet,*

aa) *corporum* quidem animis reddendorum cogitatio plane exulat ab hujus auctoris doctrina, nec de alia, quam ipsorum animorum vita post mortem et judicium instante quicquam memoratur [16]); quod quidem proxime accedere ad *Pythagoreo-Platonicam* de corpore animi carcere sententiam, ab Alexandrina disciplina non alienam, vix negabitur [17]).

bb) *Poenae* ab improbis luendae vel generalibus tantum vocabulis indicantur [18]), vel in conscientiae seraeque poenitentiae doloribus, et in acerba beatitatis propria culpa perditae reputatione ponuntur [19]), loco, quem damnati ha-

---

ipso „της ἡμερας της ἐπισκοπης (יום פקדה) nomine notare amaverant (Es. X. 3. Jer. VIII. 12); ita vix putanda erit *imaginis* rationem multum excedere, cum nec tempus judicii ullibi determinetur, nec bonorum malorumve conditio judicium secutura ab ea, qua post ipsam mortem usuri sint, ullo loco clarius distinguatur. Quomodo enim e Cap. III. comm. 1. cum comm. 7. collato prodeat, statuisse auctorem, piorum animas, quamvis statim a morte divino tutamine fruantur, *praemiorum tamen* εν καιρῳ επισκοπης demum participes futuras esse, aut ex Cap. IV. 18 s. coll. cum comm. 20., malorum post ipsam mortem statum probe distinxisse auctorem ab eo, quod εν συλλογισμῳ ἁμαρτηματων eventurum sit (v. 20.); quicquid monuerint clar. Frischius (l. c. p. 671 s.) et b. Zieglerus (l. c. p. 235.), perspicere nos nondum potuimus, cum tota sectio C. III. 1—9. in futura piorum securitate et beatitudine describenda versetur, et postquam v. jam 5. de *magnis beneficiis*, a Deo in istos conferendis, sermo fuisset, calamitatibus, quibus tentati essent (v. 6.), denuo v. 7. opponatur felicitas, qua die judicii fruituri sint; Cap. vero IV. 20. nihil profecto de novis quibusdam doloribus, ad „την οδυνην," v. 19. memoratam, accessuris dicitur.

16) De locis C. III. 7. 8. V. 16., quae terrenam bonis felicitatem et ita corporis etiam renovationem promittere videri possint, deinceps videbimus (not. 21.). Neque magis C. XVI. 13—15. de vita corporea a Deo olim restituenda sermonem esse putamus. Ibi enim nihil aliud auctor agit, nisi ut infinitam Dei potentiam, qua, ut dictum erat a versu 5. usque ad 12., Israelitae a serpentium morsibus sanati essent, ulterius describeret: eoque consilio in priscum Ebraeorum morem moneret, Deum esse, qui vitae mortisque summum imperium teneat, et in orcum demittere non solum, sed inde revocare etiam possit, quorum posterius omnes humanarum virium terminos excedat (v. 14.). Jam v. 15. ab ipsa omnipotentiae divinae commemoratione ad novum poenarum improbis inflictarum exemplum (v. 16. ss.) transit.

17) cf. supra p. 195. et not. 5.

18) C. III. 19. „γενεας γαρ αδικου χαλεπα τα τελη." IV. 19. „και εσονται εν οδυνῃ." I. 16. „ασεβεις δε ταις χερσι και τοις λογοις προσεκαλεσαντο αυτον (θανατον)" etc. coll. II. 24.

19) C. V. 2. ss. „ιδοντες (τον δικαιον) ταραχθησονται φοβῳ δει-

bitaturi sint, non clare designato [20]); *beatitudo* autem bonis impertienda et splendoris dominationisque [21]) imagine

νῳ, και εκστησονται επι τῳ παραδοξῳ της σωτηριας. ερουσιν ἑαυτοις μετανοουντες, και δια στενοχωριαν πνευματος στεναζοντες· οὗτος ην, ὁν εσχομεν ποτε εις γελωτα" etc. 7. s. „Αρα επλανηθημεν απο ὁδου αληθειας, και το της δικαιοσυνης φως ουκ ελαμψεν ἡμιν — ανομιας ενεπλησθημεν τριβῶις και απωλειας — την δε ὁδον κυριου ουκ εγνωμεν." v. 13. „Οὑτως και ἡμεις γεννηθεντες εξελιπομεν· και αρετης μεν σημειον ουδεν εχομεν δειξαι, εν δε τῃ κακια ἡμων κατεδαπανηθημεν."

20) Unus est locus, C. XVII. 31., ubi sedes improbis assignatae videntur *tenebricosae:* „μονοις δε εκεινοις επετετατο βαρεια νυξ, εικων του μελλοντος αυτους διαδεχεσθαι σκοτους." Quod tamen urgere dubitamus, cum ipsam mortis, Aegyptios oppressurae, caliginem hac formula indicare voluisse queat auctor.

21) Locus C. III. 7. 8., aliter ab aliis explicatus: και εν καιρῳ επισκοπης αυτων αναλαμψουσι, και ὡς σπινθηρες εν καλαμῃ διαδραμουνται. Κρινουσιν εθνη και κρατησουσι λαων, και βασιλευσει αυτων κυριος εις τους αιωνας" — ut plane nobis persuasum est, *de felicitate ultra hujus vitae fines piis exspectanda agit*, non de ea, qua ipsi jam in his terris fruituri sint, quod clar. Bretschneiderum statuere videmus (p. 307. s. 314.). Quemadmodum enim hoc proximus verborum contextus docet (v. v. 1—4. 13. „εν επισκοπῃ ψυχων" coll. v. 7. „εν καιρῳ επισκοπης" v. 14. „κληρος εν ναῳ κυριου." et v. 18.), ita indubie confirmari videtur omni, quod auctori in his capitibus, praesertim in II. et IIItio, propositum erat, consilio, quippe quod eo redit, ut impios, licet *morte ac perditione piorum superbientes* (II. 20.), spe tamen sua excidere (v. 21.) appareat ex beata aeternaque post mortem vita, pios manente (v. 23. III. 1. ss.). Accedit locus similis V. 16. „δια τουτο ληψονται το βασιλειον της ευπρεπειας, και το διαδημα του καλλους εκ χειρος κυριου," ubi profecto imperii, ante mortem a piis speraudi, commemoratio plane aliena habenda esset, quamvis et hic de ea cogitaverit Ven. Bretschneiderus (p. 313.). Ut enim lubentes largimur, versus proxime sequentes (17—23.) non vindictam divinam *in futuro seculo* ab improbis oppressoribus sumendam describere, sed, ansa arrepta ab ipsis damnatorum querimoniis (v. 9—14.), subitum interitum, qui iniquis dominatoribus etiamnum viventibus non raro immineat, ignitis coloribus depingentes, *ad reges a potentiae abusu dehortandos* (C. VI. 1. ss.) *transitum facere;* nulla tamen caussa est, inde colligendi (quod fecisse videtur Vir doctissimus), comma quoque 16., arcte cum priori junctum, de imperio quodam piis ante mortem tradendo loqui.

Verum enim vero, in quam tandem sententiam ambo ista loca, si de futura *post mortem* beatitudine loquantur, sumi poterunt? An forte de splendida fortuna ac dominatione, *post restaurata corpora piis Judaeis in ipsa terra* obventura? At quid esset, quod de corporibus resuscitandis plane et alibi et his locis siluisset auctor? Quid esset, quod in coelo collocasset remunerandos pios (III. 14.)? — An de corporibus gloriosis ac fulgidis, quibus in resurrectione indutis coelum habitaturi sint (cf. Grotius ad III. 7. coll. annot. ad V. 17.), atque de imperio in ipsis sedibus coelestibus tenendo? At praeterquam quod prior ista difficultas redeat; quomodo fiat, ut piis in coelo degentibus imperium in gentes adscribatur, nondum liquet. Nos, si, quid nobis videatur, dicendum sit, 1) Cap. III. v. 7. explicamus e duobus aliis locis, Dan. XII. 3. et Zach. XII. 6., quorum priori priùs commatis nostri hemistichium, posteriori posterius plane respondet. Dan. XII. 3. de piis resuscitatis dicitur: המשכילים יזהרו כזהר הרקיע ומצדיקי הרבים ככוכבים לעולם ועד „sapientes (pii) velut coeli aetherei jubar, et, qui

multos in religione colenda confirmaverant, velut stellae in omne aevum fulgebunt," ubi nihil profecto aliud intelligitur, quam *summum illud auctoritatis honorisque perpetui fastigium*, ad quod in regno Messiae recens condito evehendi sint ii, qui persecutionis tempore a religione deserenda cohibuissent cives, cum et alibi non raro ii, qui in insigni majestatis, potentiae aut dignitatis loco constituti essent, cum *stellis* comparentur (Num. XXIV. 17. Dan. VIII. 10. Es. XIV. 12. Apoc. I. 16. 20. II 1. III. 1.). *Zachariae* vero Cap. XII. versu 6., postquam tempus praedictum esset, quo Judaeae Hierosolymorumque cives graves terribilesque futuri sint omnibus gentibus vicinis, sibi inimicis, additur: ביום ההוא אשים את־אלפי יהודה ככיור אש בעצים וכלפיד אש בעמיר אכלו על־ימין ועל־שמאול את־כל־עמים סביב: apud τους ὁ „εν τῃ ἡμερᾳ εκεινῃ θησομαι τους χιλιαρχους Ιουδα ὡς δαλον πυρος εν ξυλοις, και ὡς λαμπαδα πυρος εν καλαμῃ, και καταφαγονται εκ δεξιων και εξ ευωνυμων παντας τους λαους κυκλοθεν" κ. τ. λ. i. e. „duces Judaeorum non minus graves ac perniciosi futuri sunt gentibus finitimis omnibus, quam foculus ignis circumjacentibus lignis, aut fax flammans manipulis frugum." Jam Sap. III. 7. poëta, cum piorum tempore judicii majestatem gloriamque, locum Danielis forsan respiciens, cum insigni quodam *splendore* comparasset („αναλαμψουσι"), imagine usus omnibus linguis solemni, recogitans, *quam molesta*, *quam acerba*, *quam formidabilis illa futura sit impiis spectantibus* (cf. C. V. 2. ss.), alterum etiam e Zacharia locum, in quem imaginum similitudo eum incidere fecit, ad piorum impiorumque in futuro aevo conditionem transfert, ita tamen, ut duplicem formulam apud Zachariam in unam contraheret („και ὡς σπινθηρες εν καλαμῃ διαδραμουνται"). Cui cogitationi sponte sese associavit ea, quae proxime sequitur v. 8. („κρινουσιν εθνη και κρατησουσι λαων, και βασιλευσει αυτων κυριος εις τους αιωνας"), consuetudini illi, ea, quae in terris exspectata essent (cf. e multis aliis locis Dan. VII. 18. 22. 27. 13.), transferendi in coelum, convenientissima, fore nimirum, ut pii, in *angelorum* consortium fraternitatemque recepti (cf. C. V. 5., ubi οἱ υἱοι Θεου, οἱ ἁγιοι sine dubio angeli sunt, ut בני אלהים, apud τους ὁ· οἱ αγγελοι του θεου, οἱ αγγελοι, Job. I, 6. II. 1. XXXVIII. 7.; קדושים, קדישין, ἁγιοι, Job. V. 1. XV. 15. Zach. XIV. 5. Dan. VIII. 13. IV. 10. 14. et alibi), horum etiam in res humanas imperium (cf. Dan. IV. 14.) participent, atque ita eorum, a quibus oppressi in vita fuissent, dominatores justa talione evadant, cum contra ipsi solius Dei beatissimo imperio in aeternum subjecti maneant. In qua sententia quantum liberae auctoris imaginationi, quantum ipsi ejus persuasioni tribuendum sit, nolumus ad unguem usque resecare. *Propius* tamen, quod summam rei attinet, accedimus ad eorum interpretationem, qui imperium populorum, et ipsum splendorem piis adscriptum, pro honoris beatitatisque imagine habent, quam ad eorum rationem, qui in voce: „αναλαμψουσι" singulare de lucida beatorum specie decretum (quod certe sequentibus verbis: „και ὡς σπινθηρες εν καλαμῃ διαδραμουνται" repetitum esse vix putari posset) agnoscunt, aut formula: „κρινουσιν εθνη κ. τ. λ." dominationem piorum defunctorum in impios mortuos significari existimant. Longissime vero absumus ab iis, qui *pios in corpora vel in ipsam quoque terram redituros* sumsisse auctorem, elicere ex hoc loco sibi posse videntur. cf. clar. Fischius, l. c. p. 675 — 689. et Hassius ad III. 7. 8. (in vers. l. Sap. vernac. Jen. 1785.)

Quae Cap. V. 16. legimus: „δια τουτο ληψονται το βασιλειον της ευπρεπειας, και το διαδημα του καλλους εκ χειρος κυριου" — nemo facile infitiabitur ad universam piorum dignitatem gloriamque depingendam dicta esse.

describitur, et ad summi Numinis propinquitatem[22]), qua *in coelo* fruituri sint[23]), refertur.

Sed quantamcunque in augenda et perficienda immortalitatis doctrina laudem tribuamus libri sapientiae scriptori; superatum tamen et ipsum esse deprehendimus

b) a ceteris, quos conferre possumus, Alexandrinis, *Quarti* nimirum *Maccabaeorum libri* auctore et *Philone;* quibus, appendicis quasi loco, *Essaeos* quoque adjungendos putamus, quamvis pauca sint, quae de eorum in re nostra placitis habeamus comperta. Illi igitur (missos interim facimus *Essaeos*)

α) in anima humana a corpore solicite distinguenda *PseudoSalomonis* in libro Sapientiae vestigia ita presserunt[24]), ut simul cum *Platone* animae partem *rationalem* ab *irrationali* secernere amaverint[25]), prioremque e natu-

---

22) C. VI. 19. „αφθαρσια εγγυς ειναι ποιει θεου.“ Justo tamen plus in hac ipsa formula latere putavit cel. Bretschneiderus (p. 308.), cum proditam illa existimat spem quamdam auctoris, fore, ut beati *cognitione ac sapientia* augeantur.

23) C. III. 14. „δοθησεται αυτῳ κληρος εν ναῳ κυριου. cf. Ps. XI. 4. Hab. II. 20. Desierat ergo auctor τον ᾅδην habitandum tribuere piorum animis.

24) *IV. Maccabaeorum* auctor C. X. 4. (juxta edit. *Breitingerianam*) tertium fratrem ita carnifices alloquentem inducit: „προς ταυτα ει τι εχετε κολαστηριον, προσαγαγετε τῳ σωματι μου, της ψυχης μου, ουδ' αν θελητε, ἅψασθαι δυνασθε.“ C. XVIII. 23. „ψυχας ἁγνας και αθανατους απειληφοτες παρα του θεου εις πατερων χορον συναγελαζονται.“ C. XIII. 14. s. septem fratres: „μη φοβηθωμεν,“ ajunt, „τον δοκουντα αποκτεινειν το σωμα. μεγας γαρ ψυχης αγων και κινδυνος εν αιωνιῳ βασανῳ κειμενος τοις παραβασιν την εντολην του θεου“ — plane ut Matth. X. 28. *Philo*, quod a Deo mittantur somnia, Opp. ed. *Mangey* T. I. p. 622. „ανθει γαρ ἡ ψυχη προς επιστημην, ὁποτε αἱ του σωματος ακμαι χρονου μηκει περαινονται.“

25) IV. Macc. auctor argumentum scriptionis suae, quod in eo vertitur omne, ut rationem imperatricem esse affectuum, demonstretur, rite executurus, postquam diserte ostenderit (Cap. I. et II.), non in *corporis* tantum sed et in *animae* (ψυχης) affectus dominari rationem (I. 28 s.: „καθαπερ ουν δυοιν του σωματος και της ψυχης φυτων οντων ἡδονης τε και πονου, πολλαι τουτων των φυτων (al. παθων) εισιν παραφυαδες· ὧν ἑκαστην ὁ παγγεωργος λογισμος περικαθαιρων τε και αποκνιζων, και περιπλεκων, και επαρδων, και παντα τροπον μετοχετευων (al. μεταχεων) εξημεροι τας των ηθων και παθων ὑλας.“ v. 32. „των δε επιθυμιων αἱ μεν εισιν ψυχικαι, αἱ δε σωματικαι. και τουτων αμφοτερων ὁ λογισμος επικρατειν φαινεται“), jam Cap. II. 24. III. 1. removet objectionem, quae inde posset desumi, quod rationem, si affectibus imperet, *oblivioni* quoque et *ignorantiae* imperare oporteret, regerens scilicet: „ου των ἑαυτου παθων ὁ λογισμος επικρατειν φαινεται, αλλα των σωματικων“ (cf. I. 5. 6). Ubi manifeste affectus corporis atque animae (ψυχης), quorum et *hi*

ra divina delibatam, puram, bonamque, posteriorem, cupiditatum affectuumque sedem, malam atque alienam a summo Numine perhibuerint esse [26]). Ingens vero animae rationalis a corpore discrimen eo etiam distinctissime elocutus est *Philo*, quod illam diu ante terrenam vitam exstitisse contenderet [27]), atque in corpore deinceps tanquam in carcere

---

(παθη ψυχικα) in unam cum illis classem conjiciuntur, a rationis, s. mentis (νοος cf. II. 22. I. 15. 35.) affectibus distinguuntur. — *Philo* vero ut illam animi humani divisionem innumeris locis varie exornatam repetit, ita e. g. SS. Legum allegor. L. III. T. I. p. 110. „τριμερη συμβεβηκε την ψυχην ἡμων ειναι, και εχειν μερος μεν ἑν λογιστικον, δευτερον δε θυμικον, τριτον δε επιθυμητικον." Non dissimiliter de *duabus* animabus loquitur in lib. quod det. infid. potiori, T. I. p. 207. „ἑκαστον ἡμων δυο ειναι συμβεβηκε, ζωον τε και ανθρωπον. ἑκατερῳ δε τουτων συγγενης δυναμις των κατα ψυχην αποκεκληρωται. τῳ μεν ἡ ζωτικη, καθ' ἡν ζωμεν· τῳ δε ἡ λογικη, καθ' ἡν λογικοι γεγοναμεν. της μεν ουν ζωτικης μετεχει και τα αλογα· της δε λογικης ου μετεχει μεν, αρχει δε ὁ θεος, ἡ του πρεσβυτατου λογου πηγη. Ἡ μεν ουν κοινη προς τα αλογα δυναμις ουσιαν ελαχεν αἷμα· ἡ δε εκ της λογικης αποῤῥυεισα πηγης, το πνευμα· ουκ αερα κινουμενον, αλλα τυπον τινα και χαρακτηρα θειας δυναμεως, ἡν ονοματι κυριῳ Μωϋσης εικονα καλει· δηλων ὁτι αρχετυπον μεν φυσεως λογικης ὁ θεος εστι, μιμημα δε και απεικονισμα ανθρωπος· ου το διφυες ζωον, αλλα το της ψυχης αριστον ειδος, ὁ νους και λογος κεκληται." κ. τ. λ.

26) *Philo* eodem loco p. 208 s. „πως ουν εικος βραχυν οὑτως οντα τον ανθρωπινον νουν μηνιγγι η καρδιᾳ, βραχεσιν ογκοις, εγκατειλημμενον, μεγεθος ουρανου και κοσμου χωρισαι τοσουτον, ει μη της θειας και ευδαιμονος ψυχης εκεινης αποσπασμα ην ου διαιρετον· τεμνεται γαρ ουδεν του θειου κατ' απαρτησιν, αλλα μονον εκτεινεται. Διο μεμοιραμενος της εν τῳ παντι τελειοτητος, ὁταν εννοῃ κοσμον, τοις περασι του παντος συνευρυνεται, ῥηξιν ου λαμβανων. add. Alleg. L. III. p. 119. et de opif. mundi p. 35. („πας ανθρωπος κατα μην την διανοιαν ῳκειωται θειῳ λογῳ, της μακαριας φυσεως εκμαγειον η αποσπασμα γεγονως") — Simplicem puramque mentis rationalis naturam describit v. c. in lib. quis rerum divinarum haeres, p. 505 s. τας ουν νοερας και λογικας δυο φυσεις, την τε εν ανθρωπῳ και την εν τῳ παντι, συμβεβηκεν ὁλοκληρους και αδιαιρετους ειναι. — ατμητοι μεν ουν αἱ δυο φυσεις, ἡτε εν ἡμιν του λογισμου, και ὑπερ ἡμας του θειου λογου" κ. τ. λ. Alteram animam, quae cupiditatum voluptatisque sedes sit, per se malam perhibet, ut alibi, ita v. c. Allegor. L. III. p. 100. „ἡ ἡδονη (loquitur autem de ἡδονῃ, quatenus distinguitur et a mente et a sensu, αισθησει) εξ ἑαυτης εστι μοχθηρα — κατα το οικειον ουν μη διδουσῃ απολογιαν αυτῃ καταραται ὁ θεος, σπερμα αρετης ουκ εχουσῃ, αλλα αει και πανταχου επιληπτῳ και μιαρᾳ καθεστωσῃ." cf. Stahlii Comment. insertam *Ill. Eichhornii* Bibl. lit. bibl. T. IV. „*Philo's* Lehrbegriff" p. 862 ss. Minus clare *IV. Maccabaeorum* scriptor divinitatem mentis rationalis, animae cupientis pravitatem ac vilitatem describit. Similiter tamen in hac etiam re cum *Philone* eum sensisse, ut ex omni libri argumento elucet, ita singulis quibusdam, quibus de νοῖ loquitur, formulis confirmatur. Ita C. II. 21 s. „ὁπηνικα γαρ" inquit, „ὁ θεος τον ανθρωπον κατεσκευαζεν λογῳ, τα παθη αυτῳ και τα ηθη περιεφυτευσεν. Και τηνικαυτα δε περι παντων τον ἱερον ἡγεμονα νουν δια των ενδον αισθητηριων ενεθρονισεν."

27) Praeter alia loca quam plurima cf. lib. quod a Deo mittantur so-

aut sepulcro inclusam diceret[28]); eamque sententiam, uno jam libri Sapientiae loco obviam, singulari amore complecteretur saepiusque repeteret. Quam etsi *IVti Maccabaeorum* auctor nusquam verbis exprimat, utrique tamen

β) in *immortalitate animi* confidentissime docenda atque defendenda prorsus consentiunt, improbosque non minus quam probos[29]) aeternum perennaturos statuunt ita, ut

---

mnia I. T. I. p. 461 s. „ου γαρ μονον εκ παντων ερημος ουτος (αηρ), αλλ' οια πολις, εναυδρει, πολιτας αφθαρτους και αθανατους εχων, ψυχας ισαριθμους αστροις. τουτων των ψυχων αι μεν κατιασιν ενδεθησομεναι σωμασι θνητοις, ὁσαι προσγειοταται και φιλοσωματοι. αι δ' ανερχονται, διακριθεισαι παλιν κατα τους ὑπο φυσεως ὁρισθεντας ὁρισμους και χρονους. τουτων αι μεν τα συντροφα και συνηθη του θνητου βιου ποθουσαι, παλινδρομουσιν αυθις· αι δε πολλην ὁλυαριαν αυτου καταγνουσαι, δεσμωτηριον μεν και τυμβον εκαλεσαν το σωμα, φυγουσαι δε ὡσπερ εξ ειρκτης η μνηματος, ανω κουφοις πτεροις προς αιθερα εξαρθεισαι, μετεωροπολουσι τον αιωνα. — Αλλαι δ' εισιν καθαρωταται και αριστα, μειζονων φρονηματων και θειοτερων επιλαχουσαι, μηδενος μεν των περιγειων ποτε ορεχθεισαι τοπαραπαν" κ. τ. λ. add. ejusd. libelli locum alium p. 648. de confus. lingu. T. I. p. 416. de Gigant. p. 263 s. etc. — Ubi nolumus diutius immorari examinandae sententiae Ven. Schreiteri (in commentat. diss. hujus sect. antec. not. 25. laud.), omnem lapidem moventis (p. 99 ss.), ut *Philonem* ostendat non saniore tantum sensu, quam *Pythagoram Platonemque*, animarum προϋπαρξεως opinionem sumsisse, sed eandem etiam, tanquam incertam et arbitrariam, merae ὑποθεσεως loco habuisse. Pauca monere sufficiat. Primum igitur ne ipse quidem *Plato*, animarum in corpora descensum *poenae* loco decerni, ubique professus est (conf. *Platonis* Timaeum, Opp. Plat. ed. Bip. T. IX. p. 325 s. et Phaedrum T. X. p. 173.) aut liberam animarum *appetitionem* ab illo plane exclusit (cf. *Platonis* Phaedon. T. I. p. 181—186. 245.). Deinde nec *Philo* descensum illum *laudabili, quibus animae flagrarent, sciendi cupiditati*, tanquam unicae causae, tribuit. Ipso enim illo, quem supra adduximus, de somniis loco p. 641 s. de *omnibus*, quae in corpus sese immittant, animabus, de iis etiam, quae postea pertaesae vitae mortalis vanitatem in sublimibus contemplandis aevum exacturae sint, et quae alio loco (de confus. linguarum T. I. p. 416.) solere dicuntur *visendi ac discendi gratia* in terrenam naturam peregrinari, sine discrimine pronunciat, *terrae et corporis amore* descensum in corporis vincula ab illis fieri („κατιασιν ενδεθησομεναι σωμασι θνητοις, ὁσαι προσγειοταται και φιλοσωματοι"). Denique minime omnium persuadere nobis unquam poterimus, opinionem, cum omni, qua usus est *Philo*, de divinis humanisque rebus sentiendi ratione convenientissimam et ubique serio ab eo affirmatam (cf. locum de Abrah. T. II. p. 37.) *allegorice* duntaxat ab eo intellectam fuisse. Quod enim eam uno et altero loco allegorice, ut solet, ad alia praecepta commendanda atque exornanda applicat (de confus. lingu. T. I. p. 416 s.), quis inde colligere ausit, quicquid ubique de ea re loquatur, nil nisi fictionem allegoricam esse.

28) cf. Allegg. l. III. p. 95. et locum de somniis supra excerptum.

29) cf. IVti Macc. loca not. 24. citata et not. 31. alleganda: *Philo* l. c. de somn. de Abrahamo T. II. p. 37. (ubi Abrahamus longiorem de mortuo luctum alienum putasse dicitur a sapientia; a qua didicerit: „τον θανατον νομιζειν μη σβεσιν ψυχης, αλλα χωρισμον και διαζευξιν απο σωματος, ὁθεν ηλθεν, απιουσης. ηλθε δε — παρα θεου."), et locis not. sequente laudandis. Observamus (conf. Ven. Schreiter. p. 123 ss.), in *Philone* eandem dubitationem recurrere posse, quae contra libri Sapien-

γ) *mercedem* moribus factisque suis debitam accipiant. Ubi non negligendum est, a *Philone* quidem et praemia et supplicia talia concipi, quae et *animis* aptissima sint, et ex vitae ante actae ratione ultro prodire videantur, malis nempe graviorem usque cupidinum vitiorumque servitutem, cum perpetua tristitia ac formidine conjunctam; bonis expeditissimos ad Dei cognitionem sapientiamque beatissimam progressus ab eo indici [30]); cum contra *IVti Maccabaeorum*

---

tiae auctorem mota est, scilicet, annon solos sapientes piosque immortales esse praedicaverit? Sic enim legimus in commentat. de Josepho T. II. p. 78. „τεθνηκε δ' ουδεις, παρ' εμοι κριτῃ, των αγαθων ανδρων, αλλα και ζησεται τον αει χρονον αγηρως, αθανατῳ φυσει ψυχης μηκετι ταις σωματος αναγκαις ενδεδεμενῃ (vel, ut conjicit Mangeius, ενδεδεμενης)." Sed, ut bene vidit Schreiterus, non nisi ὡς εν παροδῳ h. l. de immortalitate loquitur auctor; ita scilicet, ut Josephum fratribus, post parentis mortem de vindicta timentibus, pollicitum esse narret, se humanitatem illam ac lenitatem, qua hucusque erga ipsos usus esset, si vel in solius patris gratiam praestita fuisset, nihilo minus mortuo etiam patri (patre) servaturum fore — „ει δε και πατρος ἑνεκα παντ' εποιουν τα χρηστα και φιλανθρωπα, φυλαξω ταυτα και προς τετελευτηκοτα (aut ex conjectura Mangeii, Mpto Coisl. quodammodo nixa: πατρος τετελευτηκοτος);" postremis autem hisce verbis illa de immortalitate boni cujusque eum, quasi sese correcturum, adjungere fingat in hunc modum: „mortuo, dixi; quamvis, mea quidem sententia, nemo vir bonus (revera) mortuus sit, sed potius victurus sit senii expers, per immortalem illam naturam animae, corporis necessitatibus non ampliius vinctam (vinctae)." Ubi non praetermittendum est, de vita post mortem, *quae senii expers*, quae vera felixque vita sit, agi, eamque partim ipsi *immortali animae naturae*, partim liberationi a corporis necessitatibus, acceptam referri. — Add. loc. de opif. mundi T. I. p. 18. „ὁθεν το φιλοσοφιας ανεβλαστησε γενος, ὑφ' ου καιτοι θνητος ων ὁ ανθρωπος αποθανατιζεται." Cf. not. seq.

30) De justitia Dei, suam cuique, quam factis meritus sit, mercedem tandem tributura, gravissime in universum sensisse *Philonem*, ut aliunde, ita v. c. loco in *Johannis Damasceni* sacris parallelis servato (*Philonis* Fragm. T. II. p. 649.) magnopere confirmatur: „ουκ εστι παρα θεῳ, ουτε πονηρον οντα, απολεσαι τον αγαθον μισθον περι ἑνος αγαθου μετα πλειονων κακων πεπραγμενου· ουτε παλιν αγαθον οντα, απολεσαι την κολασιν, και μη λαβειν αυτην, ει μετα πλειονων αγαθων εν τινι γενηται πονηρευων. Αναγκη γαρ ζυγῳ και σταθμῳ παντα αποδιδοναι." Qualem vero de futura *malorum miseria, bonorum beatitudine* conceperit imaginem, ex iis patet, quae v. c. de improbis dicit in comm. de Cherub. T. I. p. 139. „τῳ μεν γαρ μηπω κρατιαως ὑπο κακιας καταλειφθεντι δεδοται μετανοησαντι, καθαπερ εις πατριδα την αρετην, αφ' ἧς εξεπεσεν, ανελθειν· τον δε πιεσθεντα και ὑποβεβλημενον σφοδρα και ανιατῳ νοσῳ, φερειν αναγκη τα δεινα μεχρι του παντος αιωνος αθανατα, σκοραχισθεντα εις ασεβων χωρον, ἱνα ακρατον και συνεχη βαρυδαιμονιαν ὑπομενῃ." Impiorum vero sedem aptissime dici ait non fabulosum istum ᾅδην, sed *libidinum, voluptatum scelerumque locum; ipsam* nempe, *qua malus utatur, vivendi rationem*, scelestam atque detestandam, verum esse ᾅδην („την δε αδικον και αθεον ψυχην φυγαδευων αφ' ἑαυτου παρρωτατω, διεσπειρεν εις τον ἡδονων και επιθυμιων και αδικηματων χωρον. Ὁ δε χωρος ουτος προσφυεστατα ασεβων καλειται, ουχ ὁ μυθευομενος εν ᾅδου·

auctor in describendis praemiis poenisque pios et impios post hanc vitam manentibus *justitiae potius divinae, suum cuique tribuentis*, notionem simpliciter sequatur [31]). Utrique tamen, si

δ) de cetera *futurae vitae conditione* quaeras,

και γαρ ὁ προς αληθειαν φιλος ὁ του μοχθηρου βιος εστιν, ὁ αλαστωρ και παλαμναιος και πασαις αραις ενοχος"), de congressu T. I. p. 527. Alibi aeternam malorum miseriam *mortis aeternae* nomine notat, de poster. Caini, T. II. p. 233. „αλλα παρ' εμοιγε και φιλοις τοις εμοις, της μετα ασεβων ζωης ὁ μετα ευσεβων αιρετωτερος αν ειη θανατος· τους μεν ουτως αποθανοντας ἡ αθανατος εκδεξεται ζωη, τους δε εκεινως ζωντας ὁ αιδιος θανατος." In quanam autem re aeternam hanc mortem posuerit, clare indicavit compluribus locis, v. c. in comm. quod deterius insid. T. I. p. 224 s. „— κακον αθανατον εστιν αφροσυνη, την μεν κατα το τεθναναι τελευτην ουχ ὑπομενουσα, την δε κατα το αποθνησκειν παντα ενδεχομενη τον αιωνα. ειθε μεντοι συμβαινει τἀναντια, ὡς εκποδων τα φαυλα αναιρεισθαι, παντελη φθοραν ὑπομενοντα· νυν δ' αει ζωπυρουμενα την αθανατον εγκατασκηπτει νοσον τοις ἀπαξ προς αυτων ἁλουσιν" — Add. Allegg. l. c. p. 64. „διττος εστι θανατος, ὁ μεν ανθρωπου, ὁ δε ψυχης ιδιος. ὁ μεν ουν ανθρωπου, χωρισμος εστι ψυχης απο σωματος. ὁ δε ψυχης θανατος, αρετης μεν φθορα εστι, κακιας δε αναληψις. — ὁς εστι ψυχης εντυμβευομενης παθεσι και κακιαις ἁπασαις," et de praemiis et poenis T. II. p. 419 s., ubi de poena *Caino* inflicta loquitur: „ανθρωποι μεν γαρ περας τιμωριων εναι νομιζουσι θανατον, εν δε τῳ θειῳ δικαστηριῳ μογις εστιν ουτος αρχη. επει τοινυν καινον το εργον (Caini), εδει και την επ' αυτῳ τιμωριαν καινην ευρεθηναι. Τις ουν εστιν αυτη; ζῃν αποθνησκοντα αει και τροπον τινα θανατον αθανατον ὑπομενειν και ατελευτητον. θανατου γαρ διττον γενος, το μεν κατα το τεθναναι, ὁπερ αγαθον εστι η αδιαφορον· το δε κατα το αποθνησκειν, ὁ δη κακον παντως, και ὁσῳ χρονιωτερον βαρυτερον. — φησι γαρ, ὁτι αραν επηρατο τῳ αδελφοκτονῳ, ὡς στενειν και τρεμειν αει, και σημειον εθετο αυτῳ μη αναιρεθηναι προς τινος, ἱνα μη ἁπαξ αποθανῃ, διαιωνιζῃ δε αποθνησκων εν αλγηδοσι και ανιαις και συμφοραις αδιαστατοις· και ὁ δη παντων αργαλεωτατον, αισθανηται των ιδιων κακων και επι τοις εν χερσιν αχθηται, και την φοραν των μελλοντων προορωμενος, μη δυνηται φυλαξασθαι, της ελπιδος εκτετμημενης αυτῳ" κ. τ. λ.

Egregie his respondent, quae de bonorum beatitudine post deposita corpora dicuntur. Mentem scilicet *vero perspiciendo* intentam (ὁρατικην) et vere religiosam (φιλοθεον) tanquam nobilem surculum a Deo plantari, asseritur, ejusque radices *in aeternitatem protendi*, et *fructus* uberrimos illi dari, ut *habeat* virtutes et iis *fruatur;* de congressu, p. 527. Alio loco, quis rerum divinarum haeres T. I. p. 478.: „την ανθρωπινην αρετην βαινειν μεν" inquit auctor, επι γης, φθανειν δε προς ουρανον αναγκαιον, ἱν' εχει της αφθαρσιας εστιαθεισα τον αει χρονον απημων (incolumis, perfecta, nulli detrimento obnoxia) διαμενῃ." Eodem pertinet, quod supra (not. 27. ab init.) allatum est: „αἱ δε — κουφοις πτεροις προς αιθερα εξαρθεισαι, μετεωροπολουσι (coelestia contemplantur) τον αιωνα."

31) cf. C. XVIII. 35. „ανθ' ὡν θια την ευσεβειαν — ου μονον ὑπο των ανθρωπων εθαυμασθησαν, αλλα και θειας μεριδος κατηξιωθησαν — και ὁ τυραννος και επι της γης τετιμωρηται, και αποθανων κολαζεται. add. locum XII. 12. „ανθ' ὡν ταμμευεται σε ἡ θεια δικη πυκνοτερῳ και αιδιῳ πυρι και βασανοις." XI. 7 ss. XIII. 14 s. etc.

ℵ) conspirant in eo, quod

aa) a *resurrectionis* exspectatione alieni sint; ut decebat eos, qui liberum existimarent animum, corpore vacantem, eum, qui in corpore versaretur, vinculis constrictum [32]); quod

bb) proborum animos *ad loca coelestia* atque in *ipsius*

---

32) *Quarti Mace.* auctorem corporis resurrectionem exspectasse, unus locus C. XVIII. 17. videri possit indicare: „τον ιεζεκιηλ επιστοποιειτο τον λεγοντα, ει ζησεται τα οστα τα ξηρα ταυτα;". Sed, ut scite jam monitum videmus a Ven. Bretschneidero, verba illa Ezechielis non nisi *accommodata* h. l. sunt ad auctoris consilium, quod in eo positum fuit, ut *alteram aliquam vitam* post corporis mortem instare ostenderet; neque aliud quicquam huic allegationi inesse, mox sequens v. 23. luculenter confirmat, ubi, ut per omnem librum, nonnisi *animarum* immortali vitae consecratarum mentio fit.

Nec majorem profecto veri speciem habet Mangeji et Ven. Schreiteri sententia, qui *Philoni* ipsi futurae corporum resurrectionis opinionem tribuerunt, uno de Cherubis loco (Opp. T. I. p. 159.) freti, qui ita habet: „ποϑεν ηλϑεν ἡ ψυχη, ποι δε χωρησει, ποσον δε χρονον ἡμιν ὁμοδιαιτος εσται, τις δε εστι την ουσιαν, εχομεν ειπειν; ποτε δε και εκτησαμεϑα αυτην; προ γενεσεως; αλλ' ουχ ὑπηρχομεν· μετα τον ϑανατον; αλλ' ουκ εσομεϑα οἱ μετα σωματων συγκριτοι ποιοι, αλλ' εις παλιγγενεσιαν ὁρμησομεν, οἱ μετα ασωματων συγκριτοι." In quo loco, multis sane ex partibus difficili, της παλιγγενεσιας vocabulo non resurrectionem, sed *novam illam vitam, ad quam animae, corpore exeuntes, festinent*, significari, satis probasse nobis videtur Moshemius in comm. laud. p. 599—603., praeter solennem Philoni corporis contemtum, provocans potissimum ad id, quod *Clemens Alexandrinus* Strom. l. III. c. VII. (Tom. I, ed. *Potter*. p. 539.) *Brachmanes* statuisse refert: „καταφρονουσι δε ϑανατου και παρ' ουδεν ἡγουνται το ζην· πειϑονται γαρ ειναι παλιγγενεσιαν," ita quidem illustratum a *Strabone* (Geogr. l. XV): „νομιζειν μεν γαρ (Brachmanes), τον μεν ενϑαδε βιον ὡς αν ακμην κυομενων ειναι, τον δε ϑανατον γενεσιν εις τον οντως βιον και τον ευδαιμονα ταις φιλοσοφησασιν." Quibus rationibus, gravissimis certe, unam superaddimus, ex universo loci nostri tenore sensuque desumtam. Auctor enim, cum in eo versetur, ut nos homines nihil suum proprie habere monstraret, tandem, ne ipsam quidem animam, quae maxime propria videri possit, certi peculii instar nos vindicare nobis posse monet. Cum scilicet, quod nobis proprium sit, de eo indicare nos posse oporteat, quando sit a nobis acquisitum; de anima tamen non posse hoc a nobis praestari. Quomodo enim asserere nos posse, cessisse nobis illam, priusquam nati essemus, cum eo tempore ne exstiterimus quidem? At si quis instet, post mortem saltim se propriam sibi habiturum esse animam (quando scilicet usus animae a corpore impediri desierit); eum rependere debere, nos tanquam eos talesque, qui ad corporeorum genus pertineant, tum non amplius exstituros, sed *confestim a morte renascituros* esse tanquam eos, qui incorporeis annumerandi sint. Ergo ea ipsa ex caussa, quod *corporis expertes* post mortem futuri simus, concluditur, non dici posse *nos* (i. e. eosdem, qui jam simus) post mortem *acquisituros* esse animam. Apprime convenit haec παλιγγενεσιας notio cum iis, quae *Philo* alibi constanter profitetur de vera vita, ad quam morientes ponendo corpore redeant (cf. not. 29. pag. 205. s.); quibus contra resurrectionis sumtio aegre conciliari potuerit.

Dei consortium evectum iri statuant[33]), malorum vero mentibus *perpetuae miseriae sedes* assignent[34]).

ב) Differre tamen eos videmus in quibusdam, quae futuram animorum sortem spectant.

aa) *Quarti* enim *Maccabaeorum* auctor cum in describendo et bonorum et malorum in altera vita statu imagines et opiniones, gentico Ebraeorum ingenio maxime respondentes, etiamnum sectetur, speciemque illi induat, rebus terrestribus quodammodo aptam; cum v. c. bonos in *patriarcharum coetum* receptum, *suorumque* complexibus redditum iri polliceatur, et cruciatus aeternos malorum animis infligendos cum *igne* comparet[35]); *Philo* contra ab omni-

---

33) cf. 4 Macc. C. XVII. 4. 5. „ουχ ουτω σελληνη συν αστροις σεμνη καθεστηκεν, ως συ τους ισαστερους επτα παιδας φωταγωγησασα προς την ευσεβειαν εντιμος καθεστηκας θεω, και εστηρισαι εν ουρανω συν αυτοις." XV. 2. „την ευσεβειαν μαλλον ηγαπησεν την σωζουσαν εις αιωνιον ζωην κατα θεον." XVII. 18. „δι' ην υπομονην και τω θειω νυν παρεστηκασιν θρονω." add. IX. 8.

Philo l. commentat. de Abrahamo, quem excitavimus not. 29. ab in.; loco lib. quod a Deo mitt. somn. I. supra not. 27. allegato, loco comm. quis rer. div. haeres T. I. p. 478. cit. not. 30. sub fin., de Gigant. T. I. p. 264. et alibi saepius.

34) cf. 4 Macc. XII. 12. XIII. 14. „μεγας γαρ ψυχης αγων και κινδυνος εν αιωνιω βασανω κειμενος τοις παραβασιν την εντολην του θεου" — *Philonis* loca not. 30. laudata e comment. de Cherubis et de congressu. Quorum posterior dubitationis ansam facile praebere possit (v. b. Ziegleruum p. 251. s.), an *Philo* revera *singularem quendam poenae locum* impiis defunctis incolendum adscripserit. Nec sufficit tollendo dubio, quod Mangejus (ad loc. de congressu) et post eum Ven. Schreiterus (p. 137. s.) observarunt, „μυθευομενος" non *fabulosum* esse *Philoni*, sed *vulgatum* et *celebratum*, traditionum vero popularium, in quibus doctrina de peculiari impiorum apud inferos sede magnam illo tempore auctoritatem habuerit, tenacissimum eundem fuisse. Nam alibi quoque, quin ipso, ad quem Mangejus provocavit, loco Allegor. II. p. 70. το μυθωδες auctori id est, quod *in fabulae modum*, non κατα το ρητον explicandum sit, multasque Ebraeae gentis traditiones in alium, quam litera ferret, sensum ab eo revera esse acceptas, quis est, qui nesciat? Dicendum potius existimamus, *Philonem* ipso, qui agitur, loco, quamvis ex eo *colligi* possit (v. not. 30.), qualem sibi finxerit malorum in altera etiam vita miseriam, non de ea tamen solum, quae tum futura sit, malorum sorte, sed de misera animae impiae conditione *universim* locutum esse, quae in eo cerneretur, quod longissime illa a Deo remota atque disjecta (φυγαδευων διεσπειρεν) in libidinum scelerumque sede tanquam in maxime proprio impiorum habitaculo commoretur etc. Praeterea alter locus (de Cherubis) clarius indicare videtur poenarum sedem, et *Essaeos* quoque, a quorum partibus haud multum certe abfuit *Philo*, peculiarem suppliciorum locum statuisse, deinceps monebimus. Ceterum, quae vera *Philonis* de hac re sententia fuerit, certius definire nos vix audere fatemur.

35) 4 Macc. XIII. 16. „ουτως γαρ παθοντας ημας Αβρααμ και Ισαακ και Ιακωβ υποδεξονται (εις τους κολπους αυτων) και παντες οι πατερες αινεσουσιν. add. V. 36. — XVII. 5. εστηρισαι εν ουρανω

bus hujus generis adumbrationibus abstinet, diversamque piorum et impiorum sortem post fata exspectandam in modum puris spiritibus convenientem describit [36]). Sed idem

bb), quod majus est, μετεμψυχωσεως doctrinam, e disciplina *Pythagoreo-Platonica*, ut videtur, receptam ceteris suis de vita futura placitis adjungit, ita, ut eos quidem animos, quos satis sapientes vanae in terris vitae taedeat, ab ipsa morte ad sedes aethereas evolare, eos autem, qui vitae corporeae amore adhuc teneantur, in alia rursus corpora immigrare doceat [37]).

συν αυτοις. — C. IX. 9. „συ δε δια την ημων μιαιφονιαν αυταρκη καρτερησεις περι της θειας δικης αιωνιον βασανον δια πυρος." XII. 12. — „πυκνοτερω και αιωνιω πυρι και βασανοις."

36) cf. supra, not. 30.

37) cf. locum ex lib. I. de somniis not. 27. ab in. excerptum, et cetera, quae ibidem notavimus, illum praesertim, qui in eod. lib. occurrit, p. 648. „απολιπουσα μεν γαρ (ἡ ψυχη) τον ουρανιον τοπον — καθαπερ εις ξενην χωραν ηλθε το σωμα. φησι δ' ου μεχρι του παντος καθειργμενην αυτην ὁ γεννησας περιοψεσθαι πατηρ, αλλ' ωκτον λαβων λυσειν τα δεσμα, και ελευθεραν αχρι της μητροπολεως ασφαλως παραπεμψειν, και μη προτερον ανησειν, η τας δια λογων ὑποσχεσεις αληθεις εργοις βεβαιωθηναι." Ut dicamus, quod res est, non nisi uno, quem primum adduximus, loco animarum quarundam in corpora regressus *distincte* indicatur („τουτων αἱ μεν τα συντροφα και συνηθη του θνητου βιου ποθουσαι, παλινδρομουσιν αυθις"), cum reliqua loca in eo sese continere videantur, ut bonorum animas statim a morte in patrias coeli regiones evolaturas esse, malorum vero animas corporis cupidinumque fluctibus submergi dicant (de Gigantibus p. 264.) vel de iis, quae non ascensurae sint, plane silent. Si, quae de animarum προϋπαρξει habet *Philo*, vere ab eo credita fuisse concedatur (quod concedendum esse, supra not. 27. p. 333. s. ostendisse nobis videmur), eo magis ea quoque, quae de quarundam in corpora regressu addit, tanquam proprie sumta illi vindicari debere patebit. Sed *qualem* animarum migrationem cogitaverit? *quibusnam animabus instantem? quomodo aut quando finiendam?* nunquam exploratum habebimus. De ea quidem μετεμψυχωσει, qua non in humana solum, sed et in *animalium* corpora immittantur animi; quae *poenae* loco malorum animis obtingat, vel qua *purgandi* probandive illi sint; quae *post statos longorum temporum decursus* finem capiat, nihil ab eo proditum esse facile deprehendes. At quaenam alia tandem fuerit, quam ille sibi effinxerit, de *hoc* negotio imaginem, divinare potius, quam monstrare licet. Nos in eo peccasse putamus plerosque (nominatim b. ZIEGLERUM, p. 252), quod sumerent, pessimorum quorumque animis migrationem a *Philone* tribui, utpote qui in hanc potius sententiam interpretandus esse videtur, ut hominum quidem *plane malorum* animos, nunquam ad supera rursus emersuros, miseriae peccatique aeterno servitio simpliciter addicaverit, *meliorum* vero *quorundam* animos statuerit ascendere quidem in morte, unde venerint prius, sed, quod supersit in iis aliquod rerum terrenarum desiderium, mox iterum regredi in corporis diversorum, donec mortis beneficio iterum liberentur, jamque, si res bene sit, perfectiore terrestris vitae taedio repleti in coelesti patria maneant. Praeterquam enim, quod haec de μετεμψυχωσει sententia cum iis, quae *Philo* alibi de futura malorum sorte professus est, magis conspiret, duae potissi-

Proxime a *Philone* absunt *Essaei*, quorum sectae eum adhaesisse aut vehementer certe favisse comperimus. Quamvis enim pauca admodum eorum, quae de immortalitate senserunt isti, in veterum scriptorum monumentis relata legamus, ex uno tamen *Josephi* loco[38]) satis apparet, opinionem *Philoni* acceptissimam, qua animi προϋπαρξαντες in corpus materiale tanquam in carcerem conjici, postea vero morte interveniente liberari sursumque ferri sumuntur, illis etiam placuisse. Unde et aliquam animorum migrationem ab iis creditam fuisse, probabile habemus. Quam autem bonorum animorum conditionem futuram esse imaginati sint, de eo quidem nihil plane ad nostram pervenit memoriam, nisi quod bonorum mentibus amoenas ultra Oceanum sedes, malorum animis caliginosum hiemalemque recessum, perpetuis suppliciis plenum, incolendum assignarint[39]).

---

mom rationes sunt, quae, ita eum sensisse, nobis persuadeant. Una est, quod eae animae, quibus reditus in corpora tribuitur, non ut plane malae vitiisque obmersae describuntur, sed simpliciter dicuntur „τα συντροφα και συνηθη του θνητου βιου ποιουσαι", cum contra illi, qui, a corpore, tanquam rapido flumine absorbentur (de Gigant. p. 264.) ita delineentur: „ὁσοι σοφιας ηλογησαν, εκδοντες αστατοις και τυχηροις πραγμασιν ἑαυτους, ὧν ουδεν εις το κρατιστον των εν ἡμιν, ψυχην η νουν, αναφερεται, παντα δε επι τον συμφυα νεκρον ἡμων, το σωμα, η επι τα αψυχοτερα τουτου, δοξαν και χρηματα — και αλλα ὁσα ὑπο των μη τεθεαμενων τα προς αληθειαν καλα, απατῃ ψευδους δοξης αναπλαττεται η ζωγραφειται" — et, qui gravissimae aeternaeque in improborum sedibus miseriae mancipatur (de Cherub. not. 30), πιεσθεις και ὑποβεβλημενος σφοδρα και (ὡς) ανιατῳ νοσῳ. Alteram, qua movemur, rationem locus comment. de somniis posterior, init. hujus notae excerptus, continet, cum verba ultima: „και μη προτερον ανησειν, η τας λογων ὑποχεσεις αληθειας εργοις βεβαιωθηναι" — *indefessam Dei operam* in melioribus animis ad coelestis patriae habitationem reducendis collocandam praedicent, eoque ipso ad moram illam respicere videantur, quam animorum, vitae terrenae nondum satis pertaesorum, novi in corpora regressus benignissimo illius consilio interponant.

38) L. XVIII. Antt. I, 5. nihil legimus, nisi *immortales* ab Essaeis habitos esse animos, et proborum quorumque praemia (in altera vita) summo studio expetenda. Uberius eorum de his rebus sententia l. II. de bello Jud. c. 8, 11. exponitur: „και γαρ ερρωται παρ' αυτοις ἡδε ἡ δοξα, φθαρτα μεν ειναι τα σωματα, και την ὑλην ου μονιμον αυτοις (i. e. „et ex materia caduca composita"), τας δε ψυχας αθανατους αει διαμενειν, και συμπλεκεσθαι μεν, εκ του λεπτοτατου φοιτωσας αιθερος (unde et *Philo* animas descendere sumit), ὡσπερ ειρκταις τοις σωμασιν ιυγγι τινι φυσικῃ κατασπωμενας (cf. *Philonis*: „ὁσαι προσγειοτατα και φιλοσωματοι" — „φυγουσαι δε ὡσπερ εξ ειρκτης η μνηματος" — „καθειργμενην [την ψυχην]") — επειδαν δε ανεθωσι των κατα σαρκα δεσμων, οια δη μακρας δουλειας απηλλαγμενας, τοτε χαιρειν και μετεωρους φερεσθαι (cf. *Philo*, not. 30. sub fin.).

39) Pergit enim *Josephus* l. c. „και ταις μεν αγαθαις, ὁμο-

Haec sunt, quae ad illustrandam Judaeorum, qui Christo aut apostolis antiquiores haberi possint, de immortalitate doctrinam afferenda esse videantur. Quorum si summam subducere oporteat,

primum quidem omnium illico patet, postquam, penultimo tandem ante Christum seculo, immortalitatis cujusdam fides aditum nacta esset in Hebraeorum populum, eam tamen ipsam non ab omni gente, sed a certa tantum ejus parte fuisse receptam, integra *Sadducaeorum* secta, quae plurimos numeraverit e primatibus potissimum asseclas, omnem post fata vitam negare pergente, immortalitatis itaque doctrinam nequaquam relatam fuisse inter ea dogmata, in quibus religionis Judaicae cardo verteretur.

Deinde inter eos quoque, qui animorum immortalitatem professi sint, magnum ad Christi usque tempora de forma ejus doctrinae obtinuisse dissidium, historiam luculentissime testari vidimus.

Denique, ubi horum ipsorum de immortalitate sententiam disciplinamque accuratius inspexerimus, facile persuasum habebimus,

maximae certe eorum parti (*Pharisaeis* nempe et qui his simillime senserint) non eam infuisse immortalitatis *notionem*, quae rationali atque morali hominum natura dignissima esset, et ad sublimem illum, qui hominibus constitutus sit, finem accommodata, sed humilem potius et vulgaribus terrae civium desideriis respondentem, *ceteros* vero vel abstinuisse tantum a crassioribus futurae vitae descriptionibus, puriorem vero harum rerum imaginem, quae altioribus humanae naturae nisibus magis satisfaceret, non sub-

---

δοξουντες παισιν Ελληνων, αποφαινονται την ὑπερ Ωκεανον διαιταν αποκεισθαι, και χωρον, ουτε ομβροις, ουτε νιφετοις, ουτε καυμασι βαρυνομενον, αλλ' ὁν εξ ωκεανου πραϋς αει ζεφυρος επιπνεων αναψυχει· ταις δε φαυλαις, ζοφωδη και χειμεριον αφοριζονται μυχον, γεμοντα τιμωριων αδιαλειπτων", — quibuscum deinde copiosius confert Graecorum de insulis beatorum malorumque in Tartaro suppliciis opiniones. — Verum enimvero ut neminem fugere potest, non paulo humiliora haec esse, quam quae de bonorum malorumque in futuro seculo conditione sensit *Philo;* ita, nonnisi *vulgarem* inter *Essaeos* sententiam a *Josepho* dari, quae in interiori eorum schola, a *theoreticis* praesertim Essaeis, s. *Therapeutis*, subtilius exculta sit, non est quod dubitemus.

stituisse[40]); vel eo se deduci passos esse, ut, inepto veraeque sapientiae infesto omnis materiae contemtu odioque, sensualem hominis partem plane negligerent atque ab alterius vitae spe excluderent, et μετεμψυχωσεως commentum, a sobria ratione alacrique virtutis studio multis modis alienum, suae de immortalitate doctrinae, molesti ponderis instar, annecterent.

Praeterea, cum ii, qui *posteriorem hanc rationem* secuti sunt, in *tradendae doctrinae* modo eam sibi laudem vindicarint, ut illam ad animum humanum regendum et efformandum penitius, licet perversius subinde, adhiberent[41]); maxima contra pars in eo sese continuit, ut, quamvis praemiorum suppliciorumque futurorum cogitatione ad piorum animos consolandos et erigendos malosque a sceleribus et injuriis absterrendos subinde uteretur (quod ipsum minore plerumque laude dignum erat propterea, quod sub piorum nomine populares, sive omnes sive verae religionis tenaces, sub improbis gentiles intelligi vellent), ad ipsum tamen *animum* emendandum eique, quod in se bonum est, intendendum revocare negligeret decretum gravissimum. Quo accedit, quod etsi ii, qui immortalitatis doctrinae caloulum semel suum adjecerant, non ambigue dubieque de re ista locuti sint, *sumsisse* tamen magis quam fide, caussarum suarum sibi conscia, amplexi esse illam videantur. Unde ultro fluit, in *probanda atque confirmanda* doctrina nostra parum illis vel nihil tribui posse. *Argumenta* scilicet aut plane desideramus, aut ex lege prophetarumque scriptis allegoricae interpretationis ope decerpta reperimus[42]); viam-

40) Exempli causa nominamus *Josephum*.

41) Id scilicet locum habuit in mystica atque ascetica *Philonis Essaeorumque* de moribus disciplina, quam prorsus penetratam videmus illis de corpore immortalis animi carcere decretis. Cf. Moshemium in Commentar. de rebus Christianorum ante Constantinum magnum, p. 313 ss. — Ceterum, quantum ad *Essaeorum* in religione patria pie servanda constantiam, inter atrocissimos quosque hostium cruciatus, valuerit firma illa fides, qua animos et immortales esse, nec quicquam iis accidere posse melius, nisi ut e corporis vinculis morte eripiantur, sibi persuaderent, *Porphyrius* apud *Eusebium* (Praep. Evang. l. IX. c. 3. ed. *Viger*. p. 407.) testis est. Add. *Abrahamum Zacut*, cujus de hac re locum attulit Drusius, de trib. Iud. sectis, l. IV. c. 22. ap. *Trigland*. p. 343.

42) Allegorica V. T. interpretatio ad confirmandam immortalitatem ubique adhibita esse deprehenditur a *Philone* non modo, qui, quicquid fere do-

que *auctoritatis* ita adhibitam, ut vel traditio ore propagata effingeretur, vel misellae obscurorum hominum scriptiones sanctis populi patribus prophetisque supponerentur[43]).

---

ceat, annectere quocunque modo solet Mosis ac Prophetarum dictis (cf. v. c. comm. de somn. loca citt. p. 641. 648.), sed etiam a *IV. Maccabaeorum* scriptore (cf. C. XVIII. 14 — 18. ubi complura V. T. effata ad hoc argumentum allegorice trahuntur, e g., praeter Ezechielis illud, quod supra not. 32. attulimus, divina apud Esajam promissio C. LXIII. 2. „καν δια πυρος διελθης, φλοξ ου καταχαυσει σε", et locus Prov. Sal. III. 18. „ξυλον ζωης εστιν πασιν τοις ποιουσιν αυτου το θελημα", etc.).

43) Prius de *Pharisaeis* potissimum valet, quos antiquiore jam aetate, ut Thalmudistae postea fecerunt, non alia tantum statuta atque decreta sua, sed etiam sua de rebus post mortem placita traditionibus ab avorum memoria repetitis munivisse veri simillimum est. Posterius de *Pseudepigraphis* dictum esse, vix opus est, ut moneamus.

X.

DISSERTATIO HISTORICO - THEOLOGICA,

QUID

DOCTRINA DE ANIMORUM IMMORTALITATE

RELIGIONI CHRISTIANAE DEBEAT,

EX CAUSSAE NATURA ET EX REBUS FACTIS

MONSTRANS.

P. 6. SECT. 1.

Disserturi de argumento, quod hujus scriptionis titulus indicat, gravissimo cum eum ordinem sequendum duxerimus [1]), ut primum illam de animorum immortalitate notionem atque doctrinam, illamque ejus credendae, tradendae ac confirmandae rationem, quae philosophiae religionisque desideriis maxime convenire videretur, fundamenti loco praestrueremus; deinde varias de immortalitate opiniones, proximis potissimum ante Christum seculis tum inter gentilium nationes tum inter Hebraeam, aut vulgo receptas aut in mysteriis philosophorumque scholis traditas exploraremus atque amussi illi admoveremus; denique, quid, hisce positis, doctrina de animorum immortalitate disciplinae christianae acceptum referat, ex ipsis ejusdem fontibus repeteremus; absolutis jamjam iis, quae ad duo illa priora propositi capita pertinerent (Partibus hujus diss. I — V), restat, ut ad *tertium* idque ultimum accedamus. Ostendendum itaque nobis sumimus, quomodo in tractanda immortalitatis doctrina, sive ipsam rei notionem atque sententiam constituendam, sive fidem ejus faciendam, sive nexum cum summis omnis religionis finibus conciliandum, sive denique hominum, doctrina illa imbuendorum, ambitum spectes, versata fuerit disciplina christiana? quo explorato ratio tandem subducenda erit, quam laudem ipsa post anteriorum temporum operas propriam sibi atque peculiarem in omni hoc negotio vindicet?

---

1) vid. Diss. quid doctr. de anim. immort. rel. Christi debeat, P. 1. 1809., (p. 45 s.)

1) Notionem vero immortalitatis eam informari, eamque de ea sententiam constitui conspicimus a disciplina christiana, quam et a ratione humana probari et religionis desideriis satisfacere supra monstravimus. Ubicunque enim de animorum post mortem conditione loquentes legamus Jesum aut apostolos (quod quam frequenter fiat, non est, quod moneamus); concipi deprehendimus animum, alii altiori, quam qui rebus corporeis competat, ordini adscriptum, corporis ruina immunem, cum libere cogitandi, decernendi, agendi facultate et exercitio, cum sui conscientia rerumque praeteritarum memoria in aeternum perduraturum, atque ad celsiores usque perfectionis puraeque beatitatis gradus, modo tempestive serioque voluerit, emersurum.

Palmarium, qui huc pertineat, locum habemus in ipso Servatoris effato Matth. X, 28: „μη φοβεισθε απο των αποκτεινοντων το σωμα, την δε ψυχην μη δυναμενων αποκτειναι" —: ubi quidem de vita animi post mortem perennatura [2]) non tanquam de beneficio extrinsecus ac forte fortuna accedente sermo est, sed tanquam de *nativa mentis humanae* [3]) *virtute*, a corpore aliena; eaque *ejusmodi*, quae *fe-*

---

2) Sunt, qui verba: „την δε ψυχην μη δυναμενων αποκτειναι" ita interpretanda existiment, ut, qui corpus interimere valeant, animo *nihil mali infligere posse* (animum felicitate sua privare non posse) dicantur, vid. e. c. S. V. Schleusnerum in Lex. s. v. αποκτεινω, provocantem et ad Rom. VII. 11. et ad scriptores Graecos Romanosque, vocibus αποκτεινειν, enecare, et similibus haud raro ita utentes. Sed 1) vel hac interpretatione admissa animus corpori interemto superstes sumeretur, quippe qui, si nihil ei mali accidat, nec ipsi interitui obnoxius erit; 2) sententiarum contextus vulgarem expositionem manifesto confirmat, persuadetque interpreti, animi a morte immunitatem expressis verbis loco nostro enunciatam habere.

3) ψυχην h. l. nihil nisi *vim vitalem* significare, qua conservanda *resurrectio* nitatur, S. V. Paulus (Comment. in N. T. T. I. p. 686.) auctor est. Monere autem liceat, 1) quamvis apud antiquiores Ebraeos humilior illa notio voci נפש, = ψυχη, plerumque, nec raro ipsi voci רוח, s. πνευμα, subesse videatur (cf. diss. n. P. IV. Sect. 2. not. 61, p. 152 s., not. 57., pag. 151. P. V. S. 1. p. 173.) extremorum tamen ante aeram Christianam temporum scriptores Judaeos, ubi το σωμα τη ψυχη s. τω πνευματι opposuerint, ψυχης aut πνευματος nomine ipsam, quae ab omni corporeo diversissima sit, mentem intelligentem, volentem, agentem significasse (cf. diss. P. V. S. 2. p. 195. 203 ss.) eundemque loquendi morem in Jesu, de quo quaerimus, effato locum habere eo propius abesse a vero, quod 2) ipsa illa sententia, qua corporis mortem pertimescere, cum animus salvus sit, probissimi quique vetantur, apud scriptores aevo Christiano aliquantum superiores tum

licitati aut *miseriae post mortem experiundae* locum praebeat; cum, nisi bene esse posse defunctorum animis statuerimus, animi a quavis nece immunitas nec solatii instar esse valeret; quae vero statim adduntur: „φοβηθητε δε μαλλον τον δυναμενον και ψυχην και σωμα απολεσαι εν γεεννη" — statum defunctorum vel praemiis vel poenis accommodatum disertis verbis designent[4]). Ceterum cum solenne fuerit Christo et apostolis, immortalem esse animum, non docere demum, sed tanquam certum exploratumque ponere, et, quicquid de hac caussa effarentur, ad illud caput referre, quod praemia aut poenas, in altera vita exstituras, specta-

---

Judaeos tum exteros ita proposita deprehendatur, ut animi per se subsistentis notio luculenter involveretur. cf. loca IV. Macc. libri, diss. P. V. S. 2. not. 24. citata, C. X. 4. „προς ταυτα ει τι εχετε κολαστηριον, προσαγαγετε τω σωματι μου, της ψυχης μου ουδ' αν θελητε, αψασθαι δυνασθε," et XIII. 14. s. „μη φοβηθωμεν τον δοκουντα αποκτεινειν το σωμα. μεγας γαρ ψυχης αγων και κινδυνος εν αιωνιω βασανω κειμενος τοις παραβασιν την εντολην του θεου." Add. Sap. XVI. 14. „ανθρωπος αποκτεννει μεν τη κακια αυτου, εξελθον δε πνευμα ουκ αναστρεφει, ουδε αναλυει ψυχην παραληφθεισαν," loca a Grotio ad Matth. X. 28. ex auctoribus profanis producta. Accedit 3), quod nimis profecto obscure locutus esse videretur Servator, si verbis illis nil nisi hoc sibi voluisset: nolite pertimescere eos, qui, licet corpus necare valeant, vim tamen, quae illi inerat, vitalem delere nequeunt, quae potius conservata redibit aliquando corpori, hominemque denuo viventem sistet! Denique 4), quae sequuntur: „φοβηθητε δε μαλλον τον δυναμενον και ψυχην και σωμα απολεσαι εν γεεννη," satis probare putem, discrimen inter animum, poenarum per se capacem, corpusque ab eo incultum innui. Cf. b. Bauer bibl. Theol. des N. T. T. II. p. 118 s.

4) Vocem „απολεσαι" de *miseria*, perfidos Christi asseclas in altera vita manente, dici, per se patet. Aptissime vero hoc maxime loco futura illa miseria *interitus*, του απολεσθαι, της απωλειας Matth. VII. 13. Phil. III, 19. Jo. III, 15. 17. = ολεθρου αιωνιου 2 Thess. I, 9. φθορας, 1 Thess. V, 3. του θανατου του δευτερου, Apoc. II, 11. XX, 14. XXI, 8. nomine insignitur, respectu habito ad *mortem temporalem*, cui solum corpus obnoxium est („αποκτεινοντων το σωμα"). Verbo notamus, ut animi immortalitatem, ita corporis quoque futuram restaurationem (και σωμα) supponi atque ad rem suam adhiberi a Christo. — Simile dictum exstat Luc. XII, 4. 5., sive id *alio* tempore a Jesu prolatum, sive a Luca vel ipso, vel gnomologiae, qua usus esse videtur, auctore per loci opportunitatem huc insertum habeatur, sive, quod minus probabile fuerit, hac solum, quam Lucas indicat, tempestate a Christo pronunciatum, cum contra Matthaeus ordinem temporis in collocando, quod tractamus, effato neglexerit. Quod etsi de discrimine animum inter et corpus intercedente minus diserte praecipiat, eandem tamen sententiam non obscure involvit. Licet enim hic τω σωματι την ψυχην oppositam non videamus, ipsa tamen του σωματος expressa mentio alteram hominis partem, quae damnum passura ab inimicis putari possit, sed illaesa necato corpore semper maneat, innuit.

ret; sponte sequitur, ipsam immortalitatis notionem atque doctrinam, religioni christianae vindicandam, non mere simpliciterque propositam conspici, sed erui debere ex iis, quae de praemiis poenisve futuris, de beatitate aut miseria probos malosve manente, traduntur. Sic vero facili negotio nobis persuadebimus, non aliam, quam quae supra indicata est, de immortalitate notionem atque sententiam in omni Christi et apostolorum disciplina dominari.

a) Primum enim animum *ita* superstitem fore corpori, ut *pergat sui conscius composque esse rerumque praeteritarum memoriam retineat*, ipsum de felicitate aut miseria praemii poenaeve loco post mortem exspectanda decretum per se eloquitur, cum nec bene nec male esse cuiquam possit, nisi qui sui sit conscius, praemiique aut poenae sensus in neminem profecto cadat, nisi cui eorum, quae voluerit ipse egeritque, et quae velle et agere potuisset, recordatio insit. Mirifice autem haec immortalitatis a Christo et apostolis conceptae ratio iis confirmatur, quae ad *naturam* futurae beatitatis aut miseriae delineandam ab illis collata vel in adumbranda communi qualiumcunque defunctorum conditione obiter supposita sunt. Quod scilicet *α*) attinet ad *beatitatis* futurae imaginem, in Novi Testamenti libris propositam, ea quidem omnis ita se habet, ut ab ignava quiete statuque leto somnove simili longissime illa remota appareat. Eo spectare putemus vel ipsam, quae beatitudini futurae designandae inservit, tritissimam denominationem ζωης (Matth. VII. 14. XVIII. 8. 9. XIX. 17. Jo. V. 24. 29.) aut ζωης αιωνιου (Matth. XXV. 46. Jo. III. 16. 36. Rom. V. 21. 1 Jo. II. 25.), quae, etsi petita sit ex loquendi consuetudine Ebraeis solenni, qua vivere dici eum qui prospere vivat, tironibus notum est, ejusmodi tamen existendi formam innuere necessario videtur, quae cum spontaneo virium usu, qualis in homine conspicitur, ideoque cum clara etiam sui conscientia sit copulata. Quod eo minus dubium esse poterit, cum beatitatem ζωης nomine insignitam, morti, corpus infestanti, a Jesu et apostolis diserte oppositam esse videamus, v. c. Jo. XI. 25. Rom. VI. 23. VIII. 10 [5]). Ma-

5) Cf. ad tertium loc. b. Storrii Diss. de beata vita post mortem, §. 11.

nifestius vero eadem illa immortalitatis notio inde elucet, quod beatitas futura expressis verbis et in ampliore prosperiorique *agendi* et *operandi* opportunitate Matth. XXV. 21. 23. Luc. XIX. 17. 19. et in mera *bonorum* societate (Ebr. XII. 23. 2 Petr. III. 13. Apoc. XXII. 15. [6]) Christique praesentis faustissimo consortio Jo. XVII. 24. Phil. I. 21. 2 Cor. V. 8. ponitur, atque *charitatis* praesertim *exercitium* in altera quoque vita mansurum praedicatur 1 Cor. XIII. 8. s. Neque β) in *miseriae*, malos post mortem manentis, descriptione illa, quam N. T. suppeditat, *singularia* quaedam vestigia desunt, quae conscientiam sui praeteritorumque memoriam defunctos comitantem indigitent. Nonne enim, quae toties recurrit, de sedibus damnatorum formula, ejulatum ibi fore enuncians stridoremque dentium (Matth. VIII. 12. XIII. 42. 50. XXII. 13.), acerbissimum miseriae *sensum*, damnatos excruciantem, vehementissimamque eorum *indignationem*, sive in semetipsos, sive in alios versam, depingat? Quos effectus esse non posse sine vivido *sui* sensu, culpaeque a *se* contractae aut *a se in alios transferendae*, vel damni ab aliis evitati, a se imprudenter accepti, cogitatione, quis est, qui inficietur? Accedit γ), quod de *communi* defunctorum omnium statu ita N. T. loqui soleat, ut perennaturae sui conscientiae praeteritorumque memoriae imago *subesse* saltem videatur. Quamvis scilicet e parabola Luc. XVI. 19—31, in qua totum Abrahami cum epulone colloquium vitam mortuorum clarissima rerum apud superos gestarum recordatione praeditam sumit, *demonstrari* vix possit, illam, quam quaerimus, immortalitatis notio-

6) Loca Luc. XVI. 26. Matth. XIII. 24—30 (coll. 36—43.) 47—50. bonorum a malis in altera vita segregationem et ipsa, ut videtur, indicantia, huc referre dubitamus, quia non in eo sunt, ut bonorum *felicitatem* mera cum aliis bonis consuetudine auctum iri praedicent, ideoque nec satis evincunt, superiores animorum humanorum vires in futura vita praecipue valituras sumsisse Servatorem. Neque magis persuasum nobis est, an ex formula Matth. VIII. 11. occurrente: „ανακλιθησονται μετα αβρααμ και ισαακ και ιακωβ εν τη βασιλεια των ουρανων", quae *vulgarem* gaudiorum regni Messiani imaginem sequitur, certo probari possit, beatitatis futurae partem a Christo habitam esse Abrahami, Isaaci, Jacobi aut sanctorum omnino hominum sodalitatem.

nem a Jesu diserte stabiliri, cum ipsa *parabolae* ratio haesitationem argumenta inde petituris afferat [7]); quamvis etiam, quo minus pericopa Matth. XXV. 31 — 46., quae et pios (v. 37 — 39.) et improbos (v. 44 s.) eorum, quae olim in terris fecerint, vel non fecerint, opportunitatisque, quae ipsis ad benefaciendum (officia Christo praestanda) oblata vel fuerit vel non fuerit, probe conscios memoresque inducit, ad idem probandum utamur, similis dubitatio obstet, cum, quid ad ornatum, quid ad rem pertineat, ambigi possit [8]); memoratu tamen dignissimum erit, ipsam illam no-

---

7) Facile patet, rem omnem in eo verti, quodnam consilium parabolae subesse censeas? Si id sibi propositum habuisset Jesus, ut *omnem futurae vitae conditionem* hac fabula depingeret (cf. b. Storrii diss. laud. §. III. in Opusc. theol. T. II. p. 97. s.), tum profecto dubitari non posset, ad istam futurae vitae conditionem terrestris quoque vitae recordationem clarissimam a Christo referri. Sed licet ultro appareat, *diversissimam* bonorum malorumque post fata sortem futuramque ingentem *mutationem* ejus, quae inter utrorumque fortunam jam intercedat, rationis ante oculos proponere voluisse Christum; haud tamen paulo minus liquet, an *singulae* quaeque imaginis adumbratae partes, eaeque praesertim, quae *diversitatem* illam ac *mutationem* non propius tangant, ad vivum resecandae sint? Quid v. c. regeramus illi, qui Abrahamum bona per vitam terrestrem accepta diviti *in memoriam revocantem* eo saltim consilio introduci contendat, ut per ipsam parabolam doceatur, justissimam esse hanc rerum conversionem, qua improbis, dum vixerint, fortunatissimis miseria, piis post vitam in terris misere gestam exoptatissima quies ac verissimorum bonorum abundantia retribuatur? Quomodo eum refutemus, qui divitem fratrum superstitum recordantem et, ut Lazarus ad eos commonefaciendos delegetur, precantem ideo tantum fingi existimet, ut ipsa parabola viam sibi sternat ad exprimendam sententiam hanc: inexcusabiles esse, qui, quanquam e Mosis ac prophetarum oraculis tam certam divinae voluntatis notitiam vel hauserint, vel haurire potuissent (velut Pharisaei, v. 14.), tantam tamen futuri aevi miseriam vita indignissime gesta incurrant?

8) Fatemur, nondum plane nobis satisfecisse argumenta licet acutissima, quibus nuper etiam N. T. interpretum unus ex principibus (cf. S. V. Keilii commentatio de argumento loci Matth. XXV, 31 — 46. anno 1809. lat. scripta, et uberior tractatio vernacula Analectorum T. I. fasc. III. 1813. inserta), non de extremo judicio, ab omnium gentium Christianis subeundo, sed de poenis, populos hominesque Christiano nomini *inimicos* per ipsam hanc vitam manentibus et de praemiis *beneficos in Christi asseclas* populos hominesque ornaturis locum supra citatum agere demonstratum ivit. Ut enim pauca, quae assensum nostrum morentur, enotemus; 1) non satis perspicimus, quid de extremo judicio, Christianos manente, sermonem Jesu interpretari nos prohibeat? Quod scilicet Jesus h. l. a) non, ut aliâs solet, a *fide* doctrinae suae vel tributa vel denegata sententiam in judicio aliquando ferendam suspendat, ejus rei caussa in promtu videtur esse, cum propositum sibi habuerit, ostendere, qualibus sui *asseclis* fausta a judice sententia speranda sit. Neque b) mirandum est, *externa quaedam beneficentiae documenta eorumve defectum* tanquam sententiae ferendae normam memorari,

tionem e Jesu et apostolorum dictis vel iis, quae rerum do-

---

cum id sine dubio egerit Christus, ut *mutua fraterni amoris officia*, quorum tantopere, tum praesertim, interesset rei christianae, discipulis suis commendaret, genuina vero beneficentiae natura atque scaturigo aliunde dudum cognita ipsis fuerit. Quod denique c) ii, qui judicandi esse dicuntur, ab αδελφων (v. 40.) nomine exclusi videntur, dubitamus, an inde colligi liceat, homines non Christianos debere intelligi; cum αδελφων nomen, Christianis v. 40. tributum, nihil aliud sibi velit, nisi, ut, quanti referat, iis vel praestare vel negare amoris officia, luculentius appareat. Contra 2) sunt nonnulla, quae interpretationem a Viro celeberrimo praelatam nobis dissuadeant; a) scilicet ipse, quem haec pericopa occupat, *locus* iis, qui imparem *Christianorum* in altera vita sortem significari existimant, multo magis favet, quam iis, qui imparem, quae futura sit, hominum extra coetum Christianum degentium fortunam praedictam velint. Qui enim antecedunt, Jesu Christi sermones (v. 1 — 13. 14 — 30.) eos quidem de magno discrimine, inter *ipsius asseclas* aliquando constituendo, loqui, nemo inficiabitur. Praeterea b) in ipso pericopae contextu quaedam insunt, quae idem argumentum tractari satis clare videantur innuere. Ita, quae legimus v. 40. 45., ejus generis homines ponunt, qui ad praestanda Christo *Domino* (cf. v. 37. 44.) officia obstrictos sese profiteantur; atque ipsa των προβατων et των ερεφων distinctio *unum* (scil. Christianorum) gregem, sed dissimiliter affectum moratamque complectitur, cf. Ezech. XXXIV, 17. Denique c) vix a nobis impetrare possumus, ut credamus, Servatorem hominibus populisque *a fide sibi habenda alienis solius beneficentiae*, asseclis suis praestitae, *gratia regni sui vitaeque aeternae* consortionem (*veris sui cultoribus* reservatam), aliis vero, ob solum beneficentiae discipulis suis praestandae *defectum aeterna supplicia* indixisse? Quae enim huc referri videmus, loca Matth. X. 40 ss. Luc. XVIII. 7 s. 2 Thess. I. 6. 7., ex alio genere sunt, cum in eo se contineant, ut vel iis, qui legatos Jesu *legantis caussa* benevole suscipiant, *simile* cum legatis *praemium* sperare (Matth. X. 40 ss.), vel *persecutores* Christiani nominis poenas divinas, sive per hanc vitam (Luc. XVIII. 7. 8), sive in futura (2 Thess. I. 6. 7.) luendas vereri jubeant. — Quamvis autem de judicio extremo a Christianae religionis asseclis subeundo in pericopa Matth. XXV. 31—46. Servatorem loqui veri simillimum habeamus; et quamvis persuasum praeterea nobis sit, in judicandorum numerum non eos solos computari, quos redux e coelo Messias *in vita superstites* inventurus sit, sed magnam etiam *dudum defunctorum*, jam ad vitam revocatorum, multitudinem (cum tempora designentur remota, quibus *per omnes gentes* extensus sumitur Christianorum coetus, et, judicium extremum mortuorum resuscitationem excepturam esse, constanter doceatur); ex iis tamen, quae loquentes inducuntur judicandi, argumentum satis certum peti non poterit, recordationem eorum, quae per hanc vitam a se vel facta sint vel praetermissa, defunctis diserte consultoque a Christo tribui. Quod enim ille et probos et improbos quaesitantes fingit: quando ipsum vel beneficiis ornarint vel ornare neglexerint? id (apposite monente S. V. Keilio, Analect. l. c. p. 179 s. not. 5. add. b. Storrii annot. ad προσωποποιΐαν simillimam Matth. VII. 22. in diss. III. ad loca quaed. Evangeliorum, p. 6. s.) eo solum consilio fecisse putari potest, ut sententiam illam: quicquid officiorum cultoribus Messiae vel praestetur vel denegetur, idem ipsi Messiae vel praestitum vel denegatum habendum esse, dramatice proponendam, illustrandam sensibusque quasi subjiciendam praepararet. Verum enimvero nihilo magis negligendum esse arbitramur, huic quoque loco nostro immortalitatis, cum distincta vitae ante gestae recordatione copulatae, *notionem* liquido subesse.

cendarum non nisi involucra quaedam habenda sunt, undequaque emicare.

b) *Immortalitatem* vero animorum *strictissimo sensu sumtam*, itaque non longam saltem vitae post fata continuationem, sed vitam *omnis finis expertem*, s. nunquam desituram Christum atque apostolos docuisse, ita in aprico est, ut ejus rei probatione plane supersedere possimus, nec attineat, vel adversus Socinianorum quorundam, animos malorum deletum aliquando iri censentium, opinionem dimicare, vel iis obviam ire, si qui sint, qui beatorum etiam animos post longos fortasse temporum decursus in divinam naturam redituros esse somnient, idque commentum disciplinae christianae obtrudere sibi posse videantur [9]). Quem enim — si verbo res tangenda sit — quem fugiat, vitam futuram aeternitatis nota in N. T. constanter insigniri eum in modum, ut omnis, quod *temporarium* sit, cogitatio manifesto excludatur, (v. c. 2 Cor. IV. 18), eamque aeternitatem non tantum futurae existendi formae per se spectatae, sed *beatitudini* a piis percipiendae, quae *agendi* facultate et opportunitate nitatur, vindicari (cf. l. c. v. 17. 1 Petr. I. 4. et loca alia innumera)?

c) Denique ejusmodi a Jesu apostolisque statuitur animorum immortalitas, quae *infinitos eosque expeditissimos animorum progressus* ad omne, quod bonum verumque sit, sive ad altiora usque *cognitionis* (1 Cor. XIII. 9 ss. Eph. IV. 13. [10])), *sanctitatis* (Matth. VI. 10. 2 Tim. IV. 7. s. Ebr.

---

9) Formulas, qualem e. c. 1 Cor. XV, 28. legimus (ἵνα ᾖ ὁ θεὸς [τα] παντα εν πασιν), interpres, ejus, quod suum sit, memor, alienum a se habebit huc trahere.

10) Cf. ad posteriorem locum b. Storrium (in diss. de sensu voc. πληρωμα §. VII. Opusc. T. I. p. 159. s.) et b. Koppium, quos recte in eo consentire, quod de futura *in altero aevo* cognitionis Christianae perfectione loqui apostolum statuant, praeter argumenta ab ipsis allata (cf. Storr. not. 34. et Koppius s. fin. annot. ad v. 13.), *plane similis*, quam priore loco idem apostolus exsequitur, cognitionis in altera vita assequendae cum virili, praesentis cum puerili comparatio (cf. Eph. IV, 13. cum 1 Cor. XIII, 10, 11.) nobis persuadet. An vero Christi ipsius promissum Matth. V, 8. „μακαριοι οἱ καθαροι τῃ καρδιᾳ· ὅτι αυτοι τον θεον οψονται" in eandem sententiam interpretandum sit, in medio relinquendum putamus, cum formula hac, e more loquendi Ebraeis solenni (cf. Ps. XXIV. 3. s. Matth. XVIII, 10. Apoc. XXII. 4), *beatissimum favoris divini usum* universim significari, parum a vero abhorreat.

XII. 23. [11])) *puraeque beatitatis* (Rom. VIII. 21. 23. 2 Tim. IV. 18. Ebr. IV. 19. Apoc. XIV. 13.) fastigia secum ferat, modo ne desit seria cujusque per terrestrem vitam voluntas. Quo quidni illud quoque ipsum referre liceat, quod *eam* animorum immortalitatem sperare doceat disciplina christiana, quae conjunctam sibi habitura sit *corporis*, in perfectiorem multo animique finibus plane satisfacientem condi-

---

11) *Expeditissimos* ad perfectam sanctitatem progressus in altera vita sperandos duobus posterioribus locis innui inde apparet, quod universa emendati animi cum sensuum illecebris lucta et omne peccandi desciscendique periculum morte finita sumuntur. Illustre autem ipsius Servatoris effatum Matth. V. 6. „μακαριοι οἱ πεινωντες και διψωντες την δικαιοσυνην· ὁτι αυτοι χορτασθησονται" — quod tantum non omnes interpretes de sanctitatis desiderio in futura vita prorsus exsatiando capiunt, an jure id faciant, dubitare nos fatemur. Scilicet in oratione Jesu montana, qualem Lucas C. VI, 20 — 49. refert, ipsa illa sententia (v. 21.) ita exprimitur: „μακαριοι οἱ πεινωντες νυν. ὁτι χορτασθησονται", quae quidem verba in sensum modo dictum sumi non nisi invita possent; praesertim cum sententia parallela: „μακαριοι οἱ κλαιοντες νυν· ὁτι γελασετε" impropriam formulae: „οἱ πεινωντες" significationem excludat. Neque (cum S. R. Kuinoelio ad Luc. VI. 21.) conjecerimus, Lucam fortasse, vel eum, quo in tradenda hac Evangelii sui parte auctore usus esse possit, sententiam Christi Matth. V, 6. accuratius asservatam reddidisse negligentius. Obstaret enim manifesta, quae apud Lucam v. 24. s. sequitur, antithesis: „ουαι ὑμιν οἱ εμπεπλησμενοι· ὁτι πεινασετε." Quo fit, ut verisimillimum judicandum sit, verba Jesu, a Matthaeo v. 6. et a Luca v. 21. diversimode aliquantum relata eam vim habuisse, ut beatos praedicarent discipulos Jesu nunc quidem *inopia laborantes* (πεινωντας — πεινωντας και διψωντας = πτωχους = miseros, afflictos, humiles, cf. Luc. I, 53. Ps. XXXIV. 11. τους ὁ Jer. XXXI. 25. et al. loc.), olim vero omnibus bonis abundaturos. Quam interpretationem minime putamus dubiam reddi (cf. cel. Kuinoel. l. c.) eo, quod apud *Matthaeum* sententiis illis: „μακαριοι οἱ πτωχοι" — „μακαριοι οἱ πενθουντες" — „μακαριοι οἱ πεινωντες etc." aliae quaedam intertextae sint, quae, *quomodo animati* esse debeant Christi sectatores, efferant (v. 5. 7. 8. 9.). 1) enim in omni ista sententiarum serie, apud Matthaeum v. 3 — 12. obvia, quomodocunque capias versus 3. 4. 6., sententias externam discipulorum conditionem notantes cum aliis, internam magis indolem spectantibus alternare fatendum erit (cf. 10. 11. cum ceteris). 2) Cum beatos praedicaret Servator discipulos suos quamvis pauperes, inopes, miserosque, *respexisse simul* putandus est *animi* eorum affectionem, conditioni externae respondentem, humilem scilicet, innoxiam atque mansuetam, qua pati mallent injurias, quam facere, vocemque „πτωχοι" ac similes (v. c. πεινωντες) in *duplicem* illum sensum usurpasse, quem in Ebraeorum loquendi usu dudum nacta esset appellatio אביון, עני aliaeque ejusmodi, veris Dei cultoribus tributae. Quod ipsum exprimere voluisse videtur graecus Matthaei interpres, cum vocabulum עניים, quo usum esse putamus Jesum v. 3., formula: „πτωχοι τῳ πνευματι" redderet; quod autem nominibus, quae in lingua originali vocibus: „πεινωντες και διψωντες" subfuerant, additum reperisset: בצדק, id in accusativum: „την δικαιοσυνην" transtulisse. Conferri optemus, quae de hoc argumento (in Commen-

tionem instaurati, *recuperationem* [12]). *Talem* enim corporis resurrectionem indicunt Jesus et apostoli, non, quae mentem ad divina quaeque enitentem novis materiae vinculis illecebrisque immittat, sed, quae nativum mortalibus organi corporei in morte depositi desiderium ita expletura sit, ut maxima inde ipsis animis ad verum cognoscendum, idque, quod bonum divinumque est, appetendum et exsequendum proclivitas una cum summo felicitatis, naturae humanae accommodatae, augmento, accedat. Quod cum ex locis potissimum Luc. XX. 34 — 36. (coll. parall. Matth. XXII. 30. Marc. XII. 25.) et 1 Cor. XV. 35—49. (quibus tamen et alia haud pauca recte addi possunt, ut 1 Cor. VI. 13.) eluceat clarissime [13]); haud profecto est, quod talibus quibusdam

---

tat. Beytrag zur Charakteristik des Hebraismus, in l. Studien, herausg. von *Daub u. Creuzer*, T. III. Part. II. p. 309. et in Comm. de morte Christi expiat. p. 86. s.) observavit S. R. de Wette, licet non totam Viri celeberrimi interpretationem nostram facere queamus.

12) *Doceri* a Christo atque apostolis, fore aliquando, ut cunctorum hominum animis sua, quibus per hanc vitam usi sint, corpora resuscitata reddantur, non est, quod h. l. uberius defendamus. Sufficiat pauca monuisse. 1) *Ita* saepe de hac re loquuntur religionis nostrae conditores, ut plane non persuadere sibi possit interpres, *solam animorum* immortalitatem, cui scilicet exprimendae formulas vulgares, ad corporalem vitam restituendam pertinentes, accommodavissent, intellectam ab illis esse. Quo pertinere putamus ejusmodi potissimum loca, quae vel a) *certo quodam tempore a Jesu Messia* resuscitatum iri homines contendunt, ut Joh. V, 28. 29. 1 Thess. IV, 13 — 18. etc., vel b) mortuorum resurrectionem *cum ipsius Christi in vitam reditu* arctissime conjungunt, ut 1 Cor. XV, 14. ss. 26. ss. Phil. III, 21. etc., vel c) futuram corporum resuscitatorum *conditionem* studiosius describunt, ut v. c. ipsa, quae modo diximus, Pauli loca, et in corporum restauratione exoptatissimum hominibus corpore carere nolentibus beneficium agnoscunt, ut 1 Cor. XV, 51. s. 2) Illi vero Jesu et apostolorum sermones, qui de futura resurrectione ita agunt, ut cardinem rei omnis in universa *vitae alterius* exspectatione ponere videantur, (Matth. XXII, 31 — 33. et loc. parall.; 1 Cor. XV, 29 — 34) inde sine dubio explicandi sunt, quod *adversarii*, cum quibus res esset, ipsam vitae alterius spem cum resurrectionis fide tollere consueverint (cf. diss. n. quid in augenda immortalitatis doctrina rel. Christianae ipsi hujus conditores tribuerint? p. 36. ss. et diss. huj. P. V. Sect. I. not. 24.).

13) Formulis Luc. XX, 36. „ισαγγελοι εισι" (s. sec. Matth. „ὡς αγγελοι του θεου εν ουρανῳ," vel, juxta Marcum, „ὡς αγγελοι οἱ εν τοις ουρανοις") — et „υἱοι εισι του θεου" conditionem celsiorem, *divinae* propiorem, tum a calamitatibus molestiisque, terreno organo metuendis, tum ab affectionibus et actionibus, crudo corpori propriis, longe remotam, vitae coelesti aptam, designari, omnis sermonis contextus docet. Idem vero uberius exsequitur Paulus 1 Cor. XV. 35 — 49., cum v. c. corpus ψυχικον, sensis, affectibus, cupiditatibus animalibus proclive, cum πνευματικῳ, quod

N. T. effatis conturbemur, quae vel animorum post ipsam mortem conditionem, vel novam post resumta corpora vitam imaginibus a vita terrestri petitis adumbrant. Ea enim ejusmodi sunt, ut vulgaribus Judaeorum de statu mortuorum ac resuscitatorum et de regno Messiano opinionibus non nisi ad rem exornandam oculisque subjiciendam uti, atque ad aliorum locorum, propriam disciplinae christianae sententiam luculentius describentium, normam explicanda esse deprehendantur. Sic quum *convivium*, a veris Christi asseclis cum antiquissimis Dei cultoribus (Matth. VIII. 11), ipsoque Messia (Matth. XXVI. 29) olim concelebrandum memoratur; quum et beatorum et damnatorum sedes in ἅδῃ ponuntur, vasto quodam intervallo discretae (Luc. XVI. 23. 26), defunctorumque animi quasi corporibus post ipsam statim mortem induti (Matth. V. 29 s. XVIII. 8.) sensisque corporeis obnoxii (Luc. XVI. 24) finguntur; quis est, qui non videat, Judaicas de dapibus in regno Messiae instituendis[14]) ac de eodem Hade in Paradisum atque Gehennam distributo opiniones[15]), priscamque de manibus vitam terrestri similem acturis imaginationem adhiberi duntaxat ad rem vividius depingendam, non confirmari?

d) Praeterea multum abest, ut christiana de immortalitate disciplina, dum perfectam mortis abolitionem in futurum resurrectionis tempus ablegat, animorum vitam operationesque, donec corpora sua tandem resumturi sint, interruptum certe iri statuat interveniente morte. Luculentissime potius docetur, ipsam mortem ab animorum vel beatitate vel miseria (qualis superius descripta est) statim excipi. Luc. XXII. 43. XVI. 22 ss. Phil. I. 21. 2 Cor. V. 8.[16]).

---

mentis, divino spiritu actae, desideriis respondeat (cf. C. II. 14. s.), terrestre (επιγειον) cum *coelesti* (επουρανιῳ, v. 40.), et quod magnifico ipsius Jesu corpori simile sit (v. 49. Phil. III, 21.), *imbecille* cum *valido*, perficiendis animi consiliis nunquam impari (v. 43.) commutatum iri pollicetur.

14) Luc. XIV. 18. 4. Esdr. II, 38. cf. Schoettgen. ad Matth. VIII. 11. et S. R. Bertholdt in Christol. Jesu et apost. aetate §. 39. p. 179. ss.

15) cf. Diss. n. P. V. Sect. I. not. 42.

16) cf. de hoc inprimis argumento b. Storrii diss. laud. de beata vita post mortem.

[Haec hactenus. Reliquum est, ut festos, qui instant, dies digne celebraturi summum illud, quod spiritus divini consortione mortalium animis contigit beneficium, solerter ac pie ponderemus, vitaeque aeternae, cujus arrhabonem illum nacti sumus (2 Cor. V. 5), studium in nobis conservemus acuamusque!]

XI.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,

QUID

DOCTRINA DE ANIMORUM IMMORTALITATE

RELIGIONI CHRISTIANAE DEBEAT,

EX CAUSSAE NATURA ET EX REBUS FACTIS

MONSTRANS.

P. 6. SECT. 2.

Postquam tertium idque postremum commentationis nostrae caput persecuturi, quod primo loco quaerendum erat, sectione proxime antecedente absolvimus, quam scilicet immortalitatis notionem, quam de ea sententiam constituerit disciplina christiana? breviter monstrantes: eo jam progredimur, ut

2) quomodo illa *in fide* immortalitatis *facienda* versetur? diligentius exploremus. Ibi vero,

a) quod summam rei attinet, sponte patebit cuilibet sacrorum N. T. librorum lectori, Jesum ejusque apostolos de animorum immortalitate *loqui confidentissime*, tanquam de *re prorsus explorata atque extra omnem dubitationem posita, persuasionemque de ea certissimam in primis fidei christianae elementis habere.* Unde fit, ut, quod superius (P. VI. Sect. 1. p. 219. s.) innuimus, immortales esse animos, ne *doceatur* quidem ab ipsis simpliciter, sed, quicquid de gravissimo hoc argumento edisseratur, ad praemia aut supplicia, in futura vita exstitura, spectet, animisque hominum, illorum cogitatione confirmandis, erigendis, emendandis applicitum deprehendatur. Eadem de caussa universa doctrina christiana alterius cujusdam mundi, cui adscripti sint homines, notioni superstruitur, et, quicquid vel credendum vel agendum praecipitur, ad eam accommodatur dirigiturque. Quod longius demonstrare ut superfluum plane ducendum esset, cum omnem Novi Testamenti paginam testem habeamus [1]), ita indubiam immortalitatis fidem et suo

1) cf. Jerusalem: Fortgesetzte Betrachtungen über die Religion, p. 349 ss. — Exemplum loco omnium est oratio Jesu montana, qua propositum ipsi fuerat, disciplinae suae universae specimen edere, regnique divini, per se

ipsorum pectori imo infixam tenuisse et aliorum mentibus intime insidere voluisse Jesum apostolosque, eo ipso apparet luculentissime. — Et facile quidem datum hoc iri confidimus ab ingenuo quoque humanae naturae observatore, ad vitae alterius nunquam desiturae spem in aliorum animis alendam, conservandam et refocillandam haud parum valere exemplar hominum, quibus illa inesse conspiciatur ita, ut omnis dubitationis metusque contrarii umbra exulet, praesentiumque etiam calamitatum, molestiarum, periculorum sensus futurorum bonorum dulcissima praesensione absorbeatur. Cujus generis exempla cum nullibi tam praeclara, tam vivida, tam valida deprehendamus, quam in Servatore ejusque legatis, quippe qui et universa disciplina sua futurae vitae exspectatione certissima sese imbutos et quasi penetratos prodiderunt, et in mediis praesertim omnigenorum malorum fluctibus, extremisque vitae discriminibus, officii caussa ultro subitis, futurae in altero aevo beatitatis quasi compotes jamjam se habentes (cf. Jo. XIII. 31. coll. 32. Rom. VIII. 24. et al. loca), inconcussi beatique perstiterunt, ac metam celsissimam, sibi praefixam, dignissime contigere (cf. v. c. Luc. XXIII. 43. cum v. 46. et Jo. XIX. 30. add. 2 Cor. IV, 7—11. 2 Tim. IV, 7 s.): quidni illos vitae perennis fiduciam certissimam vel ipsa suae fidei constanti indubiaque professione animis hominum, quibus eam inesse cupiebant, proxime admovisse, eoque efficacius commendasse putemus, quo laetiores majoresque ejus fructus in se conspiciendos praebuerant? Sed quamvis, quod ne docere quidem demum necesse habuere, multo minus argumentis studiose conquisitis atque explicitis adstruendum confirmandumque existimare potuerint;

b) de fide tamen immortalitatis non inculcanda tantum, suoque ipsorum exemplo commendanda, sed et *firmissime stabilienda* optime revera meriti sunt. α) Ut enim decreta sua omnia, ita hanc quoque doctrinam gravissimam *divina*,

---

constituendi, veram naturam, spiritualem scilicet illam atque coelestem, delineare. In qua de regno divino doctrina cum religionis christianae summa contineatur, quis erit, qui disciplinam Jesu Christi omnem ad celsiorem terreno rerum ordinem redigi inficietur?

qua pollebant, *auctoritate* fulciebant. β) *Rebus in facto positis, ipsius nempe Jesu Christi et in vitam et ad patrem reditu*, comprobatam eam monstrabant. γ) Disciplina sua omni, sive immortalitatem ipsam alteriusque vitae conditionem spectaret, sive in aliis rebus ad religionem moresque pertinentibus versaretur, id agebant efficiebantque, ut ℵ) tum illa pro animorum immortalitate *argumenta*, quae ipsi rationi, unde hausta sunt, maxime satisfaciunt, auditorum lectorumque animis sese offerrent et vim suam in eos exsererent; tum ב) illae *de natura divina humanaque persuasiones*, quae ad amplectendam immortalitatis fidem maxime *invitant*, in iisdem animis magis magisque efflorescerent et altiores usque radices caperent; tum denique ג) *gravissimis dubiis*, quibus labefactari posset immortalitatis fides, obex poneretur. Quae singula uberius aliquantum illustrare atque confirmare, cum consilium nostrum poscere videatur: quod

α) attinet ad illud *divinae auctoritatis* fundamentum, quo hanc quoque gravissimam de immortalitate doctrinam, ut cetera de rebus divinis moribusque decreta, suffultam diximus a religionis nostrae conditoribus; hujus profecto loci non est, vel certitudinem istam, quae a revelatione divina strictius sumta nostrae de Deo rebusque divinis cognitioni accedat, cum persuasione humanae rationi per se obvia ab omnibus partibus contendere, et, quatenus praestet illa, commonstrare; vel factam revera esse singularem, quae fertur, summi Numinis per Christum apostolosque revelationem, denuo defendere. Pauca vero, quae ad rem nostram faciunt, monenda erunt. Ut scilicet, revelationis christianae veritate in concessis posita, ℵ) quid de certitudine ad *cognitiones de rebus divinis quascunque* inde redundante nobis videatur, breviter dicamus,

aa) largiendum tantisper putamus, argumenta pro gravissimis religionis capitibus ab ipsa ratione vel theoretica vel practica rite petita non minorem saltim certitudinem afferre posse cultioris quibusque ingenii animique sincerioris hominibus, quam divina Jesu et apostolorum effata, *post multorum seculorum decursum, historicae argumenta-*

tionis ope pro divinis agnoscenda. Nonne tamen αα) multo firmior evadet illorum decretorum fides, ubi *utriusque generis argumenta* conjungantur invicem seque mutuo adjuvent, et, quae credenda ac speranda suadet ratio *humana* sibi constitura, eadem *ab ipsa suprema ratione*, dummodo historicum argumentandi genus quicquam valeat, liquido confirmata credantur? [2]) ββ) Nonne eorum etiam hominum, ad quorum mentes aditus patet persuasioni de rebus sacris sola ratione nixae, haud pauci fuerint, vel nativa ingenii sui forma, vel institutionis, societatis, fortunae influxibus ita comparati, ut historica argumenta sive perpetuo, sive certis saltem, quae obveniant, temporibus multo plus, quam philosophica valeant ad rerum divinarum fidem in animis eorum gignendam, alendam ac confirmandam? Quis negare ausit, facile fieri posse, ut ii quoque, quibus de Deo rerum omnium et suarum praesertim moderatore omnipotente, sapientissimo, benignissimo ac sanctissimo, vitaque post fata perenni, pro aequo cuique retributura, intime vel a sola ratione, sibi constare gestiente, persuasum fuerat, infaustis saepe casibus, aut culpae turpitudinisque moralis conscientia conturbati, tranquillo isto rationis usu vividoque isto naturae suae moralis sensu, quibus demtis fides naturalis concidit, priventur, nec ullo jam alio fundamento suam de rebus sacris persuasionem fulcire possint, nisi divina Jesu et apostolorum auctoritate, quam inimicae illae vires intactam reliquerant? Neque γγ) praetereundum erit, ipsas quoque naturales de religione notitias atque persuasiones, quibus aetas nostra gloriatur, magna puritatis, claritatis cer-

---

2) cf. b. Storrii l. über den Zweck der evang. Gesch. und der Briefe Joh. §. 100. Bemerkk. über *Kants* philos. Rel. Lehre. A. d. Lat. p. 69 ss. et Ven. Langii comment. über die Unentbehrlichkeit der christl. Offenbarungsrel. für Aufgeklärte, in Mag. f. chr. D. u. Mor. Fasc. XV. p. 8 ss. Addendum putamus, ipsam quidem de revelatione divina per Christum facta persuasionem argumentis non *mere* historicis niti, cum, ut omittamus cetera, *esse* supremum Numen, verisimile certe ponat; attamen tum eadem documenta, quibus divina religionis christianae origo maxime confirmetur, et mirum quantum conferre ad majorem *primo* omnis religionis *principio* fidem conciliandam (cf. J. F. Flatt, praeceptoris atque patroni pie venerandi, Beiträge zur christl. Dogm. n. Moral, p. 31 ss. et b. Storrii commentat. modo laud. p. 66 s.), tum *reliqua religionis praecepta*, posita semel divina Jesu et apostolorum auctoritate, historicam jam fidem admittere, quin poscere.

titudinisque suae parte carituras fuisse, nisi divina religionis christianae auctoritas praeluxisset, humanamque rationem ad illud, quo gaudere praedicatur, maturitatis et perspicientiae fastigium sensim sensimque evexisset. Cujus rei manifesta sane documenta suppeditat religionis naturalis, qualem temporibus Christianam aeram antecedentibus fuisse compertum est, species [3]). Accedit hinc,

bb) quod juste judicaturis de eo, quid cognitionum humanarum de rebus divinis certitudo divinae auctoritatis momento debeat? non ad nostra tantummodo tempora, sed ad Christi ipsius aetatem et cuncta, quae insecuta sunt, secula (quam obscura vero magna ex parte, et a genuino rationis cultu exercitioque aliena!) respiciendum sit. Qua in re, ut taceamus, Christi et apostolorum aequalibus, qui vel ipsis docentibus et agentibus adfuerint, vel abs testibus praesentibus de iis inaudierint, breviorem etiam expeditioremque ad divinam eorum auctoritatem certo cognoscendam patuisse viam, facile profecto nobis persuadebimus, quanto imperfectior fuerit intellectus humani et illo et sequentibus quibusque seculis cultura, tanto magis ea divinae auctoritatis ad indubiam de rebus divinis cognitionem auxilio eguisse.

Sed quae de universa religionis doctrina valent,

ב) *quam maxime* valebunt de hoc, quod jam tractamus, capite. Quamvis nimirum

aa) multum absit, ut ambigamus, hominem, qui ad omne, quod bonum perfectumque est, desiderio trahatur insatiabili, et ratione gaudeat bene recteque exculta, ad immortalitatis suae exspectationem satis certam per semetipsum posse pervenire, ea tamen hujus praesertim doctrinae indoles nobis esse videtur, ut, si in ulla alia, in hac potissimum divinae auctoritatis subsidium exoptandum sit. Quae enim alia est, cui tot ac tanta cum iis ipsis, quae usu experti videmur, et cum vehementissimis affectibus, omnem animum obnubilantibus ac deprimentibus, subeunda sint certamina? Quae est, quam male factorum conscientia voluptatumque terrenarum cupido; quam fragilitatis et nostrae et nostro-

3) cf. S. V. Ewaldi Religionslehren der Bibel, T. I. p. 101.

rum acerrimus sensus; quam absoluta, qua premimur, mundi inadspicui imperitia tantopere impugnet? Ipsum videlicet supremum Numen cum ex iis, quae operatur et efficit, quodam modo cognoscere liceat; undenam alterius cujusdam, quae instat, vitae, cujus nulla esse potest in nos efficientia, perspicere discamus naturam? Quantumcunque igitur laetemur illa, quam ipsa ratio praeit, immortalitatis nostrae fiducia; est sane, quod maxime et nobis et quorumvis seculorum Christianis gratulemur de ipsius, quem creatorem veneramur, Dei eloquio fallere nescio, quo spes carissima, quicquid sensus obloquantur, firmissime stabilita sit ac corroborata. Praeterea

bb) ita se habet divina, qua Christus polluit polletque, auctoritas, ut invisibilis rerum ordinis vitaeque a terrena quaque diversae specimen vel ipsa contineat. Tam arcto enim et vere unico vinculo cum Deo patre conjunctum eum didicimus (Jo. X. 30. XIV. 7. 9.), ut coelitus se descendisse in mundum atque de sublimiore illo rerum ordine *testari* posse recte perhiberet (Jo. III. 11 — 13. VI. 62. XVI. 28. XVII. 5.). Ubi licet dubitari nequeat, divinae auctoritatis, in se spectatae, eandem vim esse, quaecunque tandem sint, quorum ministerio illa utatur, instrumenta; ad fidem tamen, in rebus ad mundum invisibilem pertinentibus divinorum oraculorum interpreti habendam, haud parum referet, nosse, intimo, quod cogitari possit, et nunquam interrupto vinculo cum Numine unitum eum fuisse, quae igitur Dei mandantis nomine profatus sit, nunquam non divina agnosci eo ipso debere, quod ab eo edita essent (Jo. VIII. 28 s. V. 19.) [4]), et, quae de rerum orbe mortalibus invisibili tradiderit, ex eorum, quae ipse intuitus expertusque sit, copia (Jo. III. 11) esse depromta [5]). Denique

cc) perfectior illa nativoque hominum desiderio plane accommodata de animi immortalitate doctrina, qualem disciplina christiana exhibet, non pauca complectitur, quae,

---

4) cf. b. Storrii l. l. über den Zweck Joh. §. 99.

5) cf. Storrii diss. de beata vita post mortem, Opusc. T. II. p. 76. cel. J. G. Müllerii l. vom Glauben der Christen, T. II. p. 196. et b. Reinhardi loc. ib. p. 219. allatum.

licet ab ipsa ratione nequaquam absona, facile potius, si conjecturis locus sit, probanda, credi tamen et pro certis sumi non possint, nisi divina adstipulante auctoritate. Pertinet huc [6]) ex aliis illud potissimum, fore, ut et corporeum, quo usus fuisset animus, instrumentum, in conditionem vitae celsiori aptam transmutatum, ipsi reddatur, et animus ipse sui compos esse, sentire, agere, quamvis morte interveniente, nunquam omnino desinat [7]).

Quemadmodum autem omnem de immortalitate doctrinam divina Jesu et apostolorum auctoritate magnopere confirmatam esse vidimus; ita illam

β) *singularibus etiam quibusdam factis; Servatoris potissimum in vitam et ad patrem reditu*, hominum, experientia edoceri cupientium, fidei magis insuper insinuatam esse apparet.

Quicunque enim

ℵ) Jesum vere mortuum e sepulcro ad vivos rediisse et in sedes coelestes, quas suas nosset, postea evectum esse, persuasum habet, ille sane,

aa) ipsa experientia rebusque in facto positis edoctum sese fatebitur, non esse, quod metuat, ne corporis morte ipsi animo afferatur interitus, aut corpus semel mortuum in vitam restaurari nequeat, aut vita humana omnis in hujus, quem videmus, mundi terminos restricta sit. Quamquam scilicet ex eo, quod in uno Jesu evenit, concludere non illico liceat ad id, quod ceteris quibusque mortalibus exspectandum sit, satis tamen vel uno Servatoris exemplo [8]) patet, corporis morte non *inferri* certe ipsius animi exitium, sed excipi *posse* vitam morte finitam alia ejusdem hominis nova [9]). Quamquam porro Jesum in vitam *terrestrem* rediisse, corpusque prius, priorique prorsus simile,

---

6) v. G. Calixti de immortalitate animae et resurr. carnis l. C. VIII. p. m. 81 ss. et b. Jerusalem. l. c. p. 890.

7) cf. diss. hujus P. VI. sect. 1. pag. 225. ss.

8) Posita autem Jesu Christi ipsius vera e mortuis resurrectione nec aliorum, quos ille in vitam revocasse narratur, exempla praetermittenda sunt.

9) cf. libell. über das Verdienst der christl. Rel. um die Lehre von der Unsterblichkeit, p. 105. coll. p. 88. et b. Storrii Lehrb. der chr. Dogm. §. 83. not. 6).

terrestri vitae aptum, resumsisse largiamur [10]); summa tamen rei vertitur *in vitae amissae restauratione*, cujus quando indubium exstat exemplum, sive terrestris proxime vita reddita fuerit, sive sublimior, ad immortalitatem composita, hominum mortuorum ad novam, perennem adeo et coelestem, vitam reditus multo sane quam antea probabilior videbitur [11]). Sed quid multa? si certis historiae documentis compertum simul habeamus, novam ejusdem illius Jesu vitam, licet aliquantisper terrestrem iterum (donec scilicet consilio, cum discipulis per aliquod etiamnum tempus conversandi, satis factum esset), nulla amplius interveniente morte, in coelestem aeternum perennaturam transiise?

Accedit,

bb) quod Jesus ipse tum suum in vitam (Jo. II. 19. VI. 51—63. Matth. XII. 40. XVI. 21. XVII. 22. XX. 17—19. Jo. X. 17 s. Matth. XXXVI. 32. coll. XXVIII. 6.) et ad coelos (Jo. VI. 62. XIV. 5 s. 13. XVI. 16. 28. XVII. 11. al.) reditum, tum suorum resurrectionem coelestemque beatitudinem (Jo. V. 21 ss. VI. 39 s. 44. 54. X. 28. XI. 25 s. al.)

---

10) v. Luc. XXIV. 39 ss. Jo. XX. 25 ss. Quod veteres theologi sumserant, et recentissimi quidam (velut S. R. Wegscheider in institutt. chr. dogm. p. 240. et S. R. Kaiser in bibl. Theol. T. I. p. 257) nonnullis Evangeliorum locis ex mythica traditione narrari volunt, Jesum corpore aethereo indutum e sepulcro prodiisse suisque apparuisse, locis allatis minime confirmatur. Narrationes de visibili Jesu in coelum ascensu huc trahi non posse, per se patet, cum nihil certe prohibeat, quo minus corpus Jesu ipso ascensus momento transmutatum existimemus; neque plus probat Pauli locus 1 Cor. XV. 5 ss., ubi, quae discipulis factae sunt, appaririones Jesu recens resuscitati, cum ea, quam ipse Paulus sibi contigisse gloriatur, componuntur; quid enim nos cogat, ita intelligere apostolum, ut Jesum a mortuis reducem *plane eodem*, quo ceteris, modo sibi etiam manifestatum esse, innuere voluisse ponatur? Quod denique attinet ad Jo. XXI. 4. 12. et Jo. XX. 19. (quem postremum locum, prae aliis speciosum, citare omisit cel. Wegscheider), utrobique quidem Jesus *improviso*, (hic clausis jam ob ingruentem noctem januis, illic primo diluculo) sed non alio, quam ceteri homines, modo apparuisse discipulis dicitur.

11) Hoc ipso jam liquet, ex eo, quod Christus corpore minime immutato in vitam rediisse dicitur, properantius justo colligi (cf. cel. Wegscheider, l. l. p. 358 s.), doctrinae de mortuorum resurrectione argumentum e Christi in vitam reditu *non satis commode* petiisse Paulum. Ne moneamus, argumentationem apostoli iis potissimum esse oppositam, qui *fieri posse* negarent, ut ullius hominis animus post corporis fata esse pergat, aut in vitam, qualiscunque demum illa sit, mortuorum quisquam redeat, et ea ipsa de caussa doctrinam de futura mortuorum resurrectione absurditatis insimularent. cf. S. V. Knapp de nexu resurr. J. C. e mortuis et mortuorum ad 1 Cor. XV. 12—19. in Scriptis Var. arg. T. II. p. 347 ss. 354.

clarissime *praedixisse*, et utramque praedictionem arctissimo vinculo *conjunxisse* (Jo. VI. 57 s. XII. 26. XIV. 2. ss. XVII. 22. 24.) ab Evangeliorum auctoribus perhibeatur. Quod si quis revera factum a Jesu esse credat, quomodo quaeso ille, altera praedictione manifesto impleta, alteram ab ea pendentem eventu fraudatum iri subtimere queat, cum *fieri certe posse*, ut et haec impleatur, *illa* impleta ob oculos positum sit [12])? Licet enim facile sit intellectu, fidem posteriori promisso habendam divina promittentis auctoritate magis etiam, quam prioris praedictionis eventu niti, cum *cogitari* certe possit, unius hominis alteri praedictioni respondere eventum, alteri non item: ipsam tamen illam divinam Jesu Christi auctoritatem *in hac nominatim caussa* tanto confidentius agnosci necesse est, quod ea *in eodem genere* eventu sit comprobata, nec dubio locus relinquatur, an supremum Numen, dum alterius praedictionis divinam veritatem admirando omnipotentiae suae documento confirmavit, alteri quoque, cum illa ab ipso Christo copulatae, divinae originis auctoritatisque notam imprimere voluerit.

ב) Quod autem fundamenti loco ponitur, Jesum scilicet *vere mortuum revera e sepulcro ad vivos*, deinde *in coelos* rediisse, eumque eventum cum futura suorum resurrectione ad aeternam beatitudinem praedixisse, id quidem certo persuasum esse posse ingenuis quibusque historiae evangelicae indagatoribus, non est, quod hoc loco uberius defendamus. Satis sit,

aa) universim repetere, quod dudum verissime observatum novimus, ne exstituram quidem fuisse ecclesiam christianam, nisi facto plane mirabili, quale stitit Jesu a mortuis reditus, bona ejus caussa triumphasset, asseclarumque desperantes animi erecti et ad extrema quaevis tolerauda et audenda inflammati atque corroborati fuissent; deinde

bb) monere, si N. T. libri historici eos habeant auctores, quibus tribuuntur, textumque etiamnum praebeant integrum quoad potissimas partes atque incorruptum, quod, quamdiu staturae sint sanioris critices leges, valiturum esse,

---

12) cf. b. Storrii Lehrb. d. chr. Dogm. §. 83. not. 6.

nec veram Jesu mortem nec reditum ejus in vitam atque in sedes coelestes, nec denique, utrumque eventum praedictum ab eo esse, in dubium vocari posse. Illo enim posito, quid v. c. judicandum sit de eorum opinionibus, qui narrationes evangelicas de Christo post abjecta sepulcri vincula suis manifestato et ad coelos evecto in mythorum, inter Christianos sparsorum, numerum conjiciunt [13]), haud difficile fuerit perspicere. Quis, qui evangelia nostra partim ab ipsis apostolis, partim ab horum discipulis familiarissimis scripta agnoscunt, cunctorum illorum de Jesu redivivi apparitionibus, *apostolis* potissimum factis, relationes, sobrias quidem illas atque ab omni cupiditate aut luxuriantis phantasiae suspicione alienas, ex somnolentis quibusdam visionibus, quas forte Jesu absentis desiderium, et vaticiniorum nonnullorum, ad Jesum Messiam applicatorum, memoria peperisset, derivare se posse putet [14])? Sed nec illae haesitationes, anne forsan mors, quam obiisse narratur Jesus, syncope potius fuerit [15])? deinde, an ille et mortem suam et resurrectionem tam disertis verbis, qualibus usus esse dicatur a prioribus tribus Evangelistis, praenunciarit? movere facile poterunt eum, qui libros N. T. historicos genuinos et integros agnoverit. Veram enim fuisse Jesu crucifixi mortem, praeter universalem de illo reapse mortuo tum amicorum tum inimicorum [16]) civium consensum, judicumque infensissimorum, quae non potuit non attentissima esse [17]), ne

---

13) Velut post Eberhardum (Geist des Urchristenth. T. III. p. 120) et Cotesium (die Gesch. und Lehre von den Erscheinungen Jesu nach seinem Tode, von Descôtes, Mannh. 1809.) nuperrime quoque cel. Kaiser (bibl. Theol. T. I. p. 203. 253 ss.) et, quod ad ascensum Christi in coelos attinet, complures.

14) cf. S. R. Wegscheider l. l. p. 240. not. d).

15) cf. clariss. Schuster zur Erläuterung des N. T. in Ill. Eichhornii allg. Bibl. der bibl. Lit. T. IX. p. 1034 ss. S. V. Paulum in Comm. ad N. T. T. III. p. 792 ss. Cel. de Wette, bibl. Dogm. p. 219 s.

16) Matth. XXVII. 63. Act. XXV. 19. cf. S. V. Ammon comment. de vera J. C. publice fato functi reviviscentia, Erl. 1808. p. 13. Eodem referendum, quod ad Jesum e mortuis reducem coram pleno synedrii consessu apostoli provocarint (Act. III. 15), nec ullus unquam adversariorum Jesu, restauratae illi vitae praeconio perturbatus offensusque, ad dubitationem, de vera ejus morte injiciendam (quam ipsa, quae nonnunquam obvenere, hominum crucifixorum vitam servantium exempla suppeditare facile potuissent) confugerit.

17) cf. not. anteced. et Matth. XXVII. 63.

forte semivivus evaderet, sollicitudinem, maxime arguunt tum, quae Marcus C. XV. 44. s. et Ioannes C. XIX. 31—37. referunt (ubi consilium militis, mortem, nisi jam factam, consummandi, letalem igitur ictum inferendi, ex omni narrationis contextu elucet [18])), tum Jesu ipsius de morte sua sermones et antecedentes eventum et sequentes, qui, posita ejus morte syncoptica tantum, neque cum hominis sanctissimi integritate, neque cum naturali rerum factarum nexu conciliari ullo modo possent [19]).

Distinctas vero illas Jesu de morte sua et reditu ad vitam praedictiones non post eventum demum ex dictis quibusdam Jesu allegoricis, certo modo explicatis, prodiisse [20]), sed, ut ea quoque, quae, redux e mortuis, de morte et resurrectione sua, et quae de suo in coelos reditu futuro locutus esse dicitur, ex ore ejus revera profectas esse, auctorum, quibus evangelia et actus apostolicos debemus, (si ii fuerunt, qui feruntur) sinceritas satis superque confirmat. Lucam denique παρηκολουθηκοτα πασιν ακριβως, et αυτοπτας apostolos perpetuo consulentem, (ne quid de *Marci* pericopa postrema, cujus αυθεντια in lite est, dicamus) duobus illis locis, ubi Jesum redivivum coelos versus elatum narrat [21]), nil nisi fabulam primorum Christianorum, ad magistrum inter divos referendum ducibus quibusdam Vet. Foe-

18) cf. S. V. Süskind comm. über das Verhältniſs der Erzählung von der Wache am Grabe Jesu zur Wahrh. s. Auferst., in Mag. f. chr. D. u. M. Fasc. IX. p. 173 ss.

19) Cum Jesus e sepulcro redux de morte a se exantlata loquitur, quod saepius fecisse narratur ita, ut dignitatis Messianae documentum in suo e mortuis reditu agnoscere juberet, anne illum, quam se passum sciret, syncopen pro morte vel venditasse, vel habuisse putemus? An, si praedixisse eum fateamur, se in cruce mortuum tertia die resurrecturum esse, impetrare a nobis possimus, ut sumamus, miro fortunae lusu ita accidisse, ut syncope post triduum feliciter sublata falsum oraculum confirmare videretur?

20) Quod post b. Herderum, b. Henkium, S. V. Paulum aliosque, recentissime etiam repetiere viri celeberrimi, de Wette (bibl. Dogm. p. 211.) Kaiser (l. c. p. 246.) et Wegscheider (l. cit. p. 240 s.); argumentorum gravissimorum in contrariam partem allatorum (v. S. V. Süskind Bemerkungen in Bez. auf die Frage: ob Jesus s. Auferst. bestimmt vorhergesagt habe, Mag. Fasc. VII. p. 181 ss.) ratione publice saltim non habita.

21) Ipsa haec loca sibi invicem non constare, cum Evangelium quidem (C. XXIV. 50 ss.) próximo post resurrectionem mane, Acta vero App. (C. I. 2-11) post quadraginta demum a resurrectione dies in coelum evectum esse Christum narrent, temere profecto a quibusdam (v. v. c. cel. Kaiser, l. c. p. 261.) contenditur. Quis enim probare ausit, Lucam Ev. Cap. XXIV. 50. ita voluisse intelligi, ut Christus statim post ea, quae ante narrata sunt, discipulos Bethaniam eduxisse existimetur?

deris locis, excogitatam propinasse[22]), quis sibi persuaserit? Ubi, ut nolumus vehementer refragari, si qui sint, qui, historiae de ascensu Christi ad coelum *in oculos cadente plane parem* cum Christi ad vitam redeuntis historia certitudinem inesse, negent; ita neminem, cui *de hac ipsa* persuasum sit, dubitaturum esse, Jesum ex terrestri, quam resumserat, vita quocunque tandem modo, at morte non amplius intercedente, ad coelestem evectum esse (Rom. VI. 9.), certissimum habemus; nec fieri potuisse credimus, ut discipulorum fides salva maneret, nisi externo quodam documento qualicunque de ipso ad Patrem vere reverso illis innotuisset[23]).

Maneat igitur, Jesu Christi vere mortui in vitam et ad patrem reditu doctrinam de animi immortalitate, qualem ipse et apostoli praeivere, mirum quantum confirmatam fuisse. Neque neglexerunt, *monstrare* confirmatam. Ipse enim Jesus, quod vidimus, futurum suorum in vitam reditum cum sua resurrectione praedicando arctissime conjunxit; arctius etiam, quod *se ipsum* vitae suis reddendae *auctorem* professus est (vid. locorum superius allatorum quam plurima). Apostoli vero toti in eo fuerunt, ut spem Christianorum omnem, futuraeque inprimis resurrectionis et vitae aeternae fidem repeterent suspenderentque a Jesu Christi resurrectione. Pertinent huc, ut multa alia loca, ita celebratissima potissimum haec: Petri apostoli, 1. ep. I, 3. 4., ubi Deus Jesu Christi e mortuis resurrectione ad vivam spem[24]) aeternae beatitudinis quasi *regenerasse* homines illi deditos dicitur; Pauli, 2 Cor. IV, 14. Rom. VIII, 11. Phil. III, 10. s. 1 Thess. IV, 14. et prae omnibus aliis 1 Cor. XV. 12—19.,

22) cf. S. R. Kaiser, l. c. p. 83 s. Alii mythum magis historicum in ista narratione deprehendisse sibi videntur, cf. cel. Wegscheider l. c. p. 239. et scriptores ib. p. 241. not. f) laudatos.

23) cf. commentat. Warum haben nicht alle Evangelisten die Himmelfahrt Jesu ausdrücklich miterzählt? in Mag. f. chr. D. u. M. Fasc. VIII. p. 55 ss. et b. Baurii nostri commentat. über den praktisch-idealen Gesichtspunct, aus welchem die Himmelfahrt Jesu angesehen u. behandelt werden soll, ibid. Fasc. XVI. p. 173 ss.

24) Quamquam vocem ἐλπίδος nonnunquam de *re sperata* usurpari facile demus, hoc tamen loco in propria significatione acquiescendum esse arbitramur (coll. v. 21) neque argutandum de eo, quod versus sequens rem ipsam memoret. „Ζωσαν" ad verbum reddimus, *duplicem*, quae exprimi videtur, et vivacis et vitam, s. felicitatem largientis, (cf. Jo. VI. 51. et 33. 35.) notionem retinentes.

ubi palmarium illud resurrectionis mortuorum et immortalitatis documentum disertius studiosiusque exponitur [25]).

Verum enim vero

γ) aliis etiam modis permultis, Jesu apostolorumque disciplina de genuina immortalitatis fide firmius stabilienda optime meruit;

δ) id spectans efficiensque, ut *argumenta* pro immortalitate, illa potissimum, *quae ipsi rationi, unde hausta sunt, maxime satisfaciunt*, clarius sese offerrent. Quod licet quasi aliud agendo atque obiter factum sit, quia nempe *ratiocinando* demum *demonstrare* rem exploratissimam divinis doctoribus minime omnium conveniret; nihilo tamen magis praetermittendum erit ab iis, qui, quid doctrina nostra religioni christianae debeat, accuratius nosse cupiant.

Abstinuisse Christum et apostolos ab iis argumentis, quae *ex incognita animi humani natura* peti consueverunt, verbo, metaphysicis; quicunque consilium iis propositum non ignorat, facili negotio augurabitur. Neque immerito laudi hoc illis duci fatemur [26]). Sed inde profecto nequaquam consequitur, vitio verti debere Servatori, quod illustri loco Matth. X, 28. illi rationi non obscure favere videatur [27]), qua ex *animi a corpore diversitate* spes concipitur, fore, ut ille corpori mortuo superstes evadat. Hic enim ipse spei carissimae confirmandae modus, (dum ultra limites intellectui humano positos non evagetur, nec internam animi naturam, sed animum agentem spectet), tantum abest, ut abstrusis et ancipitibus argumentandi generibus accenseri debeat, ut potius puriori cuique atque erectiori animo, nativae praestantiae sibi conscio, sponte praesto sit [28]).

Maxime vero calculum suum et Jesum et apostolos adjecisse videmus argumentis pro immortalitate animorum *mo-*

25) Universum apostoli in hac pericopa argumentandi genus, et singulas etiam sententias egregie, ut solet, illustravit S. V. Knapp in progr. supra laud.

26) cf. S. V. Ammon in comm. de adumbrationis doctrinae de animorum immortalitate a Jesu Christo propositae praestantia, opusc. theol. Erl. 1793. p. 59—64.

27) cf. comm. über das Verdienst der chr. Rel. um die Lehre von der Unsterblichk. p. 99. coll. 91 s.; ubi nolumus litem movere auctori, ipso, quod *ex simplicitate animi* humani peti soleat, argumento, *accommodate licet ad vulgi intelligentiam*, usum esse Servatorem, asserenti.

28) cf. diss. nostrae P. I. p. 46. s.

ralibus, sive iis, quae ex Dei hominumque natura mora
tuntur, eaque apertius modo, modo tectius commendass

Pertinent huc ea omnia, quae illi tum de perfe
volendo agendoque sanctitate, tum de infinito in ver
gnoscendo progressu, tum de perpetua beatitudine it
morant, ut natos ad haec tanta decora ac benefici
mines atque a Deo ipso destinatos praedicent. Scilicet,
his omnibus contingendis vita terrena longe absit ut
ciat, homo autem, sui revera conscius, et desiderium
rum in se deprehendat, et annitendi ad ea potestatem
quam desituram, pronum intellectu erit, quicquid hanc
scientiam in nobis excitet, acuat, confirmet, immortal
quoque fidem nobis commendare atque infigere. Nam
natura nobis ingenitum est, ut constare nobis velimus,
quod majus etiam est, Deus, naturae nostrae conditor
me bonus idemque summe sapiens, credi poterit eorum
pessendorum vel desiderium vel potestatem nobis inge
se, quae ob solam vitae brevitatem nunquam valeremus
sequi. Sic, cum Jesus et apostoli nos perfectos fieri jub
uti pater coelestis perfectus est (Matth. V, 48.), divinam
aemulari δικαιοσυνην (Matth. VI, 33. [30]), 1 Petr. I, 1
Eph. IV, 24. 2 Petr. I. 4. etc.); cum et virtutem et De
gnitionem in altera vita longe praesenti perfectiorem
numque perficiendam praenunciant (cf. loca, diss. huj.
sect. 1., p. 224. s. allata); cum felicitatem aliquam offe
ex imo pectore, divina veritate illustrato emendatoque,
turientem nec unquam, terrenae instar, defecturam (J.
14. coll. 13.), aut futura alterius vitae bona, tanquam
na, praesentibus, tanquam temporariis, ita opponun
illa, non haec, desiderio hominum digna esse ponant (
VI. 20. 2 Cor. IV. 18), et quae sunt similia; quidn
persuasioni de immortalitate, moralis hominum naturae
scientia nixae, favisse et adstipulatos esse fateamur?

Inprimis vero illi argumento morali assentire
disciplina Christiana, quod Dei ipsius summae *vera*
ac *justitiae* superstruitur ita, ut, perpensis optimorum
minum, quibus per hanc vitam saepissime premuntur,

29) cf. comment. Ammonianam not. 26. laud. p. 65—76.
30) cf. ib. p. 67.

nitatibus molestiisque, malorum vero rebus prosperis at-
e impunitate, et perpensa simul illa, quae animo huma-
ingenita est, lege, ut bene sit bonis, malis male, ad
um futurum rerum ordinem concludatur, in quo supre-
m Numen beandis demum bonis, puniendis malis vera-
ati illi ac justitiae plene satisfacturum, rectamque inter
, quae meruit quisque, et fortunam, qua utitur, propor-
nem restituturum sit. Quo ut spectant omnia ista effata,
bus judicii divini, sua cuique pro meritis aliquando re-
outuri, exspectatio, tanquam ab ipsa natura imperata,
moratur (velut Luc. XVI. 25. Matth. XVI. 27. Rom. II. 6.
'hess. I. 6 ss.); ita non desunt singularia quaedem loca, ubi
rgumentandi ratio consultius disertiusque videatur praeiri.
, cum ab ipso Servatore, Matth. XXII, 31 — 33. et locis
all., Dei eloquium Ex. III. 6. ad confutandos Sadducaeos,
iram vitam negantes, adhibetur, jubentur illi ex Dei, qui
rahami, Isaaci et Jacobi Deum se professus sit, veracitate
igere, necessum esse, ut et mortui vivant, atque ita demum
missorum compotes fiant [31]); cui disputationi simillima
quam Ebr. XI. 9. 10. 13 — 16. legimus [32]). Paulus
apostolus et 1 Cor. XV, 19. (coll. 29 — 34.) incongruum
ie esse sumit, ut veri Jesu Christi sectatores omnium ho-
um miserrimi sint, qui tamen essent, simul ac spem in eo
ocatam intra hujus vitae limites cohibere cogerentur [33])
od plane convenit cum illo argumento, quod e constan-
mo nullisque periculis aut calamitatibus absterrito vir-
studio, tandem aliquando praemiis suis ornando, pe-
); et Rom. II, 15. s. eorum quoque hominum, qui lege
ia, literis consignata, careant, internum sensum *futuri*
cii, vel intimis animi consiliis justam mercedem tribu-
, praesagitionem secum ferre contendit [34]).

1) cf. diss. nostr. quid in aug. imm. doctrina religioni christianae ipsi
onditores tribuerint? p. 35 ss.
2) Nec multum discrepare videtur alia ipsius Jesu ratiocinatio, Matth. V. 12.,
ros sui discipulos, quamvis infestissimis hominum calumniis expositos, lae-
ibens magna, quae ipsos maneat, in coelis mercede, *ad priscos prophetas,*
minoribus injuriis affectos, provocat, eoque innuit, difficile profecto cre-
esse, hosce tam sanctos Dei ministros nequicquam tanta passos esse, mer-
nihil pro omni, quod in ministerio suo perpessi essent, reportaturos.
3) cf. S. V. Knapp in comment. laud. p. 363.
4) cf. interpretat. nostram loci Paulini Rom. II. 11 — 16. in progr. ad
Chr. natal. a. 1813. (Opusc. hor. comm. XIII.)

b) Ita deinde omnem Jesu Christi et apostolorum disciplinam esse compositam, ut *illae de natura divina humanaque persuasiones*, quae ad amplectendam immortalitatis fidem maxime *invitant*, magis magisque efflorescerent in animis asseclarum, et altiores usque radices caperent; quis, quaesumus, inficias ibit, qui recordetur,

aa) *istas supremi Numinis virtutes*, quibus alterius vitae, ad praemia bonis, supplicia malis retribuenda aptae, exspectatio ac corporis quoque olim instaurandi fides potissimum fulciri et confirmari, earumque rerum *desiderium* conservari atque animari possit, in summa luce positas esse et historiae Jesu et omnis ejus doctrinae beneficio? Si quis v. c. *sapientiae divinae* cogitatione moveri se sentit, ut credat, tantas humani animi vires, ad infinitam perfectionem factas, nequaquam deletum iri praematura morte, quantopere is confirmatum se deprehendet summae, omnemque mortalium intellectum superantis sapientiae speciminibus, quae e consilio Dei de hominibus per Christum salvandis, et capto et expleto, elucent [35])? Si quis non nisi *omnipotentia* divina fretum, sumere se posse arbitretur, animos corpori superstites vivere et agere, aut corpora sua iis aliquando redditum iri; quantopere eum confirmari existimemus *omnipotentiae* divinae mirandis facinoribus, in Jesu Christi historia, ipsiusque potissimum a mortuis reditu conspicuis [36])? Si quis *benignitati* potissimum Dei superstruere posse sibi videatur spem immortalitatis suae futurique in vitam reditus; ubinam vero tanta inveniri poterunt amoris plus quam paterni, favorisque infiniti, quo Deus et humanum genus et sinceros potissimum sui cultores complectitur, documenta ac pignora, quanta in Evangelio? Et cum Jesus ipse, in quo divina majestas hominum oculis apparuit, eum se professus sit, a quo nova illa vita vere vitalis aeternumque duratura impertienda sit suis; quis dubio locus esse possit, eum, qui propriam pro suis impendit vitam, satis eos diligere, ut et vitam iis restituere paratissimus sit (cf.

35) cf. lib. über das Verdienst d. chr. Rel. etc. p. 100.

36) cf. Matth. XXII. 29. „πλανασθε, μη ειδοτες τας γραφας μηδε την δυναμιν του θεου.“ add. Rom. VIII. 11. 1 Cor. VI. 14. („ὁ δε θεος και τον κυριον ηγειρε, και ἡμας εξεγερει δια της δυναμεως αυτου“). Phil. III. 21. („κατα την ενεργειαν του δυνασθαι αυτον και ὑποταξαι αυτῳ τα παντα“).

X, 11. 15. et 27 s.)? Si quis denique malefactorum nscientia atque acerbo vitiositatis moralis, quo laborare rgit, sensu ita afficiatur, ut beatam in altero aevo sortem erare vix audeat, futurae igitur vitae cogitationem semore magis studeat, quam firmiter amplecti; quid illi cariom, eoque vel ipso certiorem reddere possit immortalitatis spectationem, quam *divinae gratiae, peccatoribus propiie,* certissima sponsio, per Jesum Christum ex ore divino ofecta, et illa ipsa Jesu Christi morte corroborata? Sed

bb) neque id praeteriri poterit, *humanae naturae diitatem atque praestantiam*, qua nihil magis facere pot ad vivacissimam immortalitatis fidem gignendam, disciinae Christianae beneficio longe quam antea clarius illuse [37]). Divini enim nos generis esse, divinamque imahem nobis impressam habere, ut illa docet variis modis, factis quoque confirmavit apertissime. Quam sublime licet sapientiae virtutisque fastigium sit, quo evehi natura stra possit, quae egit Jesus homo, quae passus est, quae cuit, una voce testantur; ipsa vero illius ad genus humam legatio, et deinde cruenta, quam ex voluntate Patris homines salvandos oppetiit, mors, magni nos profecto ci a summo Numine, atque liberorum instar haberi, ex omnem dubitationem ponit.

cc) Denique *gravissimis dubiis*, quibus labefactari sset immortalitatis fides, obviam itum esse a disciplina risti et apostolorum,

αα) re universim spectata, iis, quae hactenus dicta sunt, nficitur. Quaecunque enim sint dubia, quibus in hoc nego implicetur ratio humana, ea quidem omnia multo minus omenti habere poterunt in eorum animos, quibus praeter gumenta ex ipsa ratione hausta in divina Christi αυτοπτου ctoritate, rebusque in facto positis fidei suae propugnacula rtissima nosse contigit. Eo nempe fit, ut speciosissimae aeque dubitationes menti oblatae majore saltim falsitatis spicione praeventas sese deprehendant, et sobrio, tranquillo curatoque examini subjiciantur. Nec sane ad evitanda ac pulsanda dubia ea potissimum, quae aut ab anxia sui con-

37) cf. cel. Müller l. l. p. 193 ss. et 8. V. Eckermann Handb. der chr. aubensl. T. IV. p. 148.

scientia, aut a sensuum illecebris oriri solent, minorem vim habent tum ipse ille dignitatis humanae sensus altior ac vegetior, tum Dei propitii peccatoribus fiducia, quae ut fontem potissimum agnoscunt divinam Jesu Christi disciplinam, ita ad divina quaevis sectanda calcar viresque addunt. Praeterea

ββ) singulis quoque quibusdam difficultatibus, quibus obnoxia esse queat immortalitatis fides, nervi abscinduntur a Christi et apostolorum disciplina. Pauca proferimus exempla. Quomodo

אא) fieri possit, ut animus humanus, instrumento corporeo destitutus, *vivere et agere pergat*, difficulter intelligitur. Huic vero scrupulo solvendo licet ratio ipsa non plane sit impar[38]), plenissime tamen vinci eundem videmus divina corporis resuscitandi animoque reddendi, sed *in coelestem conditionem transmutandi*, promissione, qua freti, sive ad statum usque extremi judicii diem quovis organo cariturum ponamus animum, sive aliquo tantisper, licet minus exasciato, quod nunquam deposuerit, indutum, tandem certe omni, quod supererat, perfecte vivendi agendique impedimento liberatum ipsum iri novimus.

בב) Si qui sint, quos ab amplectenda immortalitatis fide retineant rationes quaedam sive metaphysicae, sive ex rerum analogia petitae, quae, *materialem esse animum*, videantur efficere, aut

גג) *experientiae alicujus*, quae pro altera vita pugnaret, *defectus*: eorum quidem alteros ipsa illa, quam disciplina christiana gignit, firmissima ac vivacissima de humanae naturae dignitate persuasio, alteros Jesu hominis ex morte et sepulcro ad vivos reducis exemplar citius facile, quam cetera omnia, tricis suis expedient.

[Quibus cogitationibus dulcissimis repleti festos, qui instant, dies, Jesu Christi, Spiritu, quem promiserat, in suos effuso novam coelestemque vitam a se aditam exserentis, memoriae consecratos, ita, agite, celebremus, ut intimi, quo per ipsum cum altiore rerum ordine cohaeremus, vinculi memores, coelestes vires, etiam nobis oblatas, grato pioque animo amplexi, vitae divinae magis magisque capaces et compotes reddamur!]

38) cf. diss. nostrae P. I., p. 47. ss.

XII.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,

QUID

DOCTRINA DE ANIMORUM IMMORTALITATE

RELIGIONI CHRISTIANAE DEBEAT,

EX CAUSSAE NATURA ET EX REBUS FACTIS

MONSTRANS.

P. 6. ULTIMAE SECT. 3. ULTIMA.

In tertio eoque postremo argumenti nobis propositi capite (quo, quomodo in tractanda immortalitatis doctrina versata omnino fuerit disciplina christiana? exponendum, et hinc tandem, quam laudem ipsa post anteriorum temporum operas propriam sibi vindicet? concludendum nobis sumsimus) eo progressi sumus, ut 1) quam immortalitatis notionem, quam de illa sententiam constituerint, et 2) quid ad fidem ejus faciendam contulerint Christus et apostoli, pro consilii nostri ratione exsecuti [1]), jam, quomodo 3) ad *nexum ejus doctrinae cum summis omnis religionis finibus conciliandum* atque 4) *ad hominum, illa imbuendorum, ambitum disciplina christiana sese habeat* [2])? inquirere, ac *summam* denique *disputationis nostrae conficere* debeamus.

Itaque, quod

3) ad nexum doctrinae de animi immortalitate cum religionis omnis finibus conciliandum spectat, quemvis disciplinae christianae vel mediocriter gnarum assensurum esse confidimus, immortalitatis cogitationem ac fidem universae religionis caussae *intimo, quod esse posset, vinculo* ab illa copulatam et quasi contextam conspici. Quod ut luculentius appareat,

a) nolumus longiores esse in demonstrando, ipsam illam, quam Christus et apostoli stabilierint, immortalitatis *notionem*, omnemque, qua iidem usi sint, de ea *sentiendi eamque confirmandi rationem*, ita comparatam esse, ut religionis consilio apprime prospectum sit. Nam sponte id

1) v. Diss. hujus P. VI. Sect. I. et II. 1815. 1816.
2) v. P. VI. Sect. I. p. 217. s.

quidem patere arbitramur ex iis, quae in duabus antecedi tibus scriptionis nostrae particulis a nobis disputata su modo contendere illa placuerit cum ea de immortalitate d ctrina, quam in ipso hujus commentationis initio (P p. 50. s. 52. 55. s.) religionis universae desideriis maxi satisfacere posuimus. Num v. c. ad supremi Numinis in nitam sapientiam, benignitatem atque potentiam agnosc dam piaque mente venerandam, num ad excitandos nosc cum Deo ipso cognationis sensus et similitudinis cum eo s dium accendendum ullam immortalitatis notionem plus v re existimemus eà, quae animos hominum, servata per tuo sui conscientia et praeteritorum memoria, nobilissim vires sibi ingenitas atque per breve vitae terrenae spat utcunque excultas non perdituros, sed magis magisque cturos, perfecturos, exercituros, ad altiora usque cogni nis, sanctitatis puraeque beatitatis fastigia efferendos. cum organo corporeo, in morte deposito, divinae omni tentiae ope denuo, et accommodate quidem iisdem his bus, copulandos concipit [3])? An vero indubiam istam titudinem, quam immortalis illius vitae exspectationi ad vidimus Christi et apostolorum effata; an argumenta ista que alia fulcimina, quibus corroborari ab iis deprehendi vitae aeternum duraturae fidem, non ex incognitis animi netralibus, sed ex Dei justitia, sapientia, bonitate, ex geuito hominibus veri rectique studio insatiabili, denique ipso Jesu Servatoris in vitam reditu, omnipotentiae divi exemplo locupletissimo, desumta [4]), sancto religionis s silio exoptatissime respondere dubitemus? At

b) operae profecto pretium erit, curatius attend quid praeterea in hac doctrina cum summis, qui omni r gioni propositi sunt, finibus connectenda divini sacro Christianorum auctores praestiterint? Ubi

α) primum omnium facile observatu erit, quod s rius, aliud agentes, tetigimus [5]), solenne fuisse Christ apostolis, quicquid de animorum immortalitate effare

3) cf. ibid. p. 220—227.
4) cf. Sect. II.
5) Sect. I., pag. 219., II. pag. 232. s.

ad illud caput referre, quod *beatitatem aut miseriam, in altera vita aut praemii aut poenae loco eos manentem,* spectaret. Tantum enim abest, ut placiti cujusdam philosophici, in merae scientiae gratiam excogitati, instar habeat immortalitatis doctrina, qualis ab illis traditur, ut potius ubique ad officia hominum moresque accommodetur vitamque post fata immortalem sistat ejusmodi, quae repensura sit cuilibet, quidquid e judicis supremi, fallere nescii, sententia meruerit; ad quam redigenda ac moderanda sit omnis, quae degitur, vita terrena, velut ad altius quoddam curriculi stadium praeparatura cursores. Quo factum est, ut in volendo, decernendo, agendo, quid futurae conducat vitae, multo magis, quam, quid praesenti, respicere, metamque celsissimam sibi propositam intentis viribus omnibus, spretisque mundi conspicui illecebris ac molestiis, adniti suos juberet disciplina Christiana [6]). Hae tamen ipsae adhortationes, quod probe notandum erit, non eae sunt, quae tristem omnium aevi praesentis bonorum fugam, quae insanam in semetipsum saeviendi lubidinem, quae desidiosam rerum divinarum contemplationem piorumque sensorum, ut ita dicam, luxuriem, officiis socialibus inimicam, aut commendent aut foveant. Contra potius, quemadmodum beneficiis divinis, vel corpus spectantibus, grato animo frui [1 Tim. IV, 4. s.], vitae genus, quod cuique contigit, nisi singulares causae avocaverint, servare [1 Cor. VII, 17. 20. 24.], viribus a Deo concessis quibuscunque in aliorum commodum gnaviter pro muneris locique, in quo constitutus quisque esset, ratione, uti [2 Thess. III, 10—12. 1 Thess. IV, 11. s. 1 Tim. V, 3—16. Rom. XII, 4—10. 13. 1 Petr. IV, 10. s.], cum laetis laetari, cum tristibus dolere [Rom. XII,

6) vid. e. c. Matth. V, 3—12. 29. s. VI, 2. 6. 16—18. 19—21. VII, 13 s. 21—27. X, 28. 39. XVI. 24—27. XIX, 21. 29. s. XXV, 14—30. 31—46. Luc. XVI, 1—13. 19—31. Jo. III, 15. IV, 13. s. VI, 27. 32—40. VIII, 51. Rom. II, 5—11. V, 1. 2. VIII, 17—23. 24. s. 1 Cor. IX, 24. s. Phil. III, 14. 18—21. 2 Cor. IV, 16—18. Gal. VI, 7—10. Col. III, 1—4, 2 Thess. I, 3—9. 2 Tim. II, 11. ss. IV, 7. 8. Ebr. IV, 1—11. X, 35—39. XI. XII. Jac. I, 12. 1 Petr. I, 3—9. IV, 12. s. V, 6—11. 2 ep. I, 10. s. 1 Jo. II, 15—17. 28. III, 2. s. Apoc. II, 11. III, 19—21. VII, 13—17. XXII. 11—15. — Conferri vero ad hunc N. T. de immortalitate docendi modum meretur b. Jerusalem, in Fortges. Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion. p. 357. s.

15.] atque ita Deo dicari devoverique [v. 1. cf. Col. III, 17.] omnibus, qui illi probari et in aeterna ejus habitacula recipi averent (Luc. XVI. 9.), disciplinae suae asseclis sedulo inculcarunt Christus et apostoli; ita et ipsa cogitatione futurae vitae, pro meritis cuique retributurae viresque in rebus parvis fideliter adhibitas ad altiorem usque perfectionis gradum, amplioremque palaestram evecturae (Matth. XXV. 21. Luc. XIX. 16—19.), ad eadem illa officia religiose implenda non minus, quam ad animum intus purgandum sensibusque divinis immergendum, incitari illos voluerunt. Dici vero vix potest, quantopere hac, quae per omnem disciplinam Christianam dominatur, vitae praesentis ad futuram referendae ratione juvetur atque confirmetur illa potissimum animi conditio vere religiosa, qua fit, ut summo rerum omnium moderatori nosmetipsos et quaecunque nostra sunt, confidentissime, dummodo non ipsi desimus officiis nostris, committamus et in paterna ipsius voluntate, quidquid acciderit, obedienter acquiescamus, quippe qui non ex angustis hujus aevi terminis, sed ex immortali, cui obviam imus, vita aestimare sortem nostram metirique magis magisque discamus (1 Petr. IV. 19. coll. 13). Nec opus est probare, quisquis ita affectus fuerit, eum, si quem alium, sui posse compotem atque, ut in actionibus suis omnibus ad divinam boni rectique normam componendis, ita in benevolentia praesertim, vel iis, qui inimici sibi molestique sint, exhibenda constantem permanere.

At, si per singula ire liceat,

β) patebit profecto, immortalitatis doctrinam, prout in ea tractanda versati sint Christus et apostoli, *in cuncta ac singula sanctioris disciplinae capita ita sese diffundere quasi et explicare,* ut eo ipso et aditum in animos hominum ab omnibus partibus sibi aperiat religionis consilio convenientissimum, et ceteris, quae credenda ac praestanda proponuntur hominibus religiosis, mirum quantum momenti ponderisque addere. Quod scilicet

ϰ) attinet ea, quae *fidem* Christianam spectant,

aa) ipsum, quod religionis universae principium est, *de Deo, rerum omnium conditore, conservatore ac gu-*

bernatore decretum a Jesu et apostolis ita tractatur, ut intime sibi copulatam habeat vitae post mortem immortalis doctrinam. Ut enim taceamus, illam de natura Dei sententiam, quam cum saniori quocunque philosophiae genere communem habet disciplina Christiana, qua nempe *aeternus* [7]) ille concipitur esse *atque supra omnem, qui oculis conspici potest, rerum orbem immense elatus* [8]), universali sublimioris cujusdam et ab iis omnibus, quae terrestria et fluxa sint, plane diversi rerum ordinis imagini prorsus omnino respondere, eoque ipso tum *humanae* etiam immortalitatis fidem fulcire, tum ab illa vicissim collustrari atque confirmari [9]); nonne proprium hoc est Jesu et apostolorum de Deo institutioni, ut eum *remuneratorem* continuo sistant veris sui cultoribus? In quo ut notari meretur, aucto-

7) v. Rom. I, 20. 1 Tim. I, 17. (ὁ βασιλευς των αιωνων).

8) Jo. IV, 24. coll. 20 s. 23.; quem quidem locum aut a Joanne, aut a recentiore quodam Evangelii Joannei exornatore, Alexandrinae videlicet philosophiae alumno, subditum esse Servatori, non minus temere post cel. Vogelium (in l. Johannes und seine Ausleger etc.) ex templi Hierosolymitani, mox deserendi, mentione (v. 21) suspicatur, quam, si a Jesu ipso profectus esse visus fuerit, non nisi aetheream quandam pellucidamque Numinis naturam innuere contendit S. R. Kaiser (bibl. Theol. T. I. p. 120); cum et conjecturae illi Evangelii Joannei universum argumentum, auctoris in reddendis Jesu effatis sinceritatem ubique prodens, ipsiusque Christi de doctrina sua, et Judaicum et Samaritanum cultum superatura, vel naturalis persuasio (cf. etiam S. V. Süskind, Beitrag z. Verth. der Aechtheit des Evang. Joh. in promtuar. sui Fasc. IX. p. 62 ss.), et interpretationi a Viro doctissimo praelatae (quam praelaturum eum fuisse dubitamus, si Jesum Christum ultra gentis suae opiniones sapuisse recordatus esset), ne quid aliud moneamus, universus loci contextus (v. 20 s.) adversetur. — Rom. I, 20. („τα αορατα αυτου") 1 Tim. I, 17. („αορατος") VI, 16. („φως οικων απροσιτον, ὁν ειδεν ουδεις ανθρωπων, ουδε ιδειν δυναται"). Eodem sensu αφθαρτος vocatur Deus 1 Tim. I, 17. omnique, quod φθαρτον, quod corporeum ideoque corruptioni obnoxium sit, opponitur Rom. I. 23.; quod cum ita fiat, ut *simul* dicatur nequire videri, luculentius etiam patet, non ideo invisibilem eum praedicari, quod, ut veteres opinati erant, splendore igneo, homines appropinquantes necaturo, circumfusus sit (cf. Kaiser l. c.), sed, quod *per naturam suam videri nequeat.*

9) Utrumque tanto minus inficias ibit, qui meminerit, aeternitatem ac simplicitatem Dei ita quoque describi, ut diserte *immortalis*, et *solus* quidem immortalis (1 Tim. VI, 16. ὁ μονος εχων αθανασιαν), utpote qui unus ea polleat natura, quae *per semetipsam* corrumpi nesciat, perhibeatur, summamque ejus prae rebus finitis omnibus praestantiam, qua nullo alio indigeat, μακαριοτητος ipsi propriae nomine insigniri 1 Tim. I, 11. VI, 15. coll. Rom. XI, 35 s. Act. XVII, 15 s. Animi humani immortalitatem is demum firmissima fide amplectetur, qui rerum omnium principium per se immortale agnoverit; supremam vicissim naturam nemo ut fas est colet, nisi qui, vitae cujusdam immortalis cogitationi assuetus, summum ejus fastigium in illa agnoscat atque admiretur.

rem ep. ad Hebraeos cardinem fidei religiosae expressis verbis ponere C. XI, 6.[10]); ita idem per omnem N. T. doctrinam obtinere, demonstrare superfluum esset[11]). Sed aliis etiam modis doctrinae de Deo annectitur vitae post fata perennis cogitatio. Ita nimirum describitur Deus, ut vivis mortuisque dominari atque adesse (Luc. XX, 38.[12]) 2 Tim. IV, 18.[13]) Rom. VIII, 38. 39.[14])), atque ad aeternam beatitudinem veramque vitam perpetuo duraturam condidisse homines, praeparare, perducere dicatur (cf. Jo. III, 16. VI, 39 s. Tit. II, 11—13. III, 4—7. Rom. VI, 23. IX, 23. Eph. I. 3—14. II, 4—10. 1 Thess. V, 9. 2 Thess. II, 13. 1 Joh. V, 11. et alia innumera loca). Quae omnia ad summam Dei benignitatem, sapientiam, potentiam justitiamque in rebus omnibus, et humanis potissimum, instituendis, servandis et gubernandis sese exserentem tum agnoscendam plenius, tum intimo animo imprimendam, eoque ipso ad fiduciam in illo magis magisque collocandam piumque ipsi obsequendi studium alendum atque confortandum quam maxime profecto valent[15]). Quodsi

---

10) *Futuram* praesertim in altera quadam vita Dei remunerationem significari, tum ex ipso Henochi exemplo v. 5., in quo illustrando versatur v. 6., tum ex v. 1. ejusque commentario, quem totum Cap. XI. continet, satis manifestum est.

11) Liceat tamen loco omnium allegare eadem illa eflata, quae not. 6. enotata sunt.

12) „παντες τῳ θεῳ ζωσι", ut ostensum est in diss. quid in augenda immort. doctr. religioni christianae ipsi ejus conditores tribuerint? not. 16., p. 37., id sibi vult: „*omnes Deo vivi praesto sunt*"; quod sane Deum innuit, infinita qua polleat scientia atque potentia mortuos quoque, utpote vivos, complectentem.

13) Quomodocunque interpreteris singulas hujus versiculi voces; sive Jesum Christum, sive Deum patrem του κυριου nomine appellatum existimes, sive το εργον πονηρον de pravis actionibus, a quibus custodiri speraverit apostolus, sive, quod multo propius vero esse videtur (cf. v. antec.), de vitae terrestris calamitatibus aut rebus noxiis quibuscunque (cf. 2 Reg. IV, 41. דבר רע), quibus tandem se ereptum iri confisus sit, capias; Deus pater, aut Christus Deus servaturus, quicquid acciderit, apostolum atque per ipsam mortem ad regni coelestis beatitudinem manu ducturus sumitur.

14) Persuasum est Paulo, neque *mortem neque vitam*, neque angelos, neque alias ullas celsissimas potentissimasque naturas, neque *praesentia*, neque *futura*, neque superna, neque inferna, neque ullam aliam rem creatam divellere se suique similes valitura esse a *Dei amore;* itaque *vel morientes mortuosque* omnipotenti Dei tutelae subesse.

15) cf. cel. J. G. Müller in l. vom Glauben der Christen, T. II. p. 217. apposite monentem, naturae nostrae omnis ad *aeternam vitam* innova-

bb) ad ea nos convertimus, quae de naturarum a Deo creatarum *generibus* Christus et apostoli protulerunt, ipsam, quam suppeditant, *angelorum*, tanquam mentium abs terrestris materiae contagio immunium eoque potentiorum, intelligentiorum sanctiorumque, notionem valde favere et conspirare videmus doctrinae de animo humano immortali et a corporis vinculis in sublimiorem auram evolaturo [16]). Nec praetereundum est, futurae in altero aevo beatitatis sanctimoniaeque exspectationem arctius etiam jungi iis, quae de coelesti mentium sublimiorum concilio in N. T. traduntur. Ut enim ad ornatum sermonis referas, quae Jesus ipse Matth. XVIII, 10. memorat de angelis, qui ipsius cultoribus adsint, perpetuo proximoque ipsius Dei aditu gaudentibus, vel de iisdem geniis coelestibus, sententiae de fidelibus perfidisve rei suae asseclis a se olim ferendae testibus futuris (Luc. XII, 8 s. IX, 26. Marc. VIII, 38. Matth. XXV, 31. [17]));

---

tionem *divino potius beneficio* quam necessariae cuidam ipsius naturae humanae indoli tribuere ab evangelio nos doceri.

16) Nonne altiorem quendam rerum ordinem, in quo perennaturi sint hominum animi, ab hujus vitae et molestiis et voluptatibus vacui, cogitare et sumere facilius assuescet is, qui spiritus norit, quorum vivendi modo *similis* futura sit vita defunctorum hominum (ισαγγελοι γαρ εισι Luc. XX, 36)? Unde ex altera parte Sadducaeos, qui angelos existere negarunt, hominum quoque animos evanescere in morte putasse accepimus (Act. XXIII, 8. cf. diss. nostrae P. V. Sect. I. not. 24).

17) Has tamen Servatoris indictiones ne spectare quidem judicium supremum futurique aevi aut praemia aut supplicia, hactenus nequivimus a nobis impetrare ut consentiamus quibusdam nostrae aetatis interpretibus. Quod enim attinet ad media duo loca parallela invicem, vix videre nos fatemur, quomodo Marci et Lucae versiculi proxime antecedentes (Marc. v. 35 — 37. Luc. v. 24 s.), ubi *vera vita*, cui nec totus mundus lucrifactus aequiparari possit (Marc. v. 36 s. Luc. v. 25), vel vitae dispendio servatum iri, vel ipsâ mortis fugâ plane peritura esse dicitur, quod deinde illustrant probantque versus Marc. 38. Luc. 26., ad diversam auditorum Jesu Christi in excidio Hierosolymorum fortunam trahi, nec contextu nec historia reluctantibus, possint? Accedit, quod et eorum partem, quae his ipsis versiculis postremis a Christo praedicuntur, in exiliorem certe sensum, ab ipsis formulis nimis superatum, vertere oporteret, si in reip. Judaicae excidio eventum habuisse existimentur. Quaenam scilicet tandem erant praemia illa, quibus distribuendis veros sui cultores isto tempore suos publice professus sit Jesus? Facilius, si quid sentimus, erit, statuere, licet postremum adventum suum his versiculis spectaverit Servator, sequentibus (Marc. IX. 1. et Luc. v. 27.) ad priorem, tanquam praenunciam illius arrham regnique a se capessiti documentum, ab eo provocari. Locus Luc. XII. 8 s. lucem nanciscitur ex iis, de quibus modo vidimus; de ultimo, Matth. XXV, 31. conferri velimus, quae

negari tamen vix poterit, ex ipsis Servatoris nec non ex apostolorum sermonibus elucere notionem arctioris cujusdam angelos inter atque homines consortii, quo fiat, ut illis res horum omnes, et eae potissimum, quae ad aeternam ipsorum salutem pertineant, curae cordique sint (Luc. II, 13 s. XV, 10. 7. 23. 25. coll. XVI, 9. 1 Petr. I, 12. [18])), ut illorum ministerio ad horum salutem promovendam vel summus rerum omnium moderator utatur (Ebr. I, 14. [19])), ut denique Christi asseclae, ad filiorum Dei dignitatem strenue annitentes, cum illis, tanquam unius, cui et ipsi adscripti sint, familiae membris, in patriis coeli sedibus (Ebr. XI,

---

dicta a nobis sunt in diss. hujus P. VI. Sect. I. not. 8., quorum ne ea quidem ratione, quam S. V. Schott in commentat. quo sensu Jesus apud Matth. c. 24. etc. adventum suum in nubibus coeli futurum nuntiaverit? Jen. 1815. p. 17. iniit, perpensa etiamnum nos poenitet. Quae enim dicuntur vv. 34. 41. et maxime v. 46., nihil sibi velle, nisi hoc: „tum (ubi majestas mea excidio Hierosolymorum totiusque Judaismi, magnisque rerum mutationibus religioni meae atque ecclesiae saluberrimis declarata fuerit) eorum quoque omnium, qui vobis (apostoli etc.) parum consuluerint, pariter atque eorum, qui erga vos liberales ac benefici fuerint, sortem in perpetuum *definiam*," ita quidem, ut haec ipsa sortis diversae definitio in eo solum consistat, quod tum et ipsi luculentissime *intellecturi*, et alii omnes visuri sint, illis κολασιν, his ζωην αιωνιον expectandam esse (quomodo et S. R. Eckermannus uno saltim loco, Handb. der chr. Glaubensl. T. III. p. 715. explicari posse verba ista arbitratus est), nos eo minus persuadere nobis possumus, cum sors, in ipso jam reip. Judaicae excidio rei Jesu Messiae vel asseclis vel hostibus eventura, *ex qua auguranda demum sit* diversa vel beneficorum in doctores evangelicos vel illiberalium in aevo aeterno fortuna, *ne verbulo quidem in omni orationis contextu significetur*, itaque ea, quae v. 34. 41. 46. indicuntur, ad ipsum illud, quod vv. 31 — 33. spectatur, tempus referenda esse videantur. Add. S. V. Süskind commentat. über die Aussprüche Jesu, in welchen er sich die Auferweckung der Todten, das allg. Weltgericht u. ein Reich am Ende der Welt zuschreibt, Magaz. fasc. X. p. 167 ss. et S. R. Wurm, collegae et fautoris aestumatissimi, obss. ad dijud. S. R. Keilii sentent. de argum. loci Matth. XXV, 31 — 46. not. 27.

18) Φιλων, in aeternas sedes discipulos Jesu recepturorum nomine tum ipsum Deum, tum vero genios coelestes innui, nobis quidem nexus parabolae hujus cum antecedentibus, XV, 4 — 7. 8 — 10. 11 — 32., in quibus Dei coelitumque omnium de quocunque peccatore resipiscente laetantium imago repetitis vicibus (cf. et v. 23 s.) redit, persuadet.

19) σωτηριαν h. l., ut plerumque in N. T., esse *futuram in altera vita* beatitatem, tam ex ipsa formula: τους μελλοντας κληρονομειν σωτηριαν, quam e descriptione mox sequente (C. II, 3. 5 ss.) colligere licet. Ipsorum vero angelorum ministerium, quo inferiores Jesu Christo arguuntur, ad ea, quae aeternae hominum saluti inserviant, ideo disertis verbis refertur, ut Christianorum ad tantam felicitatem vocatorum dignitas, in qua praedicanda totus est auctor, eo luculentius simul elucescat.

14 — 16) consociatum se tandem iri jure meritoque sperent (Eph. III, 15. I, 20 — 22 Ebr. XII, 22 s.[20])). Verbo

cc) tangimus, iis etiam, quae de *primorum hominum lapsu ejusque effectibus in omne genus humanum redundantibus* in N. T. proferuntur, hominis ad immortalem vitam creati, et, licet corporis respectu ea careat, animo tamen nunquam perituro gaudentis notionem non parum foveri atque altius infigi religionis christianae cultoribus. Quis enim, cui, sive rationis sensusque moralis prosperius ex culti beneficio, sive doctrinae ope illuxit semel spes immortalitatis, non confirmatum in ea sese sentiat, ubi omnium, quibus et pressi sunt unquam et premuntur mortales, malorum, quid? quod ipsius mortis scaturiginem malo potius morali, quam naturae, a creatore illis inditae, inesse cogitaverit? Quomodocunque scilicet interpretandum existimes locum in hac caussa palmarium Rom. V. 12 ss. aut similes (Rom. VI, 23. VIII, 10. 1 Cor. XV, 21 s.), ad sempiternam felicitatem conditos homines non nisi peccato interveniente miseriae et morti poenae instar habenti succubuisse contendi fatearis necesse erit[21]). At haec ipsa reputans nonne proclivior eris ad vitae aeternae promissum toto animo amplectendum, utpote quod naturae tibi insitae prorsus concinat[22])? — At

---

20) cf. ad h. l. b. Storr Brief an die Hebraer, erläut. not. t). Add. omnino b. Noesselt commentat. de una Dei in coelis terrisque familia, in exercitatt. ad ss. ll. interpretationem pertinentibus, p. 169 ss.

21) Vix monitu opus est, proxime omnium immortalitatis exspectationi fulciendae eam horum locorum interpretationem respondere, juxta quam homines omnes, nisi peccasset Adamus, ab omni morte per ipsam naturam suam immunes futuri fuisse dicerentur. Sed si vel maxime dubites, an forte hoc tantum sibi voluerit apostolus, ut homines Adami peccatoris exemplum sequentes morte, tanquam poena, affectos, licet et natura mortales, poneret; immo, si mortis nomine miseriam universim significari suspiceris (quorum certe posterius nescimus, qua veri specie cum interpretationis historico-grammaticae legibus et loco 1 Cor. XV, 22 s. conciliaveris; cf. inprimis S. V. Schott in commentat. qua in veram ap. Pauli sent. de comm. mor. necessitate ex Ad. peccato oriunda e loco Rom. V, 12 — 14. recte eruendam inquiritur Witteb. 1811. p. 7 ss.), negari tamen consentiet homines ad mortem verae calamitatis loco habendam creatos.

22) cf. quae superius dicta sunt de Dei creatoris notione in N. T. obtinente, p. 254 s.

dd) si eam potissimum disciplinae christianae partem contemplemur, quae arx ejus omnis atque summa recte praedicatur esse, doctrinam dico *de ipso Jesu Christo generis humani servatore*, quot, quaeso, et quam validis vinculis illam cum immortalitatis fide contextam, quot et quam gravibus modis ad eandem fidem religionis universae desideriis accommodandam conferre deprehendemus? Ipsam Jesu tanquam generis humani *servatoris* notionem quis nescit, ad *alterius* praesertim *vitae*, conditionisque, qua tum usuri simus, cogitationem spectare, et ipsi superstrui? Quis doceri demum egeat, σωτηρα dici Jesum, quod *vitam s. beatitatem aeternam* procuret (Joh. III, 16. XVII, 3. 1 Tim. I, 15. etc.) hominibus, *venia peccatorum* suo beneficio donatis, i. e. *futuri aevi* (1 Thess. I, 10. Ebr. IX, 15. II, 14. s.) *miseria liberatis* et in gratiam divinam restitutis? Quis ea, quae de *excelsa* hujus servatoris *natura*, quae de *regno* ejus nequaquam terreno sed *coelesti*, cujus *cives* sint veri ejus asseclae; quae de eodem, tam vivorum, quam morientium et mortuorum *Domino* (Rom. XIV, 7. s. Phil. II, 10 s.) atque *beatissimi*, quem nacturi simus, in *vitam reditus* tum positae, tum resumtae vitae suae beneficio *auctore*, futuroque et vivorum et mortuorum *judice* sermones ac scripta N. T. iterum iterumque praecipiunt; quis illa ac similia religionis christianae capita ad immortalitatis fidem non modo fovendam et incitandam in animis humanis, sed etiam summis religionis finibus *applicandam* fortissime conspirare inficietur? Ne scilicet repetamus, quae prius occupavimus, cum summae Jesu, intime cum Deo conjuncti, auctoritati regnique Messiani, quale in N. T. sistitur, imagini ubique obtinenti, alterius celsioris rerum ordinis confirmationem exoptatissimam inesse moneremus[23]); neu longius exsequamur, id ipsum argumento esse, hunc vicissim vitae cujusdam altioris conceptum, gravissimis Christi et apostolorum disciplinae capitibus sese insinuantem, ad piam fidem, pia studia gignenda ac roboranda, iis intercedentibus haud

23) cf. diss. huj. p. VI. Sect. 2., p. 236. et 231. s.

parum facere; quaerere saltim liceat, an esse quidquam possit, quo magis ad divina quaeque sectanda iisque totum se consecrandum erigatur animus, quam sublimis illa regni, a Deo ipso inter homines conditi, mentesque sanctas omnes tum in terris tum in coelis complectentis imago? annon vitae post fata perennis exspectatio, cum certissima gratiae divinae, peccatoribus vere resipiscentibus recuperatae, fiducia consociata, ad voluntatem vitamque emendandam Deoque devovendam multo magis valeat, quam, si destituta sit conditionis, a peccatoribus ad frugem redeuntibus sperandae, notitia? annon ea vim longe majorem hauriat ex *animi grati atque amantis studio* in ipsum Jesu Christum, cujus et doctrinae et exemplo et morti atrocissimae, sponte subitae, et, qui hanc insecutus est, in vitam reditui, quicquid in illa spe maxime laetabile sit, maxime debeamus, quemque eundem judicem ac brabeutam tandem appariturum veneremur? Quo accedit

ee), quod nec ea, quae *de Spiritus Sancti in mentibus hominum efficientia* docent sacrae Novi Testamenti literae, in animis nostris ad ardua quaevis atque divina excitandis et confirmandis vitae aeternae, nobis promissae, adjumento carere sinantur a religionis nostrae disciplina. Ipsum enim, quo gaudere dicuntur Christiani, Spiritus divini potentissimum auxilium, nobilioribus quibusque naturae humanae viribus *vitam* instauratis et adversus sensuum corporeorum impedimenta affectuumque impetus robur et alacritatem addens, nonne vitae coelestis, ab eodem, unde proficiscitur, Patre nobis impertiendae, *pignus* et omnipotentiae divinae, in nobis ipsis ex pulvere resuscitandis ac perfectissime beandis sese exserturae, documentum appellatur (Rom. VIII, 11. 16. s.[24]) 2 Cor. I, 22. V. 5. Eph. I, 13. s. Gal. IV, 6. s.)[25])? Denique

---

24) In hoc loco licet plerisque nostrae aetatis interpretibus (cf. S. V. Ammon in ep. ad Rom. a b. Koppio illustratae ed. II. a se curata et clariss. Boehme in ep. eadem cum comm. perp. ed., aliique) probari sciamus eam interpretationem, quam Lockius et Heumannus praeiverant, ut nimirum de *morali* tantum suscitatione loqui ponatur apostolus; nobis tamen tum omnis

ff) si animum attenderis ad eas Jesu et apostolorum doctrinas, quae cum immortalitatis vitaeque vel corporibus humanis reddendae decreto proxime cohaerent, doctrinam scilicet *de hominum, vere piorum praesertim, in altero aevo conditione et de consummatione seculi*, facile profecto fateberis, harum etiam ope gravissimo isti decreto cum religionis universae finibus conciliando magnopere consuluisse disciplinam christianam. Quod enim

αα) attinet ad *conditionem*, qua usuri sint in altera vita pii praesertim homines et vere Christo addicti, licet in ea delineanda nequaquam nimii sint Christus et apostoli, cum, quae vel revelata capi nequeant ab animo, mundi visibilis sensuumque ei aptorum cancellis circumscripto, nec describere conentur, ac consulto, ut videtur, caveant, ne, alterius aevi deliciis ad vivum resecandis, immortalitatis fides in inanem phantasiae lusum evagetur; licet disertis verbis moneant, *appariturum demum suo tempore esse, qui et quales futuri sint veri Jesu cultores* (1 Jo. III, 2.); pauca tamen illa, quibus, quasi δι' εσοπτρου eminus conspici sinunt futuri rerum ordinis scenam, ita comparata sunt, ut ad animos, excelsioris vitae desiderio, amantissima Dei veneratione puriorisque sanctitatis studio implendos non possint non conferre quam plurimum. Praeterimus, quae ad ipsam immortalitatis *notionem*, ab illis constitutam, propius pertinere videntur, quippe quae superius (Sect. hujus diss. nostrae partis I., p. 224. ss.) occupavimus, *expeditissimos praesertim in veri cognitione et in virtute progressus* regni coelestis incolis portendi monentes. Sed quis non meminerit hoc loco eorum, quae de bonis malisque tandem *separandis* invicem (Luc. XVI, 26. Matth. XIII, 24—30.

---

argumentationis apostolicae processus (cf. v. 9. 10. 17. s.) tum, quae inter versic. 11. et anteced. intercedit, ratio, ac των ζωντων σωματων cum τῳ σωματι v. 10. (cui oppositum est το πνευμα) convenientia, tum denique perpetua Pauli consuetudo, ipso etiam h. l. retenta (v. 13.), ad vitam filiis Dei, spiritu actis, dignam *corporis* imbecilli *non suscitationem*, sed *oppressionem* potius et quasi *enecationem* requirendi (cf. VIII, 24. Col. III, 5.), usitatae explicationi inhaerere suadent.

25) cf. omnino b. Storr, diss. de beata vita post mortem. not. 97.

[coll. 36 — 43.] 47 — 50.), de beatis, *imperturbato sanctorum hominum* (Ebr. XII, 23. 2 Petr. III, 13. Apoc. XXII, 13.) et *angelorum* (Ebr. IX, 26. XII, 23.) *commercio*, quin *Jesu ipsius*, fratris, amici, domini vere divini, *consuetudine* (Jo. XIV, 2. s.[26]) XVII, 24. XII, 24. 26. 2 Cor. V, 8. Phil. I, 23. 1 Thess. IV, 17. 14.) ac, quod ultro inde consequitur, Dei patris *praesentissimo* beneficentissimoque favore (Matth. V, 8. 1 Jo. III, 2.[27])), quasi in familiari sedium paternarum receptaculo (Jo. XIV, 2.), fructuris docentur? Quis neget, redintegrandae etiam cum *hominibus*, *quos per terrestrem vitam inprimis caros habuimus*, consuetudinis exspectationem a Christo et apostolis instrui[28]) talem, qualis ab alendis rerum terrenarum studiis affectibusque, animalem naturam redolentibus, alienissima, ad veri, recti, divini amorem excitandum in mentibus et confirmandum accommodatissima sit? Cum nimirum dulcissimam hancce spem inde potissimum repetere liceat Christianis, quod futurum sit, ut cum ipso sanctissimo Dei filio conjuncti vivant et ipsi et sui; ut societatis sanctae

---

26) Quomodocunque interpungas jungasque invicem versiculorum 2. et 3tii partes; sive verba: πορευομαι — ὑμιν, quin sequentia etiam: και εαν πορευθω — ητε absolute, sive quod orationis ordo (cf. v. 1.) magis suadere videtur, conditionate sumenda, et cum illis verbis: ει δε μη, ειπον αν ὑμιν connectenda putes, conversationis cum divino magistro discipulis intercessuraè sponsionem subesse sermoni apparebit.

27) Licet haud ignoremus, αυτον ad Christum (C. II, 28. III, 3. 5.) referri et posse et a multis referri, sermonem tamen aptius multo procedere existimamus, si Deus, cujus filii nuncupantur Christiani („νυν τεκνα θεου εσμεν") is esse dicatur, quem ipsi, qualis sit, visuri, et cujus *similes* („ὁμοιοι" cf. Matth. V, 44. s. Jo. VIII, 38. ss. et al.) aliquando evasuri sint. Cf. ad h. l. Grotium et b. avum.

28) Nos quidem, ut persuasissimum habemus, dulcissimae huic spei omnem et doctrinae Christianae universae, et eorum praesertim, quae de futuro aevo ab ipsa praecipiuntur, tenorem quam maxime favere (quo non in ultimis referimus ipsum de corporibus humanis olim resuscitandis decretum, consuetudinis cum Servatore asseclis ipsius intercessurae promissum, mutuique amoris aeternum ab iis exercendi (cf. 1 Cor. XIII, 8. s.) indictionem, modo summae Dei sapientiae, segetem messi, coepta fini aptaturae, memineris); ita consulto factum esse arbitramur, quod non disertius etiam et frequentius de hoc argumento locuti sint Christus et apostoli. Eo scilicet cautum est, ne in futurae vitae cogitatione ad animum consolandum adhibita iis potissimum inhaererent homines Christiani, quae peculiaribus privisque desideriis suis arriderent quam maxime, et a sectanda ipsius Christi ac Dei similitudine plus minusve avocarentur.

communione perficiantur perpetuo atque beentur, qui digne illo vivere in his terris annisi sunt; ut denique bene coepta praeclare absolvantur (Jo. XIV, 2 ss. XVII, 24. 1 Thess. IV, 17. et al. loca modo allata); vix sane dubio locus fuerit, quo fortior teneriorque in ipsis sit suorum amor, quo majus horum sibi aliquando reddendorum desiderium, eo magis augeri iis et intendi oportere verae pietatis, cum Servatore ipsos consociaturae, tum in se, tum in suis quovis modo alendae, studium (1 Jo. III, 3.), ipsumque illud dilectissimorum hominum desiderium coaliturum esse cum indefessa sese suosque communi in superiore rerum ordine beatitati praeparandi cura. Denique, quae *de hac mundi visibilis compage finem aliquando habitura* effati subinde sunt religionis nostrae conditores, tantum abest, ut vanis terroribus percellere possint eorum animos, qui divinae disciplinae totos se addixerunt, ut potius, *cum vitae aeternae promisso intime contexta*, erigant illos ad supremi rerum omnium domini venerationem fiduciae plenam atque ad conditionis praesenti terrena longe praestantioris praesensionem vivacissimam, novum coeli terraeque opus, tanquam sedem beatis sanctisque dignam, ex veteris ruina, velut e cineribus phoenicem, Deo jubente, proditurum sistentia (2 Petr. III, 7—13.[29]) Apoc. XX, 11. ss. XXI, 1. ss.

---

29) Petrum, modo, quod proxime a vero abest, auctor epistolae sit, non ponere per συγκαταβασιν, sed docere omnino, mundi visibilis compagem, et terram et ceteros orbes coelestes (τα στοιχεια cf. Hammondum et Clericum, et Gnomonem Bengel. ad h. l. add. b. Storr in Lehrb. der chr. Dogm. §. 61. not. 17.) complectentem, ignea eversione dissolutum iri, novoque mundo cessuram esse, omnis orationis habitus testatur. Neque persuadere nobis possumus, non nisi tropice haec capienda atque de magna rerum conversione, in Hierosolymorum excidio eventura intelligenda esse (cui opinioni, a Wetstenio, Hammondo aliisque propositae, nuperrime etiam b. Jahn, in libro, quem edimus, periodico, Arch. f. d. Theol. T. II. p. 387. ss. calculum suum, licet dubitantius, adjecit). Praeter alia enim complura, quibus prohibiti nobis videmur esse, quo minus similes audacissimas imagines, quibus V. T. prophetae magnos regnorum populorumque casus adumbrare soliti sint, loco nostro interpretando adhibeamus, id potissimum perpendi velimus, futurum mundi per *ignem* excidium vv. 6. s. terrae per *aquam* eversioni, in facto positae, *opponi* ab auctore (quod vix facturum illum fuisse existimemus, si illud ipsum pro magnae rerum sacrarum politicarumque conversionis mera imagine habendum esset), eandemque plane descriptionem etiam v. 12. repeti („δι' ἣν ουρανοι πυρουμενοι λυθησονται, και στοιχεια καυσουμενα

Rom. VIII, 19. ss.[30]) coll. Matth. XXIV, 3. XIII, 39. s. 49. XXVIII, 20.[31])).

τηκεται") nec sane probabile esse, Petrum, sive alium ejusdem fere aetatis auctorem, de tempore, quo excidium Hierosolymorum expectandum esset, tam incertum fuisse (v. 8. s.). Cf. b. Seiler commentat. in locum Petri 2 ep. III, 10. et 13. Erl. 1792. p. 6. ss.

30) Cf. ad h. l. b. Koppe, b. Storr l. l. not. 16. et J. F. Flatt, Colleg. et Patroni pie venerandi, annott. ad loca quaedam ep. ad Rom. p. 6—18. Verisimillimam scilicet habere necdum desiimus eam loci nostri interpretationem, qua *omnem rerum creatarum*, vel rationis vitaeque expertium, *universitatem* tempus gloriae, veris Christianis solenniter tribuendae, summo cum desiderio exspectantem, tandemque a fragilitatis suae, cui ingemiscat, servitio in libertatem felicissimam vindicandam inducere sumitur apostolus. Quae enim recentissimi nonnulli interpretes opposuerunt dubia, ea non tanti momenti existimamus esse, ut ab ista sententia, et loquendi usui convenientе et contextae orationi omnium, si quid videmus, convenientissima, nos dimovere debeant. Quod loquendi usum attinet, a S. R. Ammon (in Exc. F. ad suam ep. ad Rom. a Koppio illustratae ed.) κτισεως vocabulum rerum creatarum *complexum* in N. T. designare tantum non negari, miramur, cum vel loca Marc. X, 6. XIII, 19. 2 Petr. III, 4. (quibus ex apocryphis V. T. conferri possunt loca Sap. V, 17. XVI, 24) hanc significationem eo luculentius confirment, quo minus κτισιν in formula: απ' αρχης κτισεως de creatione *active* sumta interpretari cuiquam facile in mentem venturum sit. Contextum autem ideo, ut idem vir cel. autumat, repugnare, quod particula γαρ versus 19. sensum cum aerumnis του νυν καιρου, adeoque ab *hominibus* perpetiendis, conjungat, ne tum quidem concedere cogeremur, si formula του νυν καιρου ad *apostoli aetatem*, nec universim ad *hunc rerum ordinem* (hoc seculum, oppositum futuro, s. τη μελλουση δοξη) spectaret. Neque magis promissum cum coelitibus consortium v. 25. a rerum universitate, in conditionem multo stabiliorem felicioremque innovanda, abhorret. Quod denique veretur vir doctissimus, ut apostolus in epistola, ornatus poetici experte, allegoriam tam sublimem orationi ceteroquin pedestri (?) interserere voluisset, remotum jam videmus a clariss. Böhme (ad l. n.), cum affectu loqui apostolum et prophetas suos, ejusmodi picturis plenos, imitari potuisse monente; qui tamen et ipse aliis ex caussis nequaquam illis quidem gravioribus ab hac interpretatione recedit; quod v. c. vocabulum κτισις, si de mundo diceretur, vix quater recurreret, sed cum aliis, velut κοσμος, τα παντα, permutatum fuisset; quod verba: και αυτη η κτισις significent, non universitatem mundi, cujus *pars et ipsi Christiani* essent, sed *genus quoddam rerum creatarum* esse, de quo haec dicat apostolus; ubi nec scimus, quidni, si tandem ratio reddenda sit repetiti ejusdem vocabuli κτισις, caussa in eo poni queat, quod *naturalis* fragilitatis indoles aptissime illo innui videretur, nec, cur verbis: „και αυτη η κτισις" *species* potius quaedam, cui oppositi sint Christiani, quam *universus*, cui subditi ipsi sint, rerum creatarum *complexus* (πασα η κτισις v. 22.) significetur, perspicimus. Longe certe aliter visum est S. Venerando Keil, in commentat. quinam sint Rom. VIII. 23. οι την απαρχην του πνευματος εχοντες, Lips. 1809. p. 19., adversus eos, qui κτισιν illam vel de rebus creatis in universum, vel de definito aliquo hominum genere explicant, hoc inter alia argumento utenti, quod ipsi τη κτισει *subjiciantur* atque ex universa της κτισεως multitudine quasi eximantur οι την απαρχην του πνευματος εχοντες ac ipse etiam Paulus v. 23.; cui tamen et ipsi id unum liceat opponere, *rerum creatarum complexui* rectissime subjici potuisse Christianos et Paulum, quamvis sint inter illas, quae

Verum enim vero quemadmodum cum iis, quae credenda proponit disciplina christiana, multiplici ratione ab ipsa copulatur doctrina de immortalitate, ita etiam

ב) cum iis, quae *agenda* praecipiunt, arcto vinculo hoc decretum jungere soliti sunt Christus et apostoli, eoque magis summis religionis finibus accommodare. Si enim

aa) ea *ipsa* spectemus, *quae illi praestari aut vitari* volunt, haud profecto opus erit, multis ostendere, et insignem universae disciplinae christianae moralis puritatem atque severitatem, qua fit, ut vel ad *divinam* perfectionem anniti jubeat suos (Matth. V, 48. 1 Petr. I, 14—16. Eph. I, 4. Col. III, 10.) immortalem hominum naturam innuere ejusque sensum confirmare atque excitare[32]); et, ea potissimum praecepta, quibus tum ad *nostros ipsorum* tum ad *aliorum animos* divinae veritatis luce magis magisque illustrandos, perficiendos, emendandos sanctissime obligamur, sublimioris, qua animi humani gaudeant, vitamque sempiternam spondentis dignitatis testimonium continere. Quis

---

vita carcant. At *magis* etiam quam plerasque caeteras, usui loquendi, magis quam omnes reliquas contextae orationi respondere hanc interpretationem, facile fatebitur, qui consideraverit, quae adversus eam rationem, qua vocabulo κτισεως Judaeo-Christiani, nominatim Palaestinenses, designati putantur, a S. V. Flatt (l. c.), aut adversus b. Nösselt, eandem vocem de Christianis antea ethnicis explicantem (comm. ad loc. P. Rom. VIII, 19. s. in opusc. Vol, I. nr. V.) a S. V. Ammon (l. c.) monita sunt, ac perpenderit simul, vix perspici, cur verba: ουχ εκουσα αλλα δια τον υποταξαντα" addiderit apostolus, nisi futuram prosperrimam rerum omnium conversionem inde etiam augurandam praeire in mente habuisset, quod *omnis rerum creatarum universitas*, maximam partem *nulla sua culpa*, sed mera creatoris voluntate, fragilitati atque miseriae (τη ματαιοτητι coll. φθορα v. 21.) obnoxia sit. *De hominibus* in universum (quos κτισεως nomine designari *potuisse*, Ammonio et Keilio, VV. S. VV. quisque concedet) supervacaneum fuisset monere, ουχ εκοντας ipsos τη ματαιοτητι subjectos fuisse. — Quae si valeant; luculentius hoc loco, quam ullo alio, universi mundi prorsus aliquando immutandi innovandique notionem cum immortalitatis et vitae aeternae exspectatione compositam et contextam esse, monere non opus erit.

31) „συντελεια του αιωνος" nusquam in N. T., quantum nobis quidem cognitum est, aliud quidquam, nisi *mundi praesentis finem* denotat, nec ab auctoribus lectoribusque, Judaicis notionibus assuetis, aliter intelligi potuit. Neque excipimus inde locum Ebr. IX, 26., quamvis ibi temporis spatium *mundi finem proxime antecedens* (Messianum), significatum esse concedamus, cf. ad h. l. b. Storr.

32) cf. Diss. huj. p. VI. 2., p. 244.

porro in *precandi* officio a Christo et apostolis tam graviter commendato immortalitatis humanae cogitationem eo fortius expressam esse neget, quo constantius illi a rebus mere terrenis ad coelestes precantium pectora revocant et, fluxarum opum voluptatumque loco, aeterna beneficia expetere docent (Matth. VI, 9. 10. 12. 13. Luc. XI, 9—13. Eph. VI, 18—20. et al.)? Quis in duobus unicis *ritibus sacris*, a Servatore institutis, ejusdem de animis hominum ad aeternitatem conditis doctrinae vestigia et manifesta satis et ponderosa desideret? Ut enim *baptismo* regenerandi quasi et regni coelestis civitati initiandi esse docentur homines naturali quidem sua origine imbecilli, vitiosi, mortales (Jo. III, 3. 6.), ut, quotquot sacro hoc lavacro imbuti sint, novam quasi naturam, Christi scilicet, filii haeredisque Dei, induisse (Gal. III, 27. 29), mortem et sepulturam cum ipso exantlasse et alterius, ad quam ipse emersus est, ejusque aeternae vitae participes redditi (Rom. VI, 4. Col. II, 22), verbo, salutem nacti (Tit. III, 5—7. 1 Petr. I, 21) esse praedicantur; ita *sacras epulas*, quas in sui memoriam celebrandas discipulis, quousque reventurus esset, mandavit, non universim modo peccatorum veniae, morte ipsius obsignatae, et, quae huic cohaeret, beatitatis coelestis, monumentum esse voluit (Matth. XXVI, 28.[33]) Marc. XIV, 24. Luc. XXII, 19. 20. 1 Cor. XI, 24—29.[34])), sed intimi praesertim, quod se, e coelis aliquando rediturum (1 Cor.

---

33) Verba εις αφεσιν ἁμαρτιων vel ab ipso Matthaeo (cf. S. R. de Wette de morte Chr. expiat. p. 99.) vel a recentiore manu (cf. cel. Stephani in commentat. das heilige Abendmahl, Landsh. 1813.) interpolata habendi, caussa idonea desideratur. Quod scilicet ab uno Matthaeo memorantur, inde satis explicari potest, quod Servatori ritum instituenti ipse adfuerat; ceteris vero verbis, quibus Jesus mortem suam cum sacrificio *foederis* comparat, illa convenire nemo dubitaverit, qui vel id unum meminerit, ipsi novo foederi, sanguine suo sanciendo, eam revera vim ab illo tributam esse, ut homines a peccatorum miseria liberaret (cf. ipsum doctiss. de Wette, p. anteced., et multa N. T. loca); ne dicamus, foederalia quoque sacrificia piacularium quodammodo rationem habuisse, cf. Exod. XXIV, 6.

34) Sacram coenam salutis aeternae suis impertiendae monumentum esse voluisse Servatorem, non minus recte exinde, quod *corpus suum*, *pro illis immolandum*, *sanguinemque*, *pro illis effundendum*, pane vinoque porrecto indigitavit, et quod de *novi foederis* poculo locutus est, quam ex verbis illis: εις αφεσιν ἁμαρτιων, colligere licet.

XI, 26), cum suis, plane tum beandis, conjungat, vinculi eoque ipso beatae immortalitatis testimonium (cf. Matth. XXVI, 29. 1 Cor. X, 16). At

bb) minime etiam hoc negligendum est, in *argumentis stimulisque*, quibus ad servanda praecepta sua et cuncta et singula movere et incitare animos hominum solent religionis nostrae conditores, primas partes habere immortalitatis et futurae beatitudinis fiduciam. Ubicunque enim in hoc negotio aut ad *Dei* sanctissimi, *ejusdemque patris benignissimi voluntatem;* aut ad *Servatoris,* vel acerbissima pro peccatoribus morte defuncti, immensum *amorem* ejusdemque, per extremas calamitates ad summam beatitudinem et majestatem evecti, *exemplum* provocant (quod quam frequenter fiat, non est, quod moneatur), nunquam non subesse deprehenditur vitae post mortem beatae, hominibus promissae parataeque, valentissima cogitatio; eamque ipsam disertis verbis ad veram constantemque virtutem commendandam adhiberi, supra jam (p. 253. s.) generatim occupavimus. Sunt tamen et singula quaedam officiorum genera, quae rationibus ab immortalitate et aeterna salute tum nos tum alios manente petitis fulciantur. Ita *benevolentiam, misericordiam, observantiam, hominibus,* quibuscum vivendum est, *vel vilissimis praestandam,* et illud inprimis veri amoris specimen, quo *religiose cavetur, ne quid detrimenti capiat fides virtusque aliorum,* non uno loco inde potissimum injungi Christianis videmus, quod vel infimus mortalium saluti sempiternae regnique divini consortio Christi morte vindicatus sit (1 Tim. II, 1 — 3. Eph. IV, 4. 1 Joh. III, 16. Matth. XVIII, 11 s. Rom. XIV, 15. 1 Cor. VIII, 9 — 11). Ita cum Christianos et *corpus* suum sanctum habere atque ab omni impudicitiae macula intactum servare monet Paulus, meminisse eos jubet, eum, qui Christi Domini corpus in vitam revocaverit, ipsorum quoque corpora resuscitaturum aliquando esse (1 Cor. VI, 14. cf. II. ep. VI, 16 — VII, 1. Eph. V, 5). Quid denique multis celebremus, quantum sit, quod disciplina christiana ad *miserorum ac morientium* animos forti, quae Christianos

decet, *constantia patientiaque* instruendos ipsius doctrinae nostrae ope conferat? Quomodo illa, et Christi mortui redivivique exemplo proposito, et certissima summae beatitatis, qualiacunque vitae mala ac detrimenta compensaturae, promissione ubique repetita vel *mortem lucri habere, quin oppetere*, dum Dei fatum, dum singulorum aut patriae amor, dum fidei religiosae sanctitas imperet, extremisque periculis imperterrito animo obviam ire, aerumnas, molestias ac calamitates longissimas acerbissimasque pie tolerare doceat (cf. Matth. V, 10—12. X, 28. Phil. I, 21—23. Rom. VIII, 18. 32—39. 2 Tim. II, 12. et alia innumera loca)?

Jam vero, quemadmodum in ipsa de animis humanis immortalibus notione atque sententia stabilienda, in fide ejus rei facienda, atque in eadem doctrina cum summo religionis omnis consilio conjungenda egregie meritos esse deprehendimus sacrorum Christianorum auctores, ita haud minorem profecto laudem jure sibi iidem vindicant, ubi

4) *ad ambitum hominum, illa doctrina imbuendorum*, respexeris. Tantum enim abest, ut immortalitatis, quam illi praeiverunt, fides intra *scholae* cancellos reclusa manserit vel manere potuerit, ut potius permagnae integrorum populorum multitudini, a primis in de rei Christianae temporibus usque ad nostram hanc aetatem sese insinuaverit. Quoquo scilicet sese effudit extenditque doctrinae Servatoris omnis notitia, eo penetravit immortalitatis quoque fiducia certissima, hominumque tam excultiorum eruditiorumque, quam *minus sapientium rudiorumque* animos intravit. Quod eo minus mirabitur, quicunque recordatus fuerit, quanta sit et quam accommodata vel vulgi ingenio facilitas illa, qua in tradendo decreto gravissimo usi sint Christus et apostoli; quotuplicibus quamque fortibus vinculis eam ipsam doctrinam cum cunctis singulisque, quae agenda aut credenda praecepere, connexuerint (quo factum est, ut et a nemine religionis christianae non ignaro praetermitti illa posset, et cuique animo, religionis omnino capaci, eo magis sese commendaret); quid porro valeat divina

illa, qua cum omni Christi doctrina et haec ejus pars sancita apparet, auctoritas (cf. Sect. antec., p. 235. ss.) quid denique tribuendum sit illi religionis Christianae virtuti, qua fit, ut sui asseclas ad *tenerorum* etiam animos luminibus ipsius initiandos moveat (cum dici vix possit, quantum ad propagandam et conservandam decretorum sacrorum cognitionem conducant aetatis puerilis iis instruendae publicae privataeque curae, christiano coetui propriae). Accedit, ut vel rationis in argumento hoc tractando opera magnum e religionis christianae fide, philosophantium mentibus dudum impressa, commodum traxerit; quod, si nulla re alia, eo sane ipso confirmatur, quod eos, qui isti religioni infensissimi essent, plerumque alterius quoque vitae exspectationem in dubium vocasse dulcisque somnii loco habuisse meminimus [35]); quid dicam? ut hominum populorumque, ad quos immortalitatis fides religionis christianae beneficio pervenit, multitudinem aestimaturis non liceat intra ecclesiae christianae utut amplissimos limites consistere, sed *ceteras quoque gentes*, in rebus ad religionem pertinentibus a Christiana doctrina plus minus, sive recta, sive indirecta via mutuatas (illas v. c. omnes, quae Muhamedis sacra sequuntur) inferre rationibus fas sit.

Haec ipsa, agite, sine ira et studio nobiscum reputemus. Contemplemur simul christianae de immortalitate futuraque vita doctrinae *puritatem* ac *perfectionem*, et summorum veteris orbis philosophorum, Socratum Platonumque [36]), et sapientissimorum, quos proximis ante Christum

---

35) cf. b. Jerusalem, l. c. p. 362.

36) Socratem vidimus (P. III., p. 106 s.) etsi morali naturae humanae praestantia ductus ad animorum perennitatem credendam magnopere inclinarit, eamque talem cogitaverit, qualis menti intelligenti conveniret, tamen et parum omnino operae huic doctrinae, ideoque ipsi quoque immortalitatis notioni, stabiliendae impendisse, et de sola animorum, corpore solutorum, vita perpetuo duratura, non de ea animi immortalitate, quae organi quoque corporei recuperationem, summis animi finibus convenientem, junctam sibi habitura esset (cf. P. VI. Sect. I., p. 225. ss.), cogitavisse; Platonem, li-

ilis vel *Judaeorum* natio habuit, auctorum [37]) decreta, *ıystarum* praecepta [38]), ne dicam, populorum veterum cultissimorum opiniones [39]), non aequantem modo sed erantem. *Indubiam*, quam religio christiana praestat, *us rei certitudinem*, et divina, qua illa pollet, auctori-, et Christi in vitam reditu, et argumentis fulciminibus-, ex ipsa cujusque hominis mente depromtis, nixam at- confirmatam (cf. Sect. antec.) contendamus, quaeso, cum ;no, qui olim obtinuit, celebratissimarum sectarum sin- ›rumque philosophorum illustrissimorum de hac caussa ensu (cf. P. IV. et V.), cum argumentorum, quibus vel- issimi defensores usi sint, argutia et infirmitate [40]), de- ıe cum auctoritatis divinae, ex evidentibus rationibus oscendae, defectu, quo haec doctrina apud Hebraeos [41]), quam a plurimis eorum recepta esset, ut apud Persas osque [42]), laborabat. Recolamus denique, quam *arctis 'tiplicibusque vinculis* gravissimum hoc decretum *cum ıibus et singulis religionis theoreticae et practicae ca- bus*, *summoque ejus consilio* conjunxerint, omnique clarum suorum et fidei et vitae quasi implicaverint Chri- et apostoli (quod secus se habuisse vidimus in quocun- alio religionis vel philosophiae antiquo genere). Quo ɔ nulli profecto dubitabimus, divinam Evangelii prae- tiam in eo nominatim cerni apertissime, quod, ut in- apostolus, ζωην και αφθαρσιαν in lucem protraxerit, pal- ıque illi et in hoc argumento, prae omnibus ceteris re- ıum generibus, jure meritoque deferri.

ı adstruenda animorum immortalitate sedulo et acutissime allaboraverit, am tamen vel ipsius de ea notionis partes gravissimas neglexisse, va- magination is lusus, ut μετεμψυχωσεως commentum, cum ea contexuisse ıumma alterius vitae beatitudine quodcunque corporeum confidentissime diosissime removisse (P. IV. Sect. I. p. 114 — 119).

37) cf. P. V. S. II. p. 212.

38) cf. P. III. p. 89 — 97.

39) cf. de *Aegyptiis* P. I. p. 65 s. de *Indis*, *Persis*, *Phoenicibus*, P. II. ss. 81 ss. 84 ss. de *Graecis* ac *Romanis*, P. I. p. 61 ss.

40) cf. quae de Platone dicta sunt P. IV. Sect. I. p. 114 ss.

41) cf. P. V. Sect. II. p. 213. s.

42) cf. P. II. 78. 83.

[Quod reliquum est, Cives, ut divini Spiritus vires, divinam Servatoris doctrinam comitantes, eamque illustrandis, erigendis, emendandis animis nostris applicantes, festis etiam, quos ingredimur, diebus admoniti, religiosissime foveamus et in rem nostram vertamus, ipsa naturae nostrae ad aeternitatem conditae conscientia compellemur.]

XIII.

NTERPRETATIO LOCI PAULINI

ROM. II. 11—16.

Locus, quem, quantum temporis occasionisque rationes permiserint, illustrare constituimus, sicut cum universo epistolae, cui inest, argumento et consilio gravissimo intime cohaeret, ita in paucis illis N. T. locis, quae naturalem legis moralis ipsiusque religionis notitiam hominibus insitam spectant, primas facile tenere merito censetur. Quod ipsum quamvis in confesso cernamus esse, minus tamen in eo convenire deprehendimus interpretes, an illa quoque religionis naturalis pars, quae ad spem hominum, ultra vitae terrenae terminos protensam, pertinet, disertius hic respiciatur. Nobis vero cum ita esse, et ex hoc ipso novum loco nostro momentum accedere videretur; magis etiam propendimus ad hanc scriptionis materiem eligendam.

Jam I. quinam sit periochae nostrae cum priore et sequente epistolae tractatione nexus, non est quod diu anquiramus. Orsa erat tractatio omnis C. I. 16. 17. a generali ista, quae universae epistolae fundamenti instar substrata est, sententia: evangelium vi quadam singulari et plane divina pollere ad salutem impertiendam omnibus, qui crediderint, sive Judaeis (quibus primis illud annunciari oportuerit), sive Gentilibus; pollere autem vi illa salutari eo ipso, quod Deum fidelibus [1]) ipsius fidei caussa propitium

1) Formulae: „ἐκ πιστεως εις πιστιν" prae omnibus aliis placeret interpretatio illa, quam post Lockium (Paraphr. Erklär. und Anmerkk. über Pauli Briefe etc. übers. v. Hofmann, T. II. p. 20.) et Wolfium (in Curis ad h. l.) b. *avus* (in Gnom.) et b. Schmidius (Annott. in ep. P. ad Rom. Lips. 1777) praetulerunt: „*ex mera fide;*" „*nonnisi ex fide;*" quippe quae et verborum ordini et universo apostoli consilio apprime concineret. Sed cum sit, quod dubitemus, an ea usu loquendi satis confirmari queat (quae enim in hunc finem afferuntur, loca 1 Chron. XVII. 5. Rom. VI. 19. 2 Cor. III. 18. non plane similia sunt); malumus acquiescere rationi eorum, v. c. Vatabli, J. A.

patefaciat. Quam sententiam rite expositurus apostolus, *primum*, homines gentiles poenis divinis obnoxios esse, ex summa, quae inter eos dominetur, religionis morumque depravatione ostendit (I. 18 — 32.). *Deinde*, transitum sensim [2]) faciens ad Judaeos (C. II. 1. ss.), nefas esse demonstrat, si quis alius, in peccando Gentilium similis, hos quidem reos judicare, semet ipsum autem ultro eximere a divinis suppliciis ausit (v. 1 — 4), quo ipso futurum esse minatur, ut ille poenas tanto graviores subeat tum, quando Deus omnibus ac singulis pro vitae gestae ratione justissime repensurus sit, non Gentilibus solis, sed nominatim etiam [3]) Judaeis (v. 5 — 10.). *Denique*, postquam divinum judicium, ut dictum esset, non Gentiles solos, sed eos potissimum, qui lege scripta gauderent, manere, ulterius confirmasset (v. 11 — 16.), diserte infert, *ipsos Judaeos* non minus, quam Gentiles, sed magis etiam in culpa esse; quod, varia, quae Judaeum ingenium movere possit, dubia resolvens, a v. 17. usque ad C. III. v. 20. exequitur.

Ernesth (in Anmm. über die Bücher des N. T. Leipz. u. Quedlinb. 1786) Zachariae (Paraphr. Erkl. des Briefs an die Römer), Mori (Praell. in ep. P. ad Rom. ed. Holzapfel), S. V. Schleusneri (in Lex.), S. R. Stolzii (in vers. N. T. vernac.) etc., qui voculas: „εις πιστιν", abstracto pro concreto posito, idem esse censent quod: „erga fideles s. in fidelium gratiam", easque ab apostolo ipso C. III. 22., quo loco sententiam nostri resumat, explicatas deprehendi verbis: „εις παντας και επι παντας τους πιστευοντας." In interpretatione, quam post Fr. Junium, Jo. Crellium, Heumannum etc. suam fecerat b. Storrius (in diss. II. in ep. ad Col. not. 68. et in rel. chr. P. theor. §. 121. not. d): „manifestatur in evangelio δικαιοσυνη εκ πιστεως *eo fine ut fides existat*", duriusculum videtur, voculas: „εκ πιστεως" conjungere cum nomine: „δικαιοσυνη θεου", eas autem, quae continuo sequuntur: „εις πιστιν" cum verbo „αποκαλυπτεται" copulare.

2) cf. ad II. 1. Clarius (Critt. Angl. T. VII. p. 2531.), b. Michaelis in annott. ad vers. suam N. T. vernaculam, et Ven. Boehme in ep. ad Rom. gr. cum comm. perpet. Lips. 1806.

3) Vocem: „πρωτον" v. 9 et 10. non magis premendam esse putamus, quam cel. Boehme, cum sententia, quae, illa strictius sumta, versu saltim 10, prodiret, quamvis in se vera, ab ipsius tamen loci consilio aliena quodammodo videretur. Ut enim verissime contendi potuisset, *praemia* quoque divina *Judaeis maxime*, modo vitam bene gesserint, sperare licere, cum tanta ad virtutem *perfectiorem* subsidia in promtu haberent (cf. S. V. Rosenmülleri Schol. et b. Mori praell. ad v. 10), vel cum illa praemia primum ipsis promissa essent (cf. Jo. Crellii Comment. ad I. 16. II. 9. et Schmid. ad II. 10); valde tamen dubitamus, an ad alterutram gentis Judaicae praerogativam laudandam facile hoc loco inclinaverit auctor. Censemus potius, adverbium, „πρωτον" annexum esse propterea tantum, quod *cardo caussae*, de qua jam agebatur, in eo ipso verteretur, ut *Judaeos* judicio obnoxios esse appareret.

II. Ad omnes igitur, quicunque sint, futurum Dei judicium pertinere, et mirum quantum abesse, ut ab illo exemti sint Judaei, id est, quod versibus 11 ss. confirmandum sibi sumit apostolus. Inde statim v. 11. addit: „ου γαρ εστι προσωπολημψια παρα τῳ θεῳ," i. e. „Deus, ab omni cupiditate s. partium studio alienissimus, pro eo quemque, quod volendo agendoque meruit, non pro eo, quo praeter meritum forte fortuna ab aliis discernitur [4]), aestimare solet atque tractare, ut itaque non sit, cur vel Gentiles vel Judaeos a judicio ad unius cujusque merita exigendo exemturus esse existimetur. Pergit vero apostolus in argumento suo exequendo.

v. 12., aequalitatem judicii divini, qua ob omni partium studio alienus cognoscatur, nominatim in *poenis* a Deo inferendis (de quibus potissima erat quaestio, v. 1 — 4.) conspici docens. *Peccatum* nempe, inquit, in quibuscunque tandem hominibus deprehendatur, sive in iis, qui lege scripta careant, sive in iis, qui illa instructi sint, miseria illi debita plecti, et ita quidem, ut, qui legis scriptae expertes peccato indulserint, non secundum normam legis illius, qui vero lege scripta praediti nihilominus peccaverint, secundum ipsam ejus normam condemnentur; quo ipso innuere incipit, plus etiam a poenis futuris metuendum esse Judaeis, si vitiis servierint, quam Ethnicis.

Jam, cum deventum esset ad eam sententiam, in suppliciis ab iis, qui lege scripta gaudeant, si peccatores evaserint, sumendis, legis, quam nossent, auctoritatem respe-

4) Cum, quod hoc commate assertum legimus, et ad Gentiles et ad Judaeos spectare, videatur, την προσωπολημψιαν eo minus (ut nonnullis placuit) restringere licebit ad illud cupiditatis genus, quod in praestantiae alicujus dignitatisve externae nimia observantia, judicii rectitudini inimica, cernitur; sed quemadmodum נשׂא פנים, quod graece: „λαμβανειν προσωπον" exprimitur, universim denotat: in sententia ferenda aut in agendo *personae*, cum qua caussa est, magis, quam *rei* dijudicandae, rationem habere, et ita a recta justitiae norma deflectere (cf. Lev. XIX. 15. Ps. LXXXII. 2. Prov. XVIII. 5. etc.); ita in N. quoque Testamento formulae: προσωπον λαμβανειν, προσωπολημψια etc. partium studium quodcunque, sensu latissimo, complectuntur (cf. 1 Petr. I. 17.). Add. Melanchthonis ad l. n. observationem (in ep. P. ad Rom. enarrat. Wittenb. 1556): „significat autem generaliter non accipere personam: facere judicium *de re*, sine discrimine accidentium, quae a re aliena sunt; ut Torquatus de sola re judicat, condemnans filium" etc.

ctum iri, haec sententia adversus vanam Judaeorum arrogantiam defendenda firmiusque stabilienda erat. Quod ut praestet auctor, primum

v. 13. illi Judaeorum errori, quo ipsam legem, divinitus sibi patefactam, favoris divini, aeternum sese beaturi, arrham habebant, obicem ponit, non auditores legis, sed observatores tanquam justos probosque a justissimo Numine tractatum iri moneus; deinde

v. 14 ss., *nec* in ipsis quidem *Gentilibus* puniendis *nullam plane legis rationem* haberi ostendit (unde appareat, quanto magis huic judicandi normae in iis, quibus lex lata esset, locus esse putandus sit), idque ita exponit, ut, Gentiles sibi ipsis legis instar esse, ex eo, quod sint inter eos, qui legis placita, natura duce, in agendo sequantur, (v. 14.) arguat, injecta simul mentione (v. 15.) internorum conscientiae motuum, quibus insculptam mentibus legem cum judicii divini olim exspectandi praesensione et ipsi experiantur.

III. Quam hucusque proposuimus, universum loci nostri sensum constituendi rationem, specialibus quibusdam observationibus munire licebit.

Cum v. 11. ampliore illustratione nequaquam egeat, initium facimus

a v. 12. Ibi putamus, ex generali sententia: „ου γαρ εστι προσωπολημψια παρα θεῳ" qua Dei in *praemiis poenisque* (v. 9. 10.) pro merito dispensandis justitia illustrata atque confirmata erat, derivari particularem, in *poenis* praesertim inferendis alienissimum esse Deum ab omni partium studio, et solam, quam quisque peccando contraxerit, culpam, sed legis notitia, qua quis forte gavisus esset, in computum tracta, sequi. Conjunctionis particulam γαρ pendere arbitramur ab ipso v. 11., non ab iis, quae v. 9. 10. antecesserant, reddique igitur aptissime posse latina: „nempe, nimirum," ut innumeris aliis locis. Indicatur enim jam singularis modus, quo Dei a προσωπολημψιας vitio immunitas sese exserat. In verbis „απολουνται" et „κριθησονται" (i. q. κατακριθησονται, cf. v. 2.) argutati nobis esse videntur *Lockius* (p. 36. s.), b. *Michaelis* (Anm. p. 18. ss.) aliique, qui

nescio quod significationis discrimen, ad *naturales* Ethnicorum, *constitutas a judice* Judaeorum poenas spectans, in illis deprehendisse sibi visi erant. Verbum enim prius de poenis divinis a quibuscunque, inprimis etiam ab iis, qui divina lege gavisi sint, repetendis usurpari et cum verbo κρινεσθαι, κατακρινεσθαι commutari (cf. Jo. III. 16 — 18. 5, 29. add. Marc. XVI. 16.), ut inter omnes constat, ita in universo loci nostri contextu de ipso *judicio*, etiam in *gentes* habendo, sermo est (C. I. 18. II. 3. 6. ss.), neque ulla caussa suppetit, quidni ambo verba in nostro quoque versu sibi respondere invicem statuamus. „Ανομως" h. l. idem esse ac: „χωρις νομου" (Rom. VII. 9. cf. 1 Cor. IX. 20. s.), sc. εγγραφου (cf. v. 14. et Act. II. 23. 1 Cor. IX. 20. s. add. *Suiceri* Thes. T. I. p. 367.), dudum observatum est. Neque dubitamus, eam formulam in apodosi eodem iterum, quo in protasi, sensu sumere; putamus tamen, novi aliquid huic sensui in apodosi accedere per vim illam, quam figura orationis, ploces nomine audiens, secum ferre solet (cf. v. c. Joh. III. 6.), moti praecipue sententiae ex adverso positae: „δια νομου σωθησονται" collatione. Vertendum igitur arbitramur: „quotiquique nempe expertes legis peccato indulserunt [5]), punientur etiam *tanquam* expertes legis;" quod omnino *innuit aliam judicii normam* [6]) *mitioremque poenam* [7]). „Εν νομω," quamvis positum esse possit pro: „εις νομον" (adversus legem), malumus tamen, ut plenius respondeat formulae „ανομως," cum b. *Koppio* aliisque sumere pro: „συν νομω, νομον εχοντες" velut οι εν τω νομω C. III. 19. aut οι υπο νομον, οι εννομοι 1 Cor. IX. 20. s. Dictionem „δια νομου" — *per* legem, vi legis, involvere duo: „*propter* legem et *juxta ejus normam*," rei natura docet. Ceterum et aliis locis δια cum genit. praepositioni κατα substituitur, v. c. apud τους ὁ Num. XXXV. 30. et Jac. II. 12. in ipsa hac formula: „δια νομου" [8]). Quod vero attinet ad

5) „ἁμαρτανειν" h. l. habitum, consuetudinem peccandi significare videtur, ut v. c. 1 Jo. III. 6. Cf. v. 8. 9.

6) cf. Theodoretum, Heumannum, b. Koppe, b. Morum, Ven. Boehme ad l. n.

7) cf. Jo. Chrysostom. Hom. XIX. in Gen. et ad l. n. Clarium, Grotium, b. Schmidium, S. V. Rosenmüllerum ad l. n. et Luc. XII. 47. s.

8) cf. b. Storrium in ep. Jac. not. 67.

versus nostri consilium, non accedere possumus iis interpretibus, qui *primo* ea, quae *Gentiles, deinde,* quae Judaei, lege scripta superbientes, poenarum divinarum minis obloqui possint, removere voluisse apostolum arbitrati sunt (velut v. c. *Crellius*, *Heumanus*, *Carpzovius* [9]). Nequaquam in eo hic versatur apostolus, ut, *Gentilibus* quoque peccantibus supplicia divina metuenda esse, *studiosius* confirmet, sed ut Judaeos, de Gentilibus condemnandis dudum persuasos, de poenis divinis, semet ipsos non minus manentibus, convincat. Gentiles igitur h. l. eo fine memorat, ut et opinioni, quae eos solos damnatione peccatorum teneri somniabatur, occurrat, et ex minori istorum culpa judicare doceat de majori Judaeorum.

V. 13. particulam γαρ cum posteriore v. 12. membro jungendam esse, non est quod moneamus. Opponit se apostolus pernicioso illi Judaeorum errori, quo induci poterant et inducebantur revera, ut negarent, omnes eos, qui patefactam sibi legem violassent, ex lege punitum iri (v. 12.). Tantum igitur abesse pronunciat, ut legis notitia [10]) per se sufficiat ad gratiam Dei junctamque ei beatitudinem homini conciliandam [11]), ut potius obsequium, legi praestitum, ad consequendum finem istum necessario requiratur.

Versus 14. per conjunctionem γαρ, quarta vice redeuntem, iterum *posteriori* versus 12. hemistichio, quod ceterum cum v. 13. unam quasi sententiam facit, arcte nectitur [12]). Recedendum scilicet esse putamus a plerorumque interpretum ratione, qua comma nostrum a *priore* v. 12. membro pendere, atque sententiam illam: Gentiles, quamvis legis scriptae expertes, vel sine lege condemnatum iri, ulterius illustrare et confirmare sumitur. Recedimus autem propterea, quod, ut ad v. 12. jam animadvertimus, alienum

9) in stricturis in ep. S. Pauli ad Rom. ed. II. Helmst. 1758. p. 49. s.

10) cf. b. Koppium ad h. l. et Jac. I. 22 s. 25.

11) Formula: „δικαιοι παρα θεῳ" illustratur proxime sequenti: „δικαιωθησονται" i. e. ut probi tractabuntur, beabuntur. Spectat vero ad Judaeorum consuetudinem, proborum (צדיקים) nomine semetipsos ornandi, quod nimirum populum constituant, sanctissimae legis divinae usu insignem, Deoque sacrum et prae omnibus carum.

12) cf. duplex „γαρ" Phil. III. 18. et 20., ad eandem sententiam v. 17. relatum, et b. Storr. diss. in ep. ad Philipp. ad l. c.

esse videretur a loci nostri consilio, longius demonstrare, Gentiles, licet lege scripta careant, peccatorum tamen poenas daturos esse, neque etiam prius illud v. 12. hemistichium id, quod modo diximus, *simpliciter* videtur velle asserere, sed conjunctim cum illo, Gentiles punitum iri juxta aliam, quam legis (scriptae) normam aliaque, quam, qui (ejusmodi) legem habeant, mensura. Optime contra sibi constat aptissimeque procedit [13]) apostoli oratio, si versum nostrum unacum sequentibus illi jungamus enunciato: „και ὅσοι εν νομῳ ἡμαρτον, δια νομου κριθησονται." Hoc scilicet [14]) inde jam confirmare ponitur apostolus, quod ipsi etiam Gentiles, lege scripta carentes, *secundum legem aliquam* et obsequium illi vel praestitum vel denegatum judicari exspectent, secundum illam nempe, quam animis suis inscriptam ostendant etc. Ita nimirum interpretanda existimamus

V. 14—16: „Quotiescunque enim aliqui ipsorum Gentilium, qui lege scripta (s. Mosaica) carent, natura duce legi convenienter agunt, sibimet ipsis illi quidem legis instar esse conspiciuntur; monstrant vero iidem homines, placita legis mentibus suis inscripta esse, conscientiae potissimum accedente testimonio, ipsisque animi sensis clam (alternatim) eos sive accusantibus sive absolventibus in (circa) futurum quoddam tempus, quo vel occulta hominum (sensa) Deus judicaturus est, et quidem, juxta evangelium meum, per

---

13) Etsi urgere nolimus, ordinem sententiarum nimis neglectum videri, si, postquam alterum v. 12. hemistichium versu 13. illustratum esset, prius versu demum 14. confirmetur (cum stilum Paulinum a similibus trajectionibus non immunem esse largiamur); haud tamen paulo facilius fluere sermonem nostra ratione sumta, neminem esse speramus, quin concedat.

14) Haud procul absunt ab hac comma 14. cum prioribus nectendi ratione Grotius, b. *avus* et b. Michaelis. Conjungunt enim illud cum *proxime praecedente* v. 13. ita, ut enunciatum: legis factores, non auditores, Deo probari, ipsorum Gentilium exemplo illustrare voluisse apostolum sumant. Quamvis autem facile demus, hoc quoque modo sensum satis aptum, et qui parum diversus sit ab eo, quem nos elicimus, prodire, putemus tamen, non tam expresse ursurum fuisse apostolum, Gentiles quoque lege aliqua gaudere, (v. 14), nisi hoc ipsum maxime confirmare animus fuisset, *ex lege* condemnatum iri legis violatores. Ven. Boehme, qui versum nostrum et ipse pendere censet a proxime praecedenti, inter utrumque hoc fere supplendum monet, a Paulo vel ex fervore dicendi, vel ne Judaeos offenderet, suppressum: „qui quidem (praestatores legis) nec ipsi solis ex Judaeis sint, necesse est." Sed vix erat, cur hoc loco ostenderet, Gentiles etiam esse posse legis observatores.

Jesum Christum." Ubi omnis apostoli argumentatio huc redit: si inter ipsos Gentiles sunt, qui conscientiae suae motibus monentur, futurum esse tempus quo secundum legem quandam, mentibus suis insitam, non facta tantum sua, sed et interna animorum consilia atque sensa, a summo Numine in judicium vocentur et praemiis poenisve meritis afficiantur: quis dubitare audeat, eos, qui lege scripta instructi sunt, juxta hanc legem, si peccato indulserint, condemnatum iri? Quod ita exsequitur auctor, ut primum, nec Gentiles omni destitutos esse lege, exinde probet, quod sint in gentibus, qui in agendo legi cuidam obtemperent; deinde, hoc ipsum corroborari ostendat conscientia eorum, quae simul futuri judicii vel intimis circa legem illam consiliis sensisque animi justam mercedem tributuri, praesagitionem secum ferat.

Sub voce „εθνη" *quosdam* e Gentilibus intelligendos esse, cum b. *Koppio* aliisque arbitramur, cum hoc et articuli absentia facilius permittat, et, quae sequuntur, suadeant. *Primum* enim, quod tribuitur εθνεσι: „φυσει τα του νομου ποιειν," i. e. natura duce [15]) ea, quae legi conveniant [16]), facere, id quidem gentibus universim sumtis ab apostolo tribui, nemo credet, qui morum, iis solennium, imaginem, C. I. 18—32. ab ipso effictam, in animum revocaverit; nisi forte haec verba: τα του νομου ποιειν" cum *Castellione*, *Clario*, Jac. *Capello*, *Wetstenio*, b. *Michae-*

---

15) Sunt, qui voculam „φυσει" antecedentibus: „τα νομον μη εχοντα" jungant, formulam omnem ita reddentes: „quae (gentes) pro eo, quo natae sunt, loco (v. 27. XI. 24. Gal. II. 14) legem scriptam non habent"; quod primus, quantum scimus, fecit Smalcius, contra Franzium, p. 419.; sed vulgaris interpungendi atque interpretandi ratio multo facilior, sententiarumque nexui aptior habenda est. Si enim illud dicere voluisset apostolus, ex iis ipsis, quae statim sequuntur, objici illi potuisset, gentes potius, quam Judaeos φυσει habere legem; illustratur contra vulgaris ratio formula: „ἑαυτοις εισι νομος" et versu 15. cf. b. Koppium, et Hackspani Misc. p. 227.

16) „τα του νομου" quemadmodum lubentissime concedimus Wetstenio poni potuisse pro eo, quod legi proprium est, vel legi competit, non minus tamen denotare posse „τα δικαιωματα του νομου" v. 26., aut, quod eodem redit, „τα εργα του νομου" nemo negaverit. At verbum ποιειν sine dubio eodem sensu accipiendum erit, quo modo occurrerat in formula: „ποιησαι νομον." Consulto autem, ut videtur, h. l. non simpliciter positum est: „τον νομον ποιειν", sed, „τα του νομου" i. e. quae legi conveniunt, quae lex vult aut praecipit; cum, Ethnicis etiam esse aliquam legem, ostendendum demum esset apostolo. Cf. C. X. 5. Gal. III. 12. et add. Wolf. Cur.

li, b. *Storrio* (doctr. christ. part. theor. §. 17. not. a) *de negotio jubendi, convincendi, damnandi* etc., legi proprio, a gentibus natura duce suscepto, sumere placeat, quod et usui sermonis Paulino, et ipsis contextus rationibus repugnare videretur (cf. not. 16.). *Deinde* etiam, quod mox additur, pronomen: „οὗτοι," innuere videtur, non nisi *aliquos* e Gentilium numero dici. — Sequenti pronomine relativo: „οἵτινες" v. 15. transitum facit auctor ad continuandam, quam v. 14. coeperat, argumentationem; unde vertendum illud erit: „At hi." Verbis: „το εργον του νομου γραπτον εν ταις καρδιαις αυτων" repetitur idem, quod formula: „ἑαυτοις εισι νομος" expressum erat. „το εργον του νομου" aut circumscribere putamus „τον νομον" [17]), ut interpretibus recentioribus plerisque visum est, aut, quod praeplacet, significare *agendi rationem legi consentaneam* [18]), ut fere respondeat formulae: „τα του νομου" v. 14. Anteposita vero posteriore hac significatione, agendi rationem legi convenientem dictam habemus pro *praeceptis* legis menti insitis, *norma*, quam praescribere lex solet, intus a natura proposita [19]), omnemque sententiam: „οἵτινες ενδεικνυν-

17) cf. 1 Thess. I. 3. 2 Thess. I. 11. (locum Eph. IV. 12. referre huc dubitamus) et loca auctorum graecorum complura apud *Palairetum*, maxime locum *Polyaeni* L. I. c. 18. „του λογιου το εργον αποβαινει τηδε" i. e. oraculum evenit hoc modo.

18) „τὸ εργον του νομου" denotare posse actionem legi convenientem, s. etiam *agendi rationem legi consentaneam*, non est quod demonstretur. Ita „εργον αγαθον" v. 7. pro εργοις αγαθοις positum invenimus.

19) Haec ipsa igitur interpretatio, *quantum ad sensum* attinet, proxime abest ab illa, qua v. c. Grotius „το εργον του νομου" sumserat pro *cognitione recti pravique*, quam lex efficit, et ab alia, qua Crellius, b. Michaelis et Ven. Boehme *rem*, s. *materiem*, i. e. *praecepta* legis significare hanc formulam voluerunt. Nescimus vero, an hae rationes, grammatice spectatae, usu loquendi satis fulciri possint. Ut nihil dicamus de *Grotiana*, quam nullo plane exemplo firmatam reperimus, sed eo simpliciter nixam, quod „το εργον του νομου" esse possit id, quod lex efficit, *ergo* notitia boni malique; cel. Boehme ad *suam* defendendam unum affert locum ex ep. Jeremiae v. 51. „και ουδεν θεου εργον εν αυτοις (τοις ειδωλοις) εστι" — ubi, praeterquam quod unicus sit locus, dubitamus etiam, an plane similis haberi queat. E contrario *agendi ratio* legi consentanea eo aptius h. l. poni potuit pro praeceptis legis, vel lege ipsa, quod etiam v. 14. „τα του νομου" non legem, proprio sensu, vel expressa legis mandata, facere quidam Gentilium dicti erant, ideoque eadem illa, quae faciant, animis insculpta habere perhibentur. — Interpretatio b. Storrii (lib. cit. §. 17. not. d), juxta quam το εργον του νομου esset legis *munus ac negotium*, h. e. *vis legis cum auctoritate edicens*, seu *virtus* legis, Ethnicorum animis intus impressa, valde ambigimus, an vel cum usu loquendi, (cum *munus* legis non idem continuo sit

ται — συνειδησεως" in hunc modum capiendam: „at hi praecepta illa legalia animis suis insculpta arguunt (probant) non ipsis tantum actionibus, sed etiam accedente conscientiae testimonio" etc.[20]).

Verbum „συμμαρτυρειν," cum non raro positum exstet pro simplici μαρτυρειν (cf. b. *Koppe* ad h. l.), hoc tamen loco strictiori sensu accipiendum erit. Loquitur enim apostolus de *altero* argumento, unde, legem aliquam etiam Gentilibus inesse, pateat, unde autem, secundum ipsam legem peccantes punitum iri, simul confirmetur. Inesse nimirum, inquit, hoc posterius argumentum „εν τη συνειδησει" meliorum Gentilium, i. e. in ea conscientia, quae vitam bene maleve gestam retractet, dijudicet, probet vel improbet, praemiisque aut poenis obnoxiam sentiat.

Quae sequuntur: „και μεταξυ — απολογουμενων" ad illustrandam atque exaggerandam της συνειδησεως vim spectant. Conscientia nempe non ipsa modo facta recolere, sed *interna* quoque *animi consilia et sensa* spectare atque ex legis norma judicare dicitur.

„οι λογισμοι" (quo vocabulo LXX interpretes exprimere solent hebr. מחשבות) *consilia* et *cogitationes*, ex *morali* potissimum parte spectatas, significant, v. c. 2 Cor. X. 4. (ubi cf. correspondentem formulam: „παν ὑψωμα επαιρομενον κατα της γνωσεως του θεου etc."). Ps. XXXIII. 20 s. (parall. „βουλη" hebr. עצה) Prov. VI. 18. (hebr. = מחשבות און רגליים ממהרות לרוץ לרעה). XII. 5. (hebr. מחשבות צדיקים משפט; oppos. מרמה תחבלות רשעים —).

---

cum *virtute* ejus) vel cum contextu (cf. quae ad v. 14. observavimus, et formulam: „γραπτον εν ταις καρδιαις αυτων") conciliari facile queat.

20) Quamvis in hunc quoque modum vertere liceret: „at hi *opera legi consentanea*, animis inscripta (intus inculcata), *praestant* (ενδεικνυνται, cf. 2 Tim. IV. 14. Gen. L. 15. 17. et δεικνυναι Jo. X. 32. Ps. LX. 5 etc. add. *Chrysostomum* ad l. n.) ita, ut simul conscientiae testimonium accedat etc.; praeferimus tamen explicationem supra positam, propterea, quod versus 14. sententia omnis in hac nostri commatis parte videtur repeti voluisse, et novum quasi conscientiae testimonium cum actionum ipsarum *testimonio* copulari. — B. Schmidt interpretamento, qui praesens ενδεικνυται pro futuro sumsit et verbum hoc cum v. 16. junxit (praeeuntibus, ut videtur, *Chrysostomo* et *Theodoreto*) praeter intimum nostri commatis cum praecedente nexum, qui verbum praesens, v. 14. proprie sumtum, nostro confestim pro futuro accipi vix patitur, universum apostoli in loco nostro omni consilium (v. p. 13 s. et not. 14) obstare videtur.

„μεταξυ αλληλων" an cum *Grotio*, *Crellio*, b. *Michaeli*, b. *Moro* aliisque reddendum sit latino: *vicissim*, *alternis vicibus*, an cum b. *Storrio* (l. c. §. 17. not. c.) vertendum: *inter se*, *privatim*, *nemine* alio arbitro, accusatore vel defensore, praesente (Matth. XVIII. 15.), ambigere nos fatemur. Utrumque enim et linguae consuetudini et loco nostro aptum est; prius a facilitate quadam, et a convenientia cum ipsis, quae sequuntur: „κατηγορουντων η και απολογουμενων" videtur commendari; posterius tum a formula illa v. sq. „τα κρυπτα των ανθρωπων" tum a similibus conscientiae descriptionibus, apud *Philonem* aliosque veteres obviis [21]). *Koppii* rationem, qua vocula: „μεταξυ," adverbio: *posthac*, reddita, a proxime sequenti avellitur, et cum versu 16. copulatur, quamvis aliis etiam interpretibus arriserit (ut *Schleusnero* et *Stolzio*, Viris S. S. V. V.), a b. *Storrio* satis refutatam habemus. Ad verba „κατηγορουντων η και απολογουμενων" cum plerisque supplemus pronomen „αυτους," omnemque sententiam, hoc modo prodeuntem: „ipsis eorum consiliis ac sensis accusantibus eos vel absolventibus," uberiorem lucem nancisci existimamus e simili, quae Sap. XVII. 11. 12. legitur [22]): „Δειλον γαρ ιδιως (clam, remoto quocunque alio teste) πονηρια μαρτυρει, αει δε προσειληφε τα χαλεπα συνεχομενη τη συνειδησει. Ουθεν γαρ εστι φοβος, ει μη προδοσια των απο λογισμου (a rectis consiliis, cf. v. 11) βοηθηματων."

Voculas: „εν ἡμερᾳ" cum *Luthero* et permultis, si recentissimos excipias, interpretibus dictas esse censemus pro: „εις ἡμεραν" [23]), vertendasque: *in diem*, s. *respectu* diei vel temporis cujusdam futuri [24]). Sic arcte eas copulamus

---

21) Cf. Carpzovium, loca *Philonis* (ex libro: quod deter. insid. mel. p. 159. et 166), Wetstenium, alia afferentem.

22) cf. b. *avum* ad l. n.

23) cf. Schleusneri Lex. s. v. εν, p. 763 s. b. Storrii diss. ad epp. Pauli minorum aliquot loca, not. 51.; speciatim vero „ἐν ἡμερᾳ" Cap. nostri v. 5.

24) Idem fere enasci posset sensus, si praepositionem εν cum b. Storrio l. c. not. d) redderemus latina: *propter*; modo ne, quod Vir immortalis fecerat, formulam: „εν ἡμερᾳ", cum v. 15. *toto*, sed cum postrema tantum ejus parte conjungas. Cur vero ipsam illam, quam b. Storrius praetulerat, versus 16. cum prioribus nectendi rationem nostram non faciamus, indicatum a nobis est in opusc. hor. diss. II. (a. 1808. ed.) „quid in aug. immort.

cum verbis proxime antecedentibus: „και μεταξυ — απολογουμενων [25]).“ „Τα κρυπτα των ανθρωπων“ interna potis-

---

doctrina religioni christianae ipsi hujus conditores tribuerint? p. 32. not. 8. Rationes, illic a nobis allatae, eo redierant, quod 1) ipsa orationis series ad propiora potius, quam ad remotiora v. 16. referre suadeat; quod 2) dictione: „ἐν ἡμερᾳ“ *ipsa caussa*, qua motus naturam humanam ita comparaverit Deus, eo minus indicari potuisse videatur, cum is, qui motus esse diceretur, ne nominatus quidem esset; quod denique 3) ratio sufficiens dari non possit insertae ab apostolo formulae: „κατα το ευαγγελιον μου“, nisi opponere eam voluisset ipsis Gentilium, Evangelii expertium, cogitationibus („και μεταξυ — των ανθρωπων“). Addere liceat: apostolum in eo hic esse, ut Ethnicos quoque ex lege quadam judicatum iri, *ostendat demum;* quod ipsum, si b. *Storrii* valeret interpretatio, pro certo exploratoque jamjam posuisset.

25) Quae caussae sint, quibus impediar, quo minus versum 16. cum *decimo* nectam, et commata 11—15. per parenthesin inserta habeam (quod *Ernestio* aliisque placuerat) in diss. modo cit. opusc. hor. p. 32 s. not. 8. exposui. Sed eaedem fere caussae, versus 13—15. parenthesi includi, et v. 16. cum 12. conjungi vetant (quamvis permulti editores N. T. interpretesque, Erasmus, Curcellaeus, Millius, Wetstenius, Griesbachius, Grotius, Jo. Crellius, Heumannus, Zachariae, Michaelis, S. R. Stolzius, Ven. Boehme aliique hanc statuerint parenthesin); immo, si qua sumenda esset parenthesis, persuasum habemus cum Ernestio (Bibl. theol. T. X. p. 517. et annott. citt. p. 139), terminos ab ipso sumtos praeferri debere rationi magis communi. Otiosius enim etiam, ne dicam ineptius, commati 12., quam commati 10 assutum esset: condemnatum iri peccatores Ethnicos et Judaeos „die illo, quo etiam occultissima hominum peccata secundum evangelium a Paulo praedicatum per J. C. condemnaturus sit Deus“, cum argumentatio apostoli manifesto tulisset, v. 12. *generatim* dicere de condemnatione quibuscunque peccatoribus, sive juxta legem scriptam, sive sine respectu ad eam metuenda; contra, si versum 16. cum 10. jungas, verba: „εν ἡμερᾳ, ὁτε κρινει — χριστου“ conferre simul existimare possis ad vv. 5 s. uberius illustrandos.

Quod vero *ad summam* attinet (nolumus enim quicquam singillatim memorare de illa ratione, a paucis admodum interpretibus praelata, qua versus tantum 14. et 15. pro parenthesi haberentur); hoc inprimis fateri iterum liceat, latere nos exempla sive auctorum profanorum, sive N. T. scriptorum, quae doceant, *singulum unius cujusdam sententiae membrum* (quale sistunt verba v. 16.), quod nec *verbum* habeat, quo se adjungat superioribus, nec ad *absolvendam* sententiam *requiratur*, *per longam complurium sententiarum parenthesin* a priore ejusdem sententiae parte, nulla fili resumti significatione addita, interdum separari. Quae a Wollio praesertim (comm. de parenthesi sacra, Lips. 1726.) aliisque e N. Test. producuntur, parentheseos exempla, ea partim parentheseos vera exempla esse plane negamus, ut Matth. IX. 5. 6. („ἱνα δε — ειδητε ἁμαρτιαν“) Marc. III. 21. „ελεγον γαρ ὁτι εξεστη“. XI. 13. „ου γαρ ην καιρος συκων“ XVI. 4. Act. I. 19. Rom. I. 32. III. 8. 22—26. IX. 24—29. XVI. 4. 2 Cor. I. 20. Gal. II. 2—6. Eph. I. 19—II. 1. Phil. I. 4. 2 Thess. I. 10. („ὁτι επιστευθη το μαρτυριον ἡμων εφ' ἡμας,“ — cf. ad h. l. b. *avum* et b. Koppium) 1 Tim. II. 10. 2 Petr. I. 19.; partim ita comparata esse videmus, ut sive duae *integrae sententiae*, aliis incisis separatae, secum invicem jungendae appareant, velut Gal. IV. 25. „το γαρ αγαρ σινα ορος εστιν εν τῃ αραβιᾳ“, 1 Cor. XV. 9. 10. 2 Tim. IV. 16. 17.; sive *verbum*, a nomine suo (vel regente vel recto) aut ab alio verbo, quicum numero, persona etc. convenit, per parenthesin disjectum, cum ipso construendum jungendumque conspiciatur, ut Rom. I, 1—7. Eph. I.

simum animorum sensa, studia, consilia significare, locus similis 1 Cor. IV. 5. innuit. Quae tandem adduntur: „κατα το ευαγγελιον μου, δια ιησου χριστου," iis quidem, si quid videmus, monere voluit apostolus, illud divini judicii tempus, quod ipsi Gentiles inter conscientiae damnantis absolventisve motus augurentur quasi atque praesentiant, non aliud esse, quam diem istum Christianis notissimum et in suo praesertim evangelio [26]) indictum, quo Deus *per Jesum Christum* vel occultissimas hominum actiones sensusque judicaturus sit. Id nempe et alibi tum ab aliis apostolis (Act. X. 42. coll. 36 — 41.) tum a Paulo (Act. XVII. 31. coll. 30.) in primis doctrinae de Jesu Messia (s. evangelii I. 16.) capitibus recenseri tradique solebat: illi nominatim homini, qui idem Dei filius sit, demandatam esse a supremo rerum omnium arbitro universi humani generis olim judicandi provinciam. Quae cogitatio quemadmodum apostoli tempore non potuit non maximam vim habere in eorum potissimum animos, qui internis jam conscientiae monitis (v. 14. 15.), futuram in altera vita divinae justitiae patefactionem gravissimam innuentibus (v. 16.), apertas praebuerant aures; ita nostrum quoque erit, *Cives Optimi*, nisi naturae nobis insitae (v. 14.) immemores indignique videri velimus, et laetari intime divino sospitatore hominum, has terras ingresso,

---

1—5. III. 1 — 14. 2 Cor. IX. 8 — 13. X. 3 — 5. XII. 2 — 4.; sive alio quocunque modo sententia per parenthesin *manifesto abrupta* post finitam parenthesin demum *absolvatur*, ut 1 Cor. VIII. 1 — 4. Matth. XXIV. 15. Rom. V. 12 — 18.; ubi saepissime filum sententiae resumtum indicari animadvertimus aliqua membri antecedentis parte repetita, ut v. c. 1 Cor. VIII. 1. coll. 4. Rom. V. 12. coll. 18.

26) Etsi non immemores simus, apostolum alibi quoque, ubi cum hominibus *Christianis* res est, in proponendis doctrinae christianae capitibus primariis ad evangelium, a se traditum, provocare iisdem his verbis: „κατα το ευαγγελιον μου" adhibitis (2 Tim. II. 8); *nostro* tamen loco ista formula vix eum usurum fuisse existimamus, nisi, quae vel Gentiles divinando assequantur, distinguere voluisset ab iis, quae Christianis a se edoctis cognita sint (cf. diss. nostr. notis 24 s. citatam, opusc. hor. p. 32.) *Romanos* enim, quibus apostoli disciplina nondum frui licuerat, ut de evangelio a se propinato (vel, quod propinare solitum sibi esset) moneret, nihil alioquin erat apostolo. Quodsi obtendas locum *ex ipsius ep. nostrae* C. XVI. 25. „τῳ δε δυναμενῳ ὑμας στηριξαι κατα το ευαγγελιον μου etc.", memineris velim, *in fine epistolae* aptissime apostolum compellare potuisse salutarem illam de Christo doctrinam, quam *per eam omnem* luculenter exposuisset.

et eidem tanquam judici quondam futuro cum reverentia non minore quam fiducia mentem vitamque devovere. Hos sensus, haec consilia in animis nostris excitet alatque magnus, qui cras redibit, Jesu Christi natalis!

P. P. sub sigillo Facultatis nostrae. d. XXIV. Dec. MDCCCXIII.

XIV.

OPERIS,

IN SACRIS REFORMANDIS PERACTI,

INDOLES RELIGIOSA MAGIS, QUAM POLITICA,

DEFENDITUR ET COMMENDATUR.

Ingentem illam, quam laetis solennibus proxime recolere speramus, rerum sacrarum, ut in compluribus Europae regionibus, ita in Germania et ipsa Wirtembergia nostra, immutationem, licet Lutheri aliorumque religionis doctorum studiis conatibusque excitam quodammodo atque institutam, multo tamen magis externis quibusque caussis, a religionis ipsius negotio plane alienis, quam mentium humanarum divina anhelantium desiderio nisuque effectam atque absolutam fuisse, haud pauci a primis inde ecclesiae repurgatae temporibus fuere, qui, vario quidem consilio, defendere satagerent. In quorum numero mirum profecto videri vix potest, intelligentiores etiam rerum historicarum arbitros deprehendi. Quo enim quisque versatior est in iis, quae et regnorum Europaeorum, et principum magnatumque, et vulgi, omnigenae libertatis avidi, maxime tum intererant; quo luculentius quisque sacrae, quae tum invaluerat, tyrannidis cum Imperatorum, regum, principum auctoritate ac potestate, quid? quod cum ipsorum populorum fortunis discordiam animo sibi effingere callet; quo penitius quisque perspicit, quantum praesidii adversus Imperatoris sagacissimi, ad absolutam omnibus nominibus dominationem enitentis, conamina singulis praesertim Germaniae principibus portenderit popularium, communi saltem libertatis religiosae amore inflammatorum, concentus [1]); eo sane proclivior

1) cf. b. Villers Essai sur l'esprit et l'influence de la Réform. de Luther, ed. III. p. 66. s. „Cette mémorable révolution n'eût point pris une telle consistance politique, si un autre intérêt que celui de la religion et de la vérité n'était venu prêter à celui-ci son appui et en faire un intérêt d'Etat. Les princes du nord de l'Empire, à qui la résistance contre l'ambitieuse Autriche devenait presque impossible avec leurs moyens ordinaires, virent dans

erit ad externa, quae sacrorum emendandorum operi su tias tulerint, auxilia agnoscenda, atque, ut accidere ingeniis humanis, argumenti, quod forte tractant, con plandi uni potissimum parti intentis, facile eo deveni minus justo in omni hac caussa tribuat religioni, nim reipublicae rationibus.

Nos vero, dum permagnae illius mutationis, et literis et religioni ipsi saluberrimae, memoriam secul laetissimam indicere gestimus, nihil, quod ab exopta ma hac occasione alienum videri possit, acturi nobis videmur, si indolem tanti operis religiosam potius quam liticam denuo defenderimus ac documentis quibusdam storiae penu depromtis confirmaverimus; quamquam quae ab aliis rerum gestarum indagatoribus in isto ne occupata sint, ignoremus, nec in ipsis caussarum po rum adminiculis supremi Numinis, finibus humani ge summis ac vere divinis prospecturi, vestigia veneran viscamur. Quod enim attinet ad posterius, quemadm longe absumus, ut, quid divini insit omni huic rei, aestimandum putemus ex internis consiliis caussisque bus ducti manum ei admoverint calculumque suum rint primi ejus auctores, propugnatores et asseclae, ne ut religionis emendatae fructibus pie sancteque uti pos gemus ullum, qui, quantum ad opus istud contulerit religionis studium animis insidens, non plane pers sibi ac perspectum habeat; ita neminem facile infici rum confidimus, et adjuvari posse hujusmodi cogitati usum ex reformatis sacris hauriendum, et veriorem d remque futuram esse, quam de magna hac ecclesiae stianae conversione informemus, imaginem, si suas partes sublimioribus mentis humanae nisibus, ut dece dicaverimus. Rationem autem habendam ducimus etiam, quae in ipsa nominatim Wirtembergia nostra e confiniis gesta sunt, quo minus fortasse fiet, ut acta prorsus videamur.

---

le nouvel enthousiasme de leurs peuples un moyen inespéré d'en secours extraordinaires, et d'en pouvoir opposer toute la masse impériales." etc.

Jam, ut in persequendis iis, quae argumentum nobis propositum quam maxime attingunt, apto ordine progrediamur,

I^mum^ omnium, qualem *originem* habuerit magna, quam recolimus, rerum sacrarum conversio? considerandum, atque in hac ipsa quaestione

A) ad immortalem, a quo profecta est, auctorem, *Lutherum* dico, animus advertendus erit. Ubi, si

a) de illo cogitaverimus Viri divini facto, quo tanquam primo, ut ita dicam, passu universum, quod sensim sensimque perficiendum erat, opus in lucem prodibat, et unde sacrorum reformatorum aeram computari solere novimus, nemo quidem facile erit, qui dubitet, sincerum fervensque divinarum rerum studium primariam certe ejus caussam fuisse. Cum scilicet turpissima indulgentiarum nundinatione, a scelerato Tezelio exercita, mirum quantum detrahi ille videret confessionis sacrae omnisque disciplinae ecclesiasticae auctoritati, et civium Christianorum animis culpae moralis sensum vivaciorem gratiaeque divinae vera resipiscentia recuperandae desiderium magis magisque eximi, perniciosis hisce fraudibus et pro concione obnisus est fortissime, et theses tandem illas celeberrimas, die festum Sanctorum a. 1517, antecedente arcis aedi affixas publicaeque disputationis materiam praebituras, opposuit. Quae etsi non ipsas indulgentias, sed nefarium earum, qualem Tezelii praeibant, abusum aggrederentur, ipsius etiam Papae auctoritati nequaquam infestae, magnam tamen in omnibus Germaniae terris, quas incredibili celeritate pervaserant, animorum, tyrannidis pontificiae pertaesorum, commotionem genuere, et, insequentibus e vestigio adservariorum nescio an ineptioribus an venenatioribus confutationibus minisque atrocissimis, continuo religionis ecclesiaeque repurgandae cursui necopinum immisere heroem. At in hac nundinarum Tezelianarum similiumque oppugnatione, in qua sacrorum reformatorum principium recte agnoscimus, ne iniquissimi quidem Lutheri obtrectatores quicquam cum aliqua veri specie deprehendere norunt, quod lucri potius gloriolaeve cupidine, quam veri, honesti divinique studio motum illum esse,

ne dicam argueret, at suspicari saltim sineret. Quae enim *Cochlaeus*[2]) P. *Sarpio* duce[3]) excogitaverat, monachos scilicet ordinis *Augustiniani*, qui, pridem indulgentiis praedicandis insignes, nisi Tezelius ex Dominicanorum ordine intervenisset, hoc munere sine dubio tum quoque mactati fuissent, *Dominicanis* hac ipsa de caussa invidisse, unde tantae illae irae facillimam explicationem nanciscantur, ea quidem certis historiae monumentis prorsus contraria esse, satis superque dudum evictum est[4]). Sacrae vero eloquentiae, qua Tezelius eminuerit, famam ad eum adoriendum incitasse Lutherum[5]), futilius fictum est, quin serio mereatur refelli. Accedit, quod tum ipsae illae theses, curatius inspectae, tum omnis, quam auctor tenuit, in iis promulgandis ratio luculentissime comprobarint, religionis et conscientiae moralis caussam in hoc negotio eum unice egisse. Ita nimirum illae comparatae sunt, ut et vividum rerum divinarum ac virtutis christianae studium ubique prodant[6]), et ab impugnanda universa, quae tum ecclesiam premeret, dominatione sacra tantum non prorsus abstineant (quo sane, ipsam religionis, ut ita loquamur, medullam, posthabita interim externae ecclesiae regundae forma, sartam tectamque ab iis servari voluisse confirmatur). Ita autem se gessit auctor, ut, impavide quamvis, at quanta fieri posset modestia, quid verum in re gravissima esset, proponeret, provo-

---

2) Hist. de Actis et scriptis M. Lutheri Saxonis, Colon. 1568. p. 6 s.

3) Histoire du Conc. de Trente L. I. trad. par le Courayer, p. 15. Ipsum tamen *Sarpium* non tam incusasse hoc nomine Lutherum, quam occasionem hujus calumniae dedisse, S. V. Planckius, Gesch. des protest. Lehrb. T. I. p. 77. ostendit.

4) cf. praeter ipsum le Courayer ad Sarp. l. c. Seckendorf. Hist. Lutheran. L. I. Sect. 12. §. XII. p. 25. Kraft diss. de Luthero contra indulgentiarum nundinationes haudquaquam per invidiam disputante, Goett. 1749. b. Schroeckh, Gesch. der christl. K. n. d. Ref. T. I. p. 126 ss. et maxime S. V. Planck, l. l. 77 s.

5) cf. Seckendorf l. c.

6) Prima omnium inde orditur, ut statuat, Christum, ad poenitentiam cohortantem, omnem suorum in his terris vitam continuam poenitentiam esse jubere; complures indulgentiarum vim ad eas, quas Pontifex imposuerit, poenas restringunt, ab iis, quae in altera vita futurae essent, excludunt (th. V. XXI. XXII. XXIV.); verae de peccatis poenitentiae moestitiaeque et necessitatem et valorem gravissime stabiliunt (XXXV — XXXVII.); mutuae charitatis humanitatisque officia indulgentiarum cupiditati longe anteponunt (XLIII — XLV.), et constans Christi domini obsequium adversus debiles ejusmodi consolationes defendunt (XCIV. s.).

candisque dissentientium argumentis in clariorem lucem protrahere studeret, retractaturus sententias suas, quam primum melior sibi via monstrata fuerit [7]). Quo luculentius profecto patet, verissimam, et nequaquam nimiam esse laudem, qua illud *Lutheri* conamen ornavit *Des. Erasmus*, Ep. L. XII. ep. 10. ad Electorem Moguntinum, gravibus, ajens, caussis, neque ullo alio consilio, quam, quod commune fuisset probissimis quibusque suae aetatis viris, permotum indulgentiarum abusibus publice eum se opposuisse.

Sed b) ne huic uni vitae *Lutheri* momento longius justo inhaereamus, qualem et *antea* et *progrediente ecclesiae emendandae negotio* se ostenderit Vir immortalis, strictim contemplantes in agnoscenda ejus operis indole vere religiosa satis sine dubio confirmabimur.

Descendamus, quaeso, ad teneros *Lutheri* pueri et adolescentuli annos! Natus ille parentibus, morum probitate insignibus, quos maximi ad cineres usque habuit, matre inprimis, sincerae pietatis omniumque virtutum laude conspicua [8]), honesti sanctique amorem a prima pueritia imbibit; literarum vero elementis mature imbutus (ita ut, teste *Melanchthone* [9]), in scholam, quam primum Mansfeldae

---

7) Hanc mentem prodidisse videmus *Lutherum* tum in privatis literis ad *Jo. Langium* decem post editas theses diebus datis (cf. ed. opp. *Walch.* T. XV. p. 484 ss.), tum in iis praesertim, quibus easdem theses *Alberto*, Archiepiscopo Moguntino et Magdeburgensi, obtulit (ib. p. 479 ss.), et in protestatione thesibus adjuncta (T. XVIII. p. 265 s.). Postea cum hae recuderentur, in praefatione addita (T. XIV. p. 479 ss.) candide professus est, se, cum primum eas ederet, gravibus circa indulgentias dubiis intricatum atque perturbatum, percontari tantum voluisse, quid ex ecclesiae pontificiae vera sententia, a qua recedere summum tunc nefas duxisset, statuendum credendumque esset? Quanta tamen animi constantia, quanta divini Numinis fiducia, brevi post quam indulgentias papales primum adoriri ausus esset, repletus fuerit, vel ex iis elucet, quae monasterii sui Prioribus, cautionem sibi suadentibus, respondere se meminit in explicatione Psalmi CXVIII. (T. V. Opp. p. 1713.).

8) cf. Phil. Melanchthonem de vita *Lutheri* (Praef. in II. Tom. opp. ejus), in Declamm. op. *Jo. Richardii*, T. III. p. 775 s. „Pater, Joannes Lutherus — propter integritatem omnibus viris charissimus fuit. In matre Margarita, conjuge Joannis Lutheri, cum ceterae erant virtutes honestae matronae convenientes, tum vero praecipue lucebant pudicitia, timor Dei et invocatio, intuebanturque in eam ceterae honestae mulieres, ut in exemplar virtutum.“ — „Postquam aetas doctrinae capax fuit, parentes filium Martinum ad agnitionem et timorem Dei, et ad aliarum virtutum officia domestica institutione diligenter assuefecerunt.“

9) cf. Melanchthon, l. c. p. 776.

frequentaret, non iret, sed gestaretur), Magdeburgi deinde et Isenaci, quo, scholas earum urbium celebriores frequentaturus, commearat, et constantiae temperantiaeque exercitium saluberrimum invenit, cum cantando ante civium fores, egestatis haud raro angustiis juvenilem animum deprimentibus, victum parare cogeretur, et, felicis ingenii dotes comitante industria assidua, mox bonarum literarum scientia praecurrit aequalibus omnibus [10]). Quae ut omnino apta erant ad animum natura nobilem magis magisque intrinsecus efformandum et supra vulgi sensus nisusque evehendum, ita pietatem praesertim adolescentis *Lutheri* illo jam tempore prospera, quam *ipsa* ei attulit, conditionis externae vicissitudo non publico tantum testimonio comprobavit, sed etiam aluit sine dubio et confirmavit [11]). Sed apertius pleniusque sese exeruit intimus atque ardentissimus, qui illi inesset, rerum divinarum amor, omnes et intellectus et voluntatis vires pervadens sibique vindicans, cum adita Academia Erfordiensi veterum scriptorum Romanorum, et philosophiae dialecticae, qualis tum erat, studiis profundioribus et amplioribus solertissime incumberet, doctamque sedulitatem assidua ad Deum precatione [qua dimidium studii confici, in proverbio habuit [12])] suffulciret; cum in bibliotheca Academica Bibliis latinis nunquam antea a se visis forte incidens summa perfunderetur voluptate, nec majus quidquam expetere a Deo sciret, quam ut ejusmodi thesauro potiri aliquando sibi contingeret [13]); cum, gravi mox morbo correptus vitaeque tantum non desperans, senis cujusdam clerici pio alloquio ita erigeretur, ut crebram posteriori tempore mentionem ejus faceret [14]); denique, cum Magisterii gradu assumto, et jurium studio aliquandiu, e patris cogna-

10) ibid. et in Mathesii Historien von des ehrw. D. M. Luthers Anfang, Lehre, Leben etc. Nürnb. 1600. fol. 3a.

11) cf. Mathesius, l. c., Lutherum, narrans, postquam discipulorum canentium choro adscriptus aedes obambulando aliquandiu quaesierit cibum, a matrona quadam urbis, piis pueri precationibus cantibusque commota, hospitio exceptum esse. Add. Seckendorf, L. I. Sect. VIII. §. 8. p. 20. et Loescherum, Ref. Acten, T. I. p. 205 s. ex Tenzelii Monatl. Unterr. A. 1691. p. 767. et Junckero (Ehrenged. Luth. p. 10.) referentem.

12) cf. Mathesius, l. c.

13) ibid.

14) ibid. fol. 4a.

torumque sententia, culto, praeter omnem suorum opinionem ad collegium Monachorum Augustinianorum veniret, recipique peteret, motus ad hoc vitae genus amplectendum, quod, ut *Melanchthonis* verbis utamur, pietati et studiis doctrinae de Deo existimavit esse convenientius, magnis terroribus, de supremo judice sanctissimo justissimoque saepiuscule cogitanti injectis, quos auxit acuitque sodalium cujusdam subito casu interfecti exemplum fulgurque, cum iter faceret, ad latus delapsum [15]). Quanta vero in ipsa demum monachatus palaestra viri juvenis intra animum vegetissimum validissimumque certamina! Quanta ad summum sanctimoniae christianae fastigium, Deique sanctissimi favorem assequendum e peccati acerrima conscientia, imbecillitatisque sensu humillimo eluctatio! Quanti, ut in theologiae scholasticae studio, ita in vitae monasticae exercitiis molestissimis et labores et progressus! quibus cum metae desideratissimae nequaquam se appropinquare, intimamque mentis famem nullo modo satiari sentiret, quanta in legendis, relegendis perscrutandisque doctrinae coelestis fontibus, e scriptura sacra scaturientibus, aviditas atque perseverantia! Quaenam tandem, qua doctrinam evangelicam de fide in Jesum Christum servatorem, et de peccatorum venia inde manante, magis magisque sibi illucescentem, amplexus est, voluptas atque constantia! Haec doctrina, in qua, ne dicam

15) Melanchthon, l. c. p. 777 s. et Mathesius, l. c. Quali casu necatus ille sit, vix dirimi posse videtur, deficiente *Lutheri* ipsius testimonio, utpote cujus nulla de hac re exstat narratio, nisi quod se, terroribus de coelo vocatum — terrore et agone mortis subitae circumvallatum, coactum et necessarium votum vovisse perhibeat in judicio de votis monasticis (ad patrem scr. a. 1522.), Opp. ed. *Walch.* T. XIX. p. 1809. Alii scriptores vel aequales, vel proximi aequalibus, vel recentiores in diversas partes abeunt, cf. Seckendorf, p. 21. et Walch in opp. Luth. T. XXIV. p. 73 ss. add. b. Villers in not. 11. ad clariss. Zimmermanni vers. vern. narrat. Melanchth. de vita Lutheri. Si, ut videtur, anteferendum ceteris sit viri *Luthero* familiaris testimonium, *ferro* sodalem illum trucidatum esse fulgurisque prope *Lutherum* ingruentis terrores *accessisse* tantum sumseris. Ita enim Mathesius l. c. Qui alia referunt, vel conciliari cum illo possunt, ut auctor libelli manuscripti in bibliotheca Jenensi, a Seckendorfio, l. c. allegatus, qui, fulmine s. tempestate territum L. esse perhibet in rure, cum iter faceret, ita ut in terram procidens secum constituisset, si e periculo illo liberaretur, se in monasterium concessurum esse; vel recentiores multo sunt, praetereaque facile inde explicandi, quod forsan per errorem composuerint junxerintque, tanquam caussam et effectum, quae parvo temporis intervallo sese exceperant.

evangelii, at religionis omnino omnis cardo vertitur, ingenio, veterum sapientia innutrito tricarumque scholasticarum eo magis pertaeso, ex claris scripturae sacrae oraculis effulgens, animumque, verae quietis beatitatisque in summo bono repositae egentem, totum capiens atque demulcens, fundamentum revera evasit universi, quo gaudemus, ecclesiae religionisque reformatae operis. In hac doctrina, senis cujusdam in collegio Augustiniano Erfordiensi sermonibus ad animum ejus tantum non desperantem saluberrime pridem admota, et indefesso literarum sacrarum studio et repetita *Augustini* inprimis scriptorum lectione confirmatus erat, cum, auspice egregio *Staupitio,* in Academiam Wittebergensem Professoris publici munere functurus evocaretur. Hanc, et, quae cohaerebant, capita, postquam, Doctoris verbi divini gradum, reluctante modestia, sumserat, et praelectiones theologicas cum philosophicis jungere coeperat, scholasticorum tenebris discussis, magno et discipulorum et eruditorum applausu, ab epistolae Paulinae ad Romanos enarratione orsus, magis magisque illustravit inculcavitque. Et quamvis in ritibus tum nihil mutare conaretur, sed tetricus potius, ut *Melanchthonis* verbis utar, disciplinae inter suos custos esset [16]), eo plus tamen in praeparanda saltim sacrorum conversione istis jam annis profecit, quo magis cum oratione docentis congruebat sanctitas morum; et, quaecunque postea, rituum regiminisque ecclesiastici abusibus abolendis, praestitit, ea omnia ex ista, quam mente animoque amplexus erat, sententia vere religiosa, atque omnino e literarum sacrarum continuo studio (quod ut coleret, et in docendo unice sequeretur, Doctoris biblici gradu in se collato sancte sibi obligatus esse videbatur [17])) sponte proma-

16) cf. l. c. p. 781. Ejusdem Melanchthonis narratio iis, quae supra dicta sunt, potissima ex parte subest.

17) cf. Lutherus in Glossis ad edictum Caesareum comitiale d. a. 1531. opp. ed. *Walch.* T. XVI. p. 2061.: „Ich aber, Doctor Martin, bin dazu berufen und gezwungen, dafs ich mufste Doctor werden ohne meinen Dank, aus lauter Gehorsam; da hab' ich das Doctoramt müssen annehmen, und *meiner allerliebsten heiligen Schrift schwören und geloben, sie treulich und lauter zu predigen und lehren.* Ueber solchem Lehren ist mir das Pabstthum in Weg gefallen, und hat mirs wollen wehren" etc. Quin aliquanto prius Martinum *Mellerstadium*, doctorem celeberrimum (ita, ut lux mundi nuncuparetur), cujus, ut *Staupitii*, opera in instituenda academia

narunt; liberiorum quidem, quos triverat, dominatus Papalis inter ipsos scholasticos censorum, *Occami* praesertim et *Gersonis* [18]), vocibus in pectore resonantibus, foeda, quam a legatione Romana sibi impressam reportaverat, ecclesiae aulaeque Pontificiae imagine magis magisque intus incitante [19]), externo denique, quem nundinationes indulgentiarum et adversariorum irritamenta attulerunt, accedente impulsu.

Tantum vero abest, ut, quem vel proximo vel ulteriore *post* theses affixas tempore agendi modum secutus est Lutherus, dubios nos reddere queat de negotii, quod exegit, origine atque indole vere religiosa politicisque consiliis parum contigua, ut potius hanc ipsam non possit non certius etiam nobis persuadere. Videmus virum immortalem de auctoritate ac potestate Pontificis divina non statim conclamantem, sed haesitantem potius ac dubitantem, quippe qui rem toti ecclesiae orbi sacram temere et inconsideranter, nisi nauci eam esse plenissime convictus fuerit, evertere, religioni duceret; conspicimus illum ea, quae, facem praeferente scriptura intimoque, qui ipsi inesset, rerum divinarum sensu, at refragante doctrina publica, vera detexerat esse, constantissime tuentem, et, ut retractaret, ne atrocissimi quidem supplicii metu adigi se patientem, sed Pontificis reverentiam diu etiamnum servantem, submissas ad eum literas iterum iterumque dantem, iis, qui de pace ecclesiastica secum acturi venirent, promtas aures praebentem, concilii convocandi sententiae, modo scriptura judex controversiae agnoscatur, rem suam subjicientem. Quibus omnibus, licet vel summam mentis aciem e spissis opinionum, quibus aetas laboret, tenebris, non uno quasi ictu in

---

Vittebergensi usus erat Fridericus Elector, dixisse de eo novimus: hunc monachum omnes doctores conturbaturum, novum doctrinae genus inductum Romanamque ecclesiam reformaturum esse; quippe qui *prophetarum postolorumque scriptis studeat, et verbis Jesu Christi insistat*, nulla unquam philosophia scholastica labefactandis; Mathes. fol. 5. Melanchthon, . 780.

18) cf. Melanchthon, l. c. p. 779 s.

19) cf. Mathesium, l. c. fol. 5. 6. add. Lutheri scr. von der Winkelmesse und Pfaffenweihen, opp. T. XIX. p. 1509 s. Schrift an den christl. del deutscher Nation, T. X. p. 297 ss.

plenam lucem penetrare, locupletissimo hujus viri exemplo confirment, ausorumque suorum magnitudinem nequaquam eum latuisse testentur, testatum tamen reddi concedemus et illud, maxima animi pietate rerumque pro sanctis habitarum veneratione in negotio suo versatum esse eundem virum, cetera terreri nescium; neque ambitioso licentiae pruritu, auctoritatisque et potestatis legitimae impatientia, sed sanctae potius *veritatis*, sensim sensimque per nubila exsplendescentis, sancto amore ductum et quasi coactum inchoasse ac perfecisse opus suum [20]).

Neque attinet, multis probare, eam etiam rationem, quam rejecta semel Pontificis auctoritate secutus est, omni ex parte concinuisse his initiis meram omnino religionem sapientibus. Constat enim, ut pauca exempli caussa me-

---

20) Nesciisse ab initio *Lutherum*, quousque ipse processurus esset? fluctuasse per aliquot annos, obedientia an renunciandа Papae, an servanda? mutasse non semel loquelam in literis ad illum datis aut publicis de illo judiciis etc. lubenter quidem concedimus auctori libelli, Lipsiae paucis abhinc mensibus editi: „Luther und seine Zeitgenossen.“ At ignorasse virum summum, quod omnino vellet (p. 21 s.), sibique prioribus saltim motuum ab ipso citorum annis plane non constitisse, immo, quid sibi propositum fuisset, indicantem ipsam veritatem aliquantulum deseruisse (p. 31 ss.), argumentis ab auctore prolatis nequaquam probatum putaverimus. Voluit profecto *Lutherus*, ac velle se conscius sibi fuit, doctrinae de religione formam et scripturae sacrae eloquiis, et hominis peccatoris desideriis convenientiorem praeire, atque ut in scholas academicas, ita in publicam praesertim populi Christiani disciplinam introducere; quod cum salva, quae hucusque valuerat, Romanae ecclesiae potestate fieri haud posse manifestius indies cognosceret, pugnaeque, cum adversariis et ipso Pontifice insecutae, ope malam hujus caussam penitius usque perspiceret, valedicere tandem decrevit avitis illis opinionibus, missamque facere reverentiam, debili fundamento nixam. Quod vero in literis post alterum cum *Milticio* colloquium ad Pontificem datis, *Eckii* demum incursu excitatum sese esse contendit ad aggrediendam sedem Romanam, *quippe quam, ne oleum operamque perderet, sibi fuisset relicturus*, id quidem verissime eum dixisse, plane persuasum habemus, cum nec esset, cur insanabilibus curiae Romanae vitiis quantumlibet agnitis, *ipsius Pontificis auctoritatem* omnem *statim* abjiceret, dissidiumque apertum cum ecclesia Romana suaderet, et, quam tetram ecclesiae curiaeque Romanae impressam sibi haberet imaginem, antea dudum plus una vice declaraverit (cf. not. 19). Verbo monemus, *Lutherum* in scripto proxime ante habitam cum *Eckio* disputatiouem edito: Unterricht auf etliche Artikel, quemvis ab ecclesia secessum, quamvis obsequii illi praestandi denegationem severe interdixisse non prorsus recte perhiberi ab Auctore citato. In hoc ipso enim scripto, quod, instante *Milticio*, pacis restituendae caussa, exaravit, *ecclesiae praecepta divinis postponi* gravissime jubet (Opp. T. XV. p. 845 s.), et, licet, Romanae sedi parendum esse, addat inferius, quinam tamen potestati ejus termini constituendi sint? eruditorum judicio relinquendum esse docet (p. 849.)

moremus, inter omnes, quantum ille operae solertiaeque impendere nunquam desierit doctrinae christianae ex limpidis scripturae sacrae fontibus hauriendae, ab hominum, quibus vitiata atque deformata esset, commentis magis magisque purgandae, a novis, quibus obscurari videbatur, opinionibus ac interpretamentis defendendae; quam pia atque indefessa virium omnium intentione aggressus atque exsecutus sit[21]) sacri codicis in vernaculam vertendi negotium, verae religioni, ex ipsis oraculis divinis cognoscendae, amplissimeque propagandae, saluberrimum; quomodo denique totum omnino se dederit consecraveritque sanae de religione doctrinae, multitudini inprimis Christianorum instillandae, servandae, et ad veram voluntatum vitarumque emendationem intime applicandae! Quo quantum contulerint ipsius Viri immortalis scripta illa permulta, epistolae innumerae ad principes, doctores, privatos datae, atque orationes sacrae frequentissimae, captui cordique hominum non minus accommodatae, quam divino fervore ingeniique luminibus insignes; quantum cultus Dei publicus apte ab ipso informatus, et scholae populares institutae; quantum doctorum religionis ad officii partes rite obeundas instructio ab eo edita, et continuo, cui illos subdidit, superiorum moderamine suffulta, per se patet. E contrario, quae non proxime spectarent ipsam religionis arcem, quo illa v. c. quaestio pertinet: quomodo jura ordinis ecclesiastici ad potestatem civilem sese habere debeant? iis vix quoad opus esset attendit animum, unde factum est, ut ab hac quidem parte non parum incertitudinis retineret ecclesiae evangelicae ab eo profectae conditio; facultates tamen ecclesiasticas et monasticas non in suum ipsorum, sed in ecclesiae scholarumque commodum colligendas principibus ad castra ipsius

---

21) Fervorem, quo incubuerit negotio sibi suavissimo, celeritas etiam, cum praestantia versionis comparata, indicat. Novi certe Testamenti translationem intra decem circiter mensium spatium, dum in arce Wartburg commoraretur, praeter alias scriptiones complures, absolutam, licet Witebergae demum, proximo post reditum tempore, Melanchthone opitulante, elimatam ab eo esse, notissimum est. V. imprimis ep. Lutheri ad G. *Spalatinum*, d. Dom. Laet. 1522. T. XV. append. p. 179.

transgressis, gravissime mandavit[22]), cupiditatum terrestrium adminiculum in re sanctissima vilipendens.

Quibus omnibus rite ponderatis originem magnae rerum sacrarum, quam celebramus, conversionis, si ad *auctorem ejus Lutherum* respiciamus, vere religiosam fuisse, nihilque vel parum certe alieni sibi admixtum habuisse, vix dubitabimus consentire.

At

B) cum, illam ipsam non uni cuidam viro, sed *seculi illius genio*, e proxime antecedentibus sponte quasi prognato, vindicandam esse, undique moneamur, haud abs re erit, huc etiam attendere.

Ubi primum omnium obviam nobis veniunt multae illae intelligentiorum quorumque et candidiorum hominum de ecclesiae christianae misera conditione morumque, inter clericos inprimis, corruptione querelae, per tria circiter ante *Lutherum* secula fortius ultra crebriusque, pro concione etiam, in auribus vulgi resonantes, quarum exempla insignia prostant in *Nicolai de Clemangiis*, *Gersonis*, *Savonarolae*, *Geyleri de Kaisersberg* et aliorum scriptis; communes illae ac sexcenties repetitae Principum, civium, multorum adeo clericorum voces, ecclesiae in capite membrisque, i. e. in summo praesertim Pontifice et reliquo clericorum ordine reformationem exposcentes; complures innumerorum hominum a Romana ecclesia secedentium, puriorenique et cultus publici et doctrinae formam ad literas sacras ac veteris ecclesiae exemplar compositam amplectentium sectae, igne quidem ferroque ad internecionem usque, inquisitorum judiciis signa ferentibus, exagitatae, at futuri adversus ecclesiam atrociter dominantem certaminis fomitem eo periculosiorem relinquentes; *Wicliffi* et *Hussi* fortia non minus, quam docta, disciplinam religionis duce scriptura emendandi, emendatamque populo reddendi conamina, persecutione ac nece auctorum suppressa minus, quam com-

22) cf. Seckendorf, L. I. Sect. 62. §. 178. p. 307. ex epistolis Lutheri; et S. V. Planck Gesch. des prot. Lehrb. T. II. p. 145 s. not., ubi consilia Lutheri de bonis ecclesiasticis perquam memorabilia, a. 1523. regulae de illis administrandis a Leisnicensibus etc. scriptae praefationis loco addita, excerpta exstant (cf. Opp. ed. *Walch*. T. X. p. 1149.).

mendata superstitibus; *mysticorum* theologorum, velut *Bernardi Claraevallensis, Thomae Kempisii, Tauleri* scripta, a vanis theologiae scholasticae argutiis externoque sacri cultus exercitio ac pompa ad internam, qua indigerent, religionem, voluntati vitaeque purgandae parem, placida vi permultorum animos revocantia. Quibus omnibus comites adjutricesque se adjunxerant *literae humaniores,* seculis praesertim decimo quarto et quinto reflorescentes, clericorum et monachorum incredibilem inertiam ludibrio publico exponentes, ad sacram scripturam rite ex ipsis fontibus interpretandam, religionisque praecepta tum theoretica tum practica liberius et sanius tractanda magis magisque applicatae, in quo negotio *Luthero* sociisque complures, velut Laurentium *Vallam*, Desid. *Erasmum*, Jo. *Reuchlinum*, quorum aliquos aetate adhuc attigerant, viam egregie struxisse novimus.

Quae si in memoriam reducantur, nescimus profecto, quomodo fieri possit, quin in agnoscenda magni, quod recolimus, operis origine et natura vere religiosa confirmemur potius, quam labefactemur.

Quamvis nimirum lubentissime largiamur, ecclesiae v. c. in capite et membris reformandae postulationem illam diu lateque consonantem non ex mero religionis studio, sed ex multiplicis quoque detrimenti, a Pontificum Romanorum ceterorumque cleri Romani procerum rapaci tyrannide in respublicas, reges, principes, cives redundantis, sensu acerbissimo, ex flagitiorum maleficiorumque, quibus et semetipsos contaminare illi solerent et populos inficere, detestatione, ex miserae rerum omnium perturbationis, in quam longum pontificatus schisma ecclesiam conjecerat, fastidio aliisque caussis similibus prodiisse; negare tamen vicissim nemo sustinebit, ipsum illud ecclesiae in capite et membris reformandae desiderium ideo tantopere arsisse tantamque hominum multitudinem cepisse ideo potissimum, quod religionis caussa subesset, et, quae sanctissima haberent mortales, salvanda viderentur. Quamvis porro infitiari nolimus, magnam, quam et ignava clericorum monachorumque turba et scholastica ecclesiae doctrina istis temporibus incurrit

ignominiam, non omnem profectam esse ab intimo religionis sensu, quem offenderit illorum vilitas, doctrinae publicae jejunus tenor destituerit; sed ab illa simul animorum humanorum facultate, qua, quid sanae rationi conveniat, quid absurdum sit, sentire, argutiarumque ineptias a simplici veritate distinguere valeant; auctam quoque et denuo subinde acutam esse crebris cujusque generis satyris, in vulgus sparsis, risum contemtumque adversus dominantem ecclesiam ejusque signiferos ac satellites vertentibus; datum tamen vicissim nobis confidimus iri, et multum fuisse abfuturum, ut tam graves effectus haec omnia habuissent, nisi ipsa divinarum rerum veneratio, animis humanis funditus inhaerens, intolerabilem reddidisset hominum, externa quadam sanctitate indutorum, nequitiam atque inertiam, sanioris vero doctrinae, summis humanae naturae finibus satisfacturae, desiderium in vulgi etiam mentibus accendisset, et ipsum quoque illum, quo ad simplicem veritatem ferimur, amorem cum religione intime cohaerere.

Verum enim vero cum magnam *Lutheri* rem in primis statim initiis suis mirum quantum adjutam esse sciamus non *Melanchthonis* solum, quem inde ab anno 1518. collegam sociumque constantissimum ille habuit, aliorumque, qui ei sese adjunxerant, doctorum eruditissimis solertissimisque laboribus, sed maxime etiam iis, quae eodem fere tempore, quin, si malis, uno etiam anno prius [23]), et seorsum qui-

---

23) Utri reformatorum, an *Luthero* an *Zwinglio*, primae, si *temporis* ordinem spectes, vindicandae sint? ut diu multumque disceptatum est inter doctos amborum coetuum asseclas, ita in alterutram partem cum quadam veri specie, modo lubeat, disputari potest, cum aut quaeratur, uter de abroganda Pontificis potestate et de religionis christianae disciplina. e solis literis sacris definienda, *certam sententiam* prior et apud se tulerit et cum aliis communicaverit, aut vicissim, uter *factis*, graviores in ecclesia motus eventusque gignentibus, alterum anteverterit? *Zwinglium* scilicet anno jam illius seculi decimo *sexto* evangelium, papalibus imposturis hominumque commentis nuncio misso, praedicasse pro concione, et de Pontifice dejiciendo cum Wolfgango *Capitone* communicasse, antequam in lucem Lutherus emerserit (aut de abjicienda Papae et ecclesiae auctoritate vel secum ipse plane decreverit), ipsis Zwinglio (in Opere Articulorum, Art. XVIII. p. m. 171.) et Capitone (ep. ad Bullingerum, Hottingeri H. E. Sec. XVI. P. II. p. 207.) testibus novimus. Contra, cum celebratissimae *Lutheri* theses tantos undequaque motus cierent, circa *Zwinglium*, licet in orationibus sacris libere evangelium docentem, tranquilla adhuc omnia, cum et Praefectus Monasterii Eremitani, ubi tum publice docebat, rebus ejus faveret, et alii, quos de

dem a *Luthero*, in vicina Helvetia ausus est *Ulricus Zwinglius*, complures, qui se digni essent, et ipse mox socios nactus; num forte hisce subsidiis aliena a religione caussarum momenta reformandae ecclesiae negotio intexta et immista esse, oggerere quisquam posse sibi videatur? At potius his quoque indolem illius operis vere religiosam manifesto confirmari, persuasissimum esse debere aequo cuique arbitro, existimamus. *Melanchthonis* enim non minus quam *Zwinglii* ingenium, solers natura veroque penitius indagando aptum deditumque, veterum Graecorum et Romanorum monumentis a prima juventute doctoribus illustrissimis ducibus innutritum atque eleganter excultum, animo junctum integro pioque [24]), liberiorem inprimis a doctrinae scholasticae vinculis scripturae sacrae ex fontibus interpretationem dogmatumque religionis indagationem, quam *Erasmi*, *Reuchlini*, *Wyttenbachii* [25]) praeiverant, avide amplectebatur, studioque indefesso fovebat ac perficiebat. Quo factum est, ut *Melanchthon* quidem, ex quo Wittebergam vocatus esset ad literas graecas publice tradendas, *Luthero* se totum addiceret, et operis ab eo inchoati socius adjutorque constantissimus evaderet, mirabili scilicet doctrina, judicii summo acumine, sermonis facundia et elegantia vix audita, consiliorum prudentia circumspectissima, morum denique egregia comitate et sanctitudine ita novum disciplinae genus exornans commendansque, ut eo se carere haud

abolendis abusibus commonefaciebat, proceres ecclesiastici pollicitando ipsum studerent placare (cf. Wiaz l. c. p. 143 ss.), nec paulum serius Luthero Papae auctoritatem palam aggressus est *Zwinglius*. cf. Gerdesii Introd. in hist. Ev. Sec. XVI. passim per Europam renovati, T. I. p. 103. Wiaz, Helv. K. G. T. IV. part. I. p. 181 ss.

24) Infucatus tenerque, qui duumviris istis inerat, rerum divinarum amor cum scriptorum, quae reliquere, quavis pagina, auctorumque aequalium et narrationibus et testimoniis extra omnem dubitationem positus sit, singula documenta afferre superfluum esset.

25) Thomam *Wyttenbach*, qui, postquam in hac Universitate nostra docuerat, Basileae theologiam professus est, praeceptorem ibi se nactum esse et indulgentias improbare ex publica quadam ejus disputatione didicisse, *Zwinglius* ipse grato animo memorat, in Art. XVIII. l. c. p. 173. Add. *Leonis Judae*, qui condiscipulus *Zwinglio* erat, de communi praeceptore testimonium, quod ex ejus epistola ad Senatum populumque Biellensem, annotationibus *Zwinglii* super Evangelistas praemissa, affert Gerdesius, l. c. p. 105 s. — De *Erasmo*, utriusque duce, *Reuchlino*, *Melanchthonis* altero quasi patre, non est quod moneamus.

posse, *Luthero* persuasissimum esset[26]); *Zwinglius* autem Helvetiis se praestaret Lutherum alterum. Is scilicet postquam *Glaronae*, ab anno seculi sexto, concionatoris munere per decem annos strenue functus esset, et, legendis perscrutandisque literis sacris, maxime epistolis Pauliuis, incredibili industria incumbens, puriorem magis magisque ab hominum commentis evangelii doctrinam, quamvis Romanae ecclesiae abusibus nondum publice commemoratis, tradere tentasset[27]), in *Eremum* deinde *Helvetiorum*, cujus templum b. *Virgini* sacrum peregrinationibus religiosis celebratissimum erat, ad pastoris officium obeundum vocatus ulterius jamjam processit, cultum Mariae ac sanctorum, et quae ipsi adhaererent superstitionum fraudumque genera, publice perstrinxit, nec administratorem tantum monasterii Eremitani, Theobaldum a *Geroldsegk*, celebrem literarum ac literatorum fautorem, sed episcopos quoque *Constantiensem* et *Sedunensem* ad superstitiosos cultus publici abusus tollendos invitavit. Mox (a. 1518.), ad *Tigurinos* translatus, doctrinam salutarem ex solis literis sacris propinare, unicum Jesu servatoris sacrificium, utpote quo cetera omnia abolita essent, celebrare, simulque veram vitae sanctitatem inculcare ac vitia gentilitia reprehendere, nihili habitis adversariorum murmurationibus, fortissime perrexit. Altero jam quodam Tezelio, *Bernardino Samsone*, Franciscani ordinis monacho, indulgentiarum suarum merces afferre parante Tiguriuis, et pro concione et privatim acerrime in impostorem invectus, haud parum contulit ad ignominiosam, quae illi accidit, repulsam[28]). Insequebantur apertiores homi-

26) cf. et omnem illam animi morumque *Melanchthonis* imaginem, scientissime delineatam, et *Lutheri* quaedam in illum elogia apud S. V. Planck, libr. cit. T. I. p. 160 ss.

27) cf. Osw. Myconii (*Zwinglio* familiarissimi) narr. de vita et obitu H. *Zwinglii*, hujus et *Oecolampadii* epistolis, Bas. 1536. praemissam, fol. 2a. add. cel. J. C. Hess Lebensb. M. Ulr. *Zwingli's*, n. einem lit. hist. Anhang von L. *Usteri*, p. 24 s.

28) cf. Zwinglium in respons. ad Valentinum Comparem, Opp. T. I. p. 230. b. narrantem, „quater secum non sine splendidis pollicitationibus de hisce rebus (indulgentiis earumque nundinationibus) contulisse *Antonium Puccium*, Romani Pontificis legatum; huic libere, quid faciendum esset, se exposuisse, simul et hoc addentem, se posthac divina favente gratia Evangelii praedicationem aggressurum, qua Papatus non parva ex parte concutiendus et debilitandus sit."

num ipsi infensorum impetus[29]), contra vero (a. 1520.) Senatus quoque Tigurini edictum, quo omnes parochi Novi Testamenti libros pro concione explicare, nec nisi literis sacris demonstrare, quae traderent, nova hominum commenta omittere jubebantur[30]); in quo ipso sacrorum inter Tigurinos et Helvetios reformationis continuo abhinc progressae publica auspicia recte poni posse videntur.

Nequaquam vero praetermittendum esse arbitramur, saniorem religionis christianae cognitionem in *Zwinglii* non minus quam *Lutheri* animo superstructam potissimum fuisse doctrinae de libera Dei gratia rectius perspectae, quam ipsam praeceptori suo *Wyttenbachio* se debere longo post tempore confessus est *Zwinglius*[31]); deinde, *Zwinglium* non minus quam *Lutherum*, postquam doctrinam ecclesiasticam emendare coepisset, abstinuisse per annos complures ab auctoritate Pontificia directe invadenda, *doctrinae* de religione purgandae ante omnia intentum (quo factum est, ut in *Zwinglio* quidem *Hadrianus* Papa anno adhuc 1525. magnam poneret fiduciam[32])); denique, *Zwinglium* non minus quam *Lutherum* socios laborum inde ab initio habuisse viros indubia pietatis atque eruditionis laude clarissimos (velut *Leonem Judae*, *Oswaldum Myconium*, *Jo. Oecolampadium*).

Sed monitos nos sentimus scriptionis nostrae limitibus, ut a magnae, quam celebramus, rerum sacrarum reformationis origine

II) ad *progressus etiam, quos ea in publica potestate nanciscenda fecerit*, convertamus oculos, visuri, an his consideratis in opinione nostra illa, qua religiosam magis quam politicam ipsi indolem tribuimus, queamus persistere? Ubi

---

29) cf. b. Wirz, Helv. Kirchengesch. T. IV. part. I. ex scriptis publicis a Simmlero (Sammlung alter und neuer Urkunden zur Beleuchtung der K. G. T. IV,) communicatis referentem.

30) v. J. J. Hottinger, Helv. Kircheng. T. III. p. 51. et b. Wirz, l. c. p. 180. ex H. *Bullingeri* hist. Reform. MS. p. 22. referentes.

31) cf. Gualtherum in praef. in priorem partem homill. ad Ev. Matthaei, ap. *Gerdes*. l. c. p. 102.

32) v. literas Pontificis ad *Zwinglium* datas d. 23. Jan. 1523., ap. *Adamum* in Vitis German. Theoll. p. 29.

1) favere nobis existimamus vel id, quod in ipsa *Germanorum Helvetiorumque terra* primas illa radices egerit. Quamvis enim multa esse superius concesserimus, quae in hisce nominatim regionibus novum rerum sacrarum ordinem introducendum commendare potuerint, aliena ab ipsa religione, et ad politicas potius et externas cujusque generis rationes pertinentia; quamvis, ut in aliis, *Suecorum* v. c. *Britannorum* etc., regnis, ita in Germania quoque et Helvetia maximi interfuerit aut eorum, penes quos summa imperii esset, aut procerum et magistratuum, jura sua populorumque fortunas tueri adversus Pontificis clericique dominantis insolentiam, nec singulares Germaniae principibus (velut ipsi *Ulrico* nostro) defuerint caussae, quibus invitari possent ad fovendos, alendos et in rem suam vertendos fervoris sacri, gentibus inspirati, motus; ingens tamen asseclarum turba, quae in his ipsis regionibus viris, sacrorum purgationem moliri visis, statim sese agglutinavit, ad *ampliorem illam literarum lucem*, ibidem eadem aetate diffusam, vel invitum ablegaverit rerum gestarum indagatorem. Literas scilicet humaniores, in *Italia* maxime resuscitatas, nusquam mox receptas et cultas fuisse amantius studiosiusque, quam in *Germania* et *Helvetia* (meridionali potissimum); quarum illa scholarum academiarumque numero et celebritate insignis esset, haec doctae viciniae opportunitate lubens uteretur, neminem latet. Hinc accidit, ut *Luthero* et *Zwinglio*, suam ad dissipandas doctrinae ecclesiasticae cultusque publici tenebras operam offerentibus, obviam undequaque venirent ingenia, et intelligendo, quid illi sibi vellent, et adjuvandis quoque eorum laboribus paria, quae permultorum aliorum animos puriori de religione doctrinae patefacerent [33]). Accessit, quod gens *Teutonica* tum ipsam Germaniam tum Helvetiam incolens a religione in variis magnificisque, quae sensus alliciant et occupent, ceremoniarum

---

33) cf. quod *Helvetiam* attinet, laud. Wirz, l. c. p. 59 — 130., clarissimorum, qui *Zwinglio* vel viam struxerant, vel suppetias probe praeparati ferebant, insignem catervam recensentem; nec quantopere *Basileae* et paulo postea *Tiguri* quoque floruerit *ars typographica*, ab homine Germano inventa, commemorare negligentem.

pompis ponenda; per peculiarem, qua gauderet, naturae indolem antiquitus alienior [34]), ad pietatem internam, veritate potius perspicue cognita, quam opinionibus imaginando effictis nisam, aptior prae multis aliis esset. Quae quidem cogitantibus nobis facillime se probabit ea sententia, qua prosperi Reformatorum apud Germanos Helvetiosque progressus a caussis potissimum religiosis (quo et ipsa ratio, ad certiorem veritatis sensum literarum studio exculta pertinet) repetuntur. Sed

2) inquirendum potissimum erit, quid de sacrorum reformationis inter Germanos introductae caussis vere religiosis ipsa rerum gestarum memoria nos edoceat? Ubi cum

a) primum nobis considerandi obveniant illi singularum Germaniae regionum *Principes*, qui sacrorum reformatorum beneficium populis suis largiti sunt, et quos politicis etiam argumentis ad eum, quem secuti sint, agendi modum invitari potuisse concessimus, haud paucos eorum, *vero religionis et veritatis christianae amore incensos actosque fuisse* historiam testem advocamus. Ità *Fridericum* Electorem, Sapientis cognomine non immerito decoratum, pietatis quoque religiosissimae laude prae aliis multis conspicuum fuisse, ipsis adversariis confitentibus [35]), novimus; eundem, cum publicae, qualis tum esset, de religione doctrinae a pueris assuetus fuerit, non arripuisse confestim novum, quod *Lutherus* induceret, docendi genus, sed eo se continuisse, ut adversus hostium violentos impetus defensorem se illi praestaret constantissimum, quippe qui certum de ejus opinionibus judicium, quod sibi ipsi vindicare religioni duxisset, theologorum conventibus convocandis, singulisque, quos plurimi haberet aetas sua, religionis doctoribus, *Erasmo* v. c. relinqueret, viro autem docto pioque, qui falsa docuisse nondum convictus esset, mali quid infligi sinere nefas haberet [36]); eundem deinde ma-

---

34) Conferre huc licuerit vel Germanorum gentilium religionem, qualem *Tacitus* descripsit, de situ, moribus et populis Germaniae, C. VIII. IX. Add. b. Villers, Essai etc. p. 59 s.

35) cf. *Pallavicini* hist. Conc. Trid. L. I. c. XIII.

36) cf. praeter alia, *Friderici* responsum legatis Pontificiis a. 1520. e

gis magisque favisse *Lutheri* rebus, intima ejus veneratione in comitiis praesertim illis Wormatiensibus repletum[37]; consensum denique suum cum gravissimis purioris doctrinae capitibus proxime ante obitum in mutato testamento diserte satis professum esse[38]. Successorem, *Joannem*, Constantis cognomine insignitum, qui, quod ille connivendo adjuverat, opus omni jam, quae principi praesto esset, auctoritate palam defendit, promovit ac (novo etiam cultus publici instituto ordine) stabilivit, licet sapientia morumque gravitate non aequantem fratrem, religionis tamen et ecclesiae reformationem tanquam rem Deo gratam sincere amplexum fuisse, fortissima, qua illi adhaesit constantia[39], satis comprobavit.

Quid multa memoremus de *Philippo*, Hassorum Landgrafio, animi celsitudine, ingenii sagacitate et prudentia prae ceteris aetatis suae principibus eminente, Evangelii restaurati propugnatore nescio an acriore an perspicaciore, temporis necessitate quam maxime urgente a divina Numinis providentia suscitato? Hunc quidem contendere audeamus non nisi politicis rationibus motum reformandae ecclesiae operi manum admovisse? At is potius a comitiis inde Wormatiensibus, quibus altero post capessita provinciae suae gubernacula anno admodum juvenis interfuerat, *Lutherum* et rem, quam gereret, maximi facere coeperat. Vernaculae deinde, quam ille ediderat, scripturae sacrae versioni ejusque et *Melanchthonis* libris sedulo studio incubuit; et paucis abhinc annis (1524.), edicto vulgato, quo evangelium pure doceri mandavit, ac monachorum mendicationes circumscripsit, Franciscano cuidam, Nicolao *Ferbero*, scriptis Reformatorum legendis se dehortanti, ingenue re-

---

Colonia datum, in G. *Spalatini* annalibus, *Tenzeliani* libri: Histor. Bericht vom Anf. und ersten Fortg. der Ref. Tomo II. adjunctis, p. 14 ss.

37) cf. epp. *Friderici* ad Joannem fratrem datas d. 23. Apr. et 5. Maj. 1524 ap. Seckendorf, L. I. Sect. 42. add. III.

38) cf. b. Schroeckh, l. c. p. 366. s.

39) Quantam animi fortitudinem in comitiis praesertim Augustanis, tremendaque minitante Caesare, comprobaverit, inter omnes constat. Seckendorf. L. II. §. 65, 4. 67, 7. S. V. Planck, T. III. p. 29 s. et J. G. Müller, Reliqu. alter Zeiten, Sitten und Meinungen, T. III. p. 203 et b. Schroeckh, l. c. p. 499 s.

spondit, verbi divini normam in imperando sese servaturum, hominum traditionibus haud inhaesurum esse, et doctrinam *de hominibus sola fide justificandis,* a *Luthero* praecipue restitutam, dictis e scriptura s. allatis contra illum defendit etc.[40]) Sequebatur proximo anno foedus *Torgaviense,* ipso auctore, primum cum *Joanne* Saxone, mox cum compluribus principibus initum, aliorum principum, reformationis negotio infensorum, conspirationi oppositum. Tandem ille (a. 1526 et 1527.), Philippi *Melanchthonis* consiliis munitus, haud minore prudentia et humanitate, quam firmitate et velocitate executus est cultus divini et disciplinae sacrae in provincia sua emendationem. Sed missis aliis ad eos principes transire liceat, quibus *nostra* patria praeclarum illud ecclesiae religionisque reformatae beneficium debet. Ubi largiendum sine dubio erit, si nullum alium, *Ulricum* certe nostrum in introducenda nova sacrorum forma politicis rationibus ductum esse videri posse. Quis enim nesciat, *Helvetiorum* primum auxilio provinciam, cujus dejectus esset imperio, recuperare sperasse profugum Ducem, ac postquam primo quidem tempore a Lucernatibus maxime et Solodurensibus secundatus esset, mox de ea re cum ipso *Zwinglio,* inter Tigurinos non modo, sed et inter ceteros, qui sacrorum mutationi faverent, Helvetios maximae auctoritatis viro, diu multumque, tam ore, quam literis, nec frustra, egisse? Quis *Philippum* illum Hassiacum, reformationis sacrae defensorem ardentissimum, cujus hospitio et tutamine pridem usus esset, tempore prudenter delecto, suis copiis, suaque fortitudine, uno proelio imperium ei restituisse, ignoret? At contra nemo, putemus, ad libram quasi exigere sibi sumet, quid, cum ad novae disciplinae castra ille se converteret, plus apud Ducem exulem valuerit? an interna de novae doctrinae veritate persuasio, longiore

---

40) cf. Seckendorf. L. I. §. 169. in add. et S. V. Marheinecke, Geschichte der teutschen Reformation, Berol. 1816. T. II. p. 167 s. Conferri merentur memorabilia *Philippi* dicta, ab Abrahamo *Sculteto* in annall. evang. ad a. 1525. p. m. 287 s. relata, et sermo egregius, ante proelium Frankenhusanum, quo rusticos rebelles profligaturus erat, ab eodem habitus (Lutheri Opp. ed. *Walch.* T. XVI. p. 210.), quo vita prius opibusque, et ditione sua privari, quam a divino verbo desciscere se malle profitebatur.

et familiari etiam cum tantis ejusdem magistris ac fautoribus consuetudine[41]) elicita atque nutrita, an forte calamitatum, animum ejus affligentium puriorisque religionis solatiis aperientium, an vero provinciae recuperandae studium intensissimum? Minime certe caruisse illum omni ipsius doctrinae purioris amore, complura indicia aequo cuique judici persuaserint. Praeterea enim, quod in Monte Beligardo anno jam 1524. sacrorum reformandorum opus aperte satis adjuvit[42]), et eodem anno ineunte in literis ad Bernardum de *Hirschfeld* datis *Lutherum* pro vero sancti Evangelii doctore se habere professus est[43]), serius praesertim, cum videre et audire contigisset magnum reformatorem in colloquio Marpurgensi a. 1529., eo magis amare ipsum et tanquam heroëm admirari coepit[44]), et progrediente denique ipsius Wirttembergensis ecclesiae reformatione ab eo instituta, vario modo comprobavit, quod verum in rebus sacris, non, quod commodum saltim proficuumque esset, curae cordique se habere. Exempli caussa provocare liceat ad religiosam illam diligentiam, qua in quaestione de *imaginibus sacris:* an amovendae plane sint (ex mente Zwinglianorum et *Blaureri*), an retinendae quodammodo (ut *Schnepfio* cum Saxonicis placuit)? usus est Ulricus, et ad sententiam post colloquium de hoc argumento inter complures insignes doctores Uraci habitum ab illo latam, ab omni politico metu alienam[45]): omnes omnino in templis imagi-

---

41) Ulricum Ducem a. 1525. ex arce *Twielensi* Helvetios auxilii implorandi caussa adiisse, et *Tiguri* commoratum, *Zwinglii* non conciones tantum frequentasse, sed etiam familiarem cum reformatore amicitiam fecisse, qui postea cum absente, per litteras legatosque, agere perrexerit, Hottingerum in Helv. K. Gesch. T. III. p. 234. ex anecdotis referentem testem habemus. Eundem Ulricum prius *Basileae Oecolampadio* quoque evangelii caussa seae adjunxisse ejusque orationibus frequenter adfuisse, *Zwinglii* ad Oecolamp. epistola d. d. 9. Oct. 1524. a cel. de Murr in l. Anmm. über Lessings Laocoon, p. 61. et in Memorabb. bibliothecarum publ. Norimberg. et univ. Altorf. Part. III. p. 165. communicata (cf. Reverendiss. de Schnurrer Erläuterungen der Würtemb. Kirchen-Ref. und Gelehrtengeschichte p. 65.) docet. Antea jam Joannem *Gaylingium*, Luthero carissimum, concionatorem aulicum secum habuisse Ulricum, notissimum est.

42) cf. Sattler Gesch. Wirtembergs unter der Reg. d. Herz. T. II. p. 115. Schnurrer, p. 61.

43) Seckendorf, L. I. §. 182. add. III.

44) v. eund. L. III. §. 44.

45) Cum in pacto *Cadanensi* sacramentariorum errores tolerare inter-

nes abolendas esse[46]. Ceterum et universum *Ulrici* ingenium, a simulando abhorrens, meram in introducenda nova sacrorum forma simulationem ipsi adscribere vetat[47].

De *Christophoro* autem, patriae historiae nostrae immortali decore, ne quaerendi quidem locus est, an in reformatione ecclesiae, eximie a se peracta atque absoluta, vero religionis studio actus sit, cum nec amplectendi novam disciplinae formam ullam facile praeter illud caussam habiturus fuisset[48], et ardentissimum simul ac perspicacissimum rerum divinarum amorem tum dictis tum factis, quemadmodum per omnem vitam, ita in hoc praesertim negotio[49], quo ecclesiae nostratis Evangelicae auctor alter statorque evasit, abunde comprobaverit.

At, quaecunque demum caussae principes Germaniae moverint ad sacrorum reformationem introducendam, negari

2) non poterit, *populorum*, meliorem religionis publicae conditionem desiderantium, voluntatem undequaque illis obviam venisse. Quod ipsum cum vel inde liceret au-

---

dictum esse Ulrico, si vellet provinciae suae gubernacula sibi restituta servare, cavendum sibi esse profecto videri poterat, ne in ullam suspicionem, quasi consentiret illis, incideret. Sed ne ad *mediam* quidem viam confugit ingenuus arbiter.

46) cf. Besoldi Virginum sacr. Monimenta, p. 88 ss. In ipsa tamen hac Ducis sententia exsequenda properatum non esse, ex mandato ejusdem, d. 20. Jan. 1540. dato (v. Sattler, T. III. addit. docum. Num. 61.), omnia simulacra e templis tolli denuo jubente, apparet.

47) Cf. col. Pfister in l. recentissimi: Denkwürdigkeiten der Würtemb. und Schwäb. Reformationsgeschichte, ab ipso et S. V. *Schmidio* editi, fasc. I. p. 28.

48) Ita satis diu stetisse res, ut provinciae patriae sibi suisque servandae multo magis consulturus videretur Christophorus, si Romano-Catholicis sese addiceret, libro, quem modo citavimus, p. 51 ss. expositum est.

49) Pertinet huc, quod *Lutheri*, *Zwinglii*, *Brentii*, aliorumque Reformatorum, nec non Catholicorum scripta, maxime per otium, in Monte Beligardo inventum, impigre legit, relegit et cum sacrae scripturae eloquiis comparavit; quod, licet a *Zwinglii* asseclis undique ibidem cinctus, *Lutheri* tamen formulam libera mente amplexus est (cf. Schnurrer, l. c. p. 201. ex *Bidembachio* et *Schnepfio*); quod singulis etiam doctrinae sacrae capitibus indagandis magno studio sese immisit (ut v. c. in controversia de S. C., quae quantopere pium ejus animum occupaverit, edictum sacrum d. 25. Jun. 1558. adversus Anabaptistas, Schwenckfeldianos et *Sacramentarios* vulgatum, synodum theologorum Wirttembergensium exeunte anno sequente Stuttgardiae convocatam, et confessionem de vera praes. corp. et sangu. Christi in coena Domini, ab ea confectam, plurimique ab illo habitam, denique colloquium Mulifontanum 1564. ipso auctore institutum, documenta habemus prae ceteris insignia); denique quod tanta abstinentia et solicitudine bonis ecclesiasticis ad sacros piosque usus *reservandis* et *administrandis* prospexit.

gurari, quod, ubi summa rerum penes populum fuerit, in Helvetiorum v. c. pagis, liberisque Germaniae civitatibus maturissime ac facillime pedem fixerit doctrinae ecclesiaeque emendatior forma[50]); idem sane rebus factis et alibi satis superque confirmatum est. Ne enim, quod temporis locique ratio vetat, longius excurramus in hanc sententiam historicis documentis confirmandam, in eo saltim consistere aliquandiu liceat, religionis purioris cupidinem et cognitionem quandam in ipsa *patria nostra* tribus circiter lustris antevertisse Ulricum, reformationis sacrae munus subditis suis ex exilio apportantem. Quomodo v. c. fieri potuisset, ut ab anno inde seculi decimi sexti vigesimo secundo complura regiminis Austriaci adversus ingruentem Lutheri haeresin et librorum ejus lectionem edicta prodirent[51]), nisi necessitas urgere visa esset? Quomodo ordines provinciales, Praesulibus exceptis, anno jam 1525. publice graviterque petiissent, ut doctrinam divinam pure sincereque, missis hominum commentis, praedicari in posterum liceret[52]), nisi melioris doctrinae desiderium longe jam maximam civium partem occupasset? Quantum contra tum inter ipsos metropoleos incolas antiquae religionis formae fastidium fuerit, ex iis luculentissime apparet, quae illi anni 1527. ineunte

---

50) Ipsa illa ratione, quam, cum sacrorum reformationem ad nefaria ausa sua infucanda adhiberent, rustici rebelles secuti sunt, non obscure confirmatur, quam alte vel vulgi animis insederit religionis et ecclesiae expurgandae desiderium. Quis enim sibi persuaserit, quaecunque illi de conscientiae fideique libertate vindicanda professi sint, nonnisi simulata licentiae civilis sibi arrogatae tegumenta fuisse, aut magnum ab iis effectum speraturos fuisse turbatores, nisi et in reliquo populo ejusdem generis sensa ac desideria longe lateque dominari scivissent? cf. Pl. Rev. Pfister, l. c. p. 18 ss., apposite inprimis monentem, jam in seditione, quae sub *Pauperis Conradi* nomine, tribus ante Reformationis Lutheranae initia annis in patria nostra grassata sit, ardua etiam circa ecclesiam gravamina audita esse, ex conventus ordinum provincialium Tubingensis, mox insecuti, concluso apparere; et ipsos illos duodecim rusticorum articulos, insertos etiam Lutheri opp. ed. *Walch*. T. XVI. p. 25 ss.

51) cf. edictum d. d. 26. Nov. 1522. apud Sattlerum, T. II. add. documm No. 93. et in Pfaffii Actis et Scr. eccl. Wirtemb. p. 1. Recentius mandatum, quo omnes provinciae incolae ab urbe *Reuttlinga* et a pernicioso isto, qui ibi rem suam haberet, concionatore (*Matthaeo Albero*) arcebantur, d. d. 18. Sept. 1524. ap. Sattlerum, l. c. Nr. 100. Sequebantur alia complura, annis 1527. 1529. 1532. 33., ap. Sattlerum, documm. ad T. II. Nr. 141. 156. 158. ad T. III. Nr. 11.

52) Vid. declaratio haec ordinum Provincialium memoratu dignissima ap. Sattlerum, documm. ad T. II. Nr. 124.

vere Regimini Austriaco indicanda putarunt, vix decimam, monentes, ejus pecuniae partem templi cathedralis thesauro etiam nunc obtingere, quae ante sex et quod excurreret annos illi affluxisset [53]). In ipsa etiam Academia nostra, cujus doctores, theologiae scholasticae subtili scientia celebres, novae, quae eam rejiceret, disciplinae minime favebant, quamvis pleraque, quae ibi illo tempore excudebantur, scripta Reformatorum opinionibus adversaria essent, ipsius tamen *Lutheri* adhortatio ad pacem, adversus 12 articulos rusticorum Suevicorum typis expressa prodiit a. 1525. [54]); unde facile sine dubio conjicitur, magnam tum habitam apud nos fuisse viri auctoritatem. Omnino ita se Lutheri caussa habuisse videtur Tubingae, uti in dialogo quodam satyrico, a. 1523. edito [55]) narratur: „ab opulentioribus clericis odio illum haberi haereticique nomine notari, a vulgo inope amari." Nolumus repetere alia permulta ejusdem rei indicia, ab aliis memorata [56]), quae sane mirandi eo minus caussae est, quo plures gravioresque novimus doctrinae purioris praecones, a quibus in diversis patriae nostrae Wirttembergicae partibus semina ejus prospero successu dudum sparsa fuerant [57]). Quo accedit, quod in praecipuis quibusdam civi-

---

53) cf. Schnurrer, p. 94.

54) cf. eund. p. 318 s.

55) v. eund. p. 295 s.

56) cf. inprimis Reverendiss. de Schnurrer, lib. laud. p. 92 ss. b. de Spittler, in Gesch. Wirttemb. p. 124 s. et Pl. Rev. Zahn, in Vers. einer Ref. Gesch. des Herzogth. Würtemberg, Tub. 1791. p. 8 ss.

57) Celebratissima sunt nomina Ambrosii *Blaureri*, qui jam circa annum 1520. in coenobio Alpirspacensi, *Lutheri* scriptis excitatus, puriorem doctrinam et monachis et populo tradidit, deinde, cum Constantiae, quam patriam habuit, per complures annos pastoris munere fungeretur, *Memmingensibus* quoque, *Ulmensibus* et *Esslingensibus* in reformandis sacris doctrina et consiliis suis adfuit, tandem cum Erhardo *Schnepfio* ecclesiae nostrae patriae emendandae opus partitus est; ejusdem hujus Erhardi *Schnepfii*, Heilbrunnensis, qui circa annum 1522. Wittenberga, ubi cum Martino *Bucero*, et Jo. *Brentio Lutheri* ipsius familiari amicitia usus erat, in patriam reversus, *Vinimonti* primum, deinde in *Gemmingorum* nobilium ditione, postea *Wimpinae* evangelium docuit, donec, et exteris aliquandiu opera sua praestita, Stuttgardiam ab *Ulrico* vocatus de condenda ecclesia evangelica Wirtembergica eximie mereretur; Matthaei *Aulberi* (Alberi), Reuttlingensis, Philippo *Melanchthone* in academia nostra praeceptore usi, postea ibidem circa a. 1521. *Lutheri* libris initiati, in patria mox urbe publico ecclesiastae muneri admoti, quo ita functus est, ut purioris sacrorum formae auctor suis conditorque evaderet, summa auctoritate et veneratione omnium insignis; Ioannis *Brentii*, Wilae Suevorum nati, qui, ut postmodum de ec-

tatibus imperialibus, intra Wirttembergiae fines sitis, vel certe contiguis, sacrorum reformandorum opus jam antea perfectum fuerat, quam *Ulricus* manus illi apud nos admoveret [58]). Denique, qui attenderit, quomodo et ipse princeps et ii, quorum ille consilio operaque usus est, in exequendo illo negotio versati sint? et quomodo populus sese gesserit, cum ad recipiendam novam religionis disciplinam formamque invitaretur, non cogeretur: is sane, paratissimos dudum ad salutarem istam rerum conversionem majorum nostrorum animos fuisse, nullo modo poterit dubitare. Idem vero de aliis quoque Germaniae et Europae regionibus, ubi introducendae sacrorum reformationi externas quasdam caussas manifestius succurrisse patet, valere, facile monstratu esset.

Jam III) cum, sive primas magnae hujus rei origines, sive progressus ejusdem in publica auctoritate factos spectaverimus, religiosam illius indolem undique elucere videamus; vix commorandum amplius esse censemus in eo, ut aut *rationes politicas,* quas ad istam rerum sacrarum conversionem plus minusve momenti attulisse largimur, *et ipsas pluribus vinculis cum religione connexas fuisse* [59]),

---

clesia nostra rite adornanda atque stabilienda inter primos meruit, ita, cum Heidelbergae studiis incumberet, Philippo *Melanchthone*, Martino *Bucero*, Erhardo *Schnepfio* commilitonibus usus, et ipsius *Lutheri* non scriptis modo imbutus, sed etiam familiari consuetudine ejusdem, dum disputationis publicae caussa a. 1518. Heidelbergae commoraretur, confirmatus, mox 1522. Halae Suevorum, quo ad obeundum concionatoris munus vocatus erat, sacrorum emendationi operam fortissimam impendit. Verbo meminisse liceat Theobaldi *Billicani*, una cum Jo. *Brentio* etc. Heidelbergae commorati, eoque forsan suasore *Vilam* translati, qui a. 1522. puriorem evangelii doctrinam ibi professus est tanto populi applausu, ut mox, jubente Regimine Austriaco, dimitteretur (cf. Schnurrer p. 20 ss. ex M. *Crusii* Annal. Suev. Part. III. L. X. c. 11.); Conradi *Samii*, Ulmensium postea Reformatoris, anno 1520. et aliquot sequentibus *Brakenhemii* ex mente Lutheri docentis; Ioannis *Gaylingii* Ilsfeldensis, primi in patrio vico doctrinae evangelicae ab anno 1523. (cf. Schnurrer, p. 27 ss.) praeconis.

58) Referendae praeter alias huc sunt *Reuttlinga* (a. 1524.), *Ulma*, *Heilbronna*, *Esslinga* (quae, magno civium numero dudum purioris doctrinae amore incenso, novum rerum sacrarum ordinem publice amplexae sunt a. 1531.); cf. *Pfisteri* et *Schmidii* l. supra laud. fasc. I. p. 130. et fasc. II. p. 1. ss. ubi minime praetermittenda sunt, quae de sacrorum reformandorum apud Ulmenses praesertim prolusionibus, satis gravibus, a seculo saltim decimo quarto et quinto repetendis, e certis documentis afferuntur.

59) Ut uno exemplo utamur, lenta illa atque incerta ratio, quam adversus populos principesque, rei sacrae reformandae faventes, intra Germa-

atque a religionis rationibus vim suam haud raro traxisse; aut, *ea quoque momenta externa*, quae reformandae ecclesiae negotio *adversissima* esse visa essent (nequaquam certe negligenda aequo judici, ubi caussae ejus mutationis politicae commemorantur), *ipsius religionis internae ope* in commodum ejus versa esse, exponamus.

Quae si ita sunt; si in veritatis divinae desiderio et religionis indigentia, apud animum intime percepta, ingens, quam recolimus, rerum sacrarum reformatio primariam sui originem, primarium auxilium agnoscit; sanctius sine dubio, quisquis ejus beneficiis, in literarum etiam cultum, in rempublicam, in domesticam singulorum vitam redundantibus, exultat, obstrictum se sentiat necesse est ad sanctos illos, unde *tanta* profecta sint, sensus magni habendos atque in semetipso aliisque, quomodocunque fieri possit, alendos et confirmandos. Quemadmodum verae religionis, internae scilicet illius, atque animo radicitus emendando et certa Dei propitii fiducia tranquillando addictae, constantissimum studium Reformatorum labores saluberrimos excitavit et secundavit; ita neque eorum fructibus, genuinae potissimum religionis veriore intelligentia, plene uti quisquam poterit, nisi qui id, in quo illius omnis cardo vertitur, firmam nempe et factis conspicuam animi cum summo Numine concordiam, curae cordique habeat, eaque potiri omnibus viribus annitatur; neque magni quid in rebus ad internam perpetuamque humani generis salutem pertinentibus praestabit, nisi qui virorum illorum immortalium, totque ejus-

---

niae quidem fines tenuisse constat *Carolum* V. Imperatorem, eundem, qui in *Belgicis* provinciis tanto legum suppliciorumque rigore purioris doctrinae asseclas oppressit, non ab omni certe parte vindicanda erit prudentiae imperio prospecturae, diversam, quae forte obtineret, rei publicae in diversis regionibus conditionem computantis, rationibus, sed inde etiam illustranda, quod magnum Caroli ingenium, nec animo ad religionem proclivi destitutum, sacrorum publicorum naevos et errores perspiceret, dominatus pontificii injuriam detestaretur, quantum pii reformatorum Germanorum conatus a sectarum, quae Belgas pridem turbavissent, novos quoque de rebus sacris motus in rem suam versurarum, consiliis differrent, agnosceret, heroica potissimum illa virtute et divina mentis perspicacissimae praestantia, quam in *Luthero* plus una vice coram intuitus esset, et complurium, qui hunc sequerentur, sive principum sive privatorum hominum, sancta constantia captum sese intus sentiret.

dem aetatis hominum, Evangelium ab istis oblatum grata mente amplexorum, pia exempla secutus, ad eam animi Deo et Christo freti fortitudinem ascenderit, cui arduum nihil esset.

[Haec talia ut in pectore volvamus, nobisque impressa servemus per omnem futuram aetatem, sed etiam revera assequi intense allaboremus, ipsa, quae proxime agemus, sacrorum reformatorum solennia secularia tertia quem nostrum incassum excitatura esse metuamus? Est potius, quod speremus, fore, ut eo valeant publica illa quoque piae laetitiae insignia, quibus cum universa ecclesia Luthero duce restaurata hos dies distinguet nostra studiorum universitas, ingenti, cujus memoriam recolimus, operi et ipsa immensum quantum debens. Ita vero procedent, quae indicimus, solennia: Postquam crastino die Veneris, mensis hujus XXXI^mo^, eodem itaque, quo tribus abhinc seculis sacrorum emendandorum fundamenta jacta sunt, cetero, qui in urbe nostra floret, Evangelicorum coetui, ad sacra in templo Cathedrali ante et post meridiem facienda, socios frequentes sese junxerint Academiae nostrae doctores, studiosi ac cives, nec pauci eorum, quod facile auguremur, sequente Dominica XXII. p. F. Trin., II^da^ d. Novembris, Coenam sacram, qualem Dominus instituit, concelebraverint (quos actus religiosos pares aliqui, in Arcis et Hospitii aedibus sacris, partim a *Seminarii nostri homiletici sodalibus* instituendi, comitabuntur); peculiares Academiae solennitates auspicabitur Oratio jubilaea, die Martis, quae IV. Novembris est, hora ante meridiem X. in Aula Nova habenda a Viro Summe Reverendo et Spectatissimo *Jonathane Friderico* BAUMMAIER, *Theologiae Doctore et Professore P. O. ad Ecclesiam Cathedralem Concionatore matutino tertio, Ordinis theologici h. t. Decano.*

Ejusdem diei hora post meridiem II. eodem loco iterum congregabimur, Virum Excellentissimum atque Amplissimum, *Carolum Philippum* CONZ, literarum classicarum, nec non Eloquentiae et Poëseos Professorem P. O. *Carmen in honorem Lutheri* sermone theodisco compositum recitan-

tem, *chorumque musicorum, Cantatam,* festi consilio aptam, peragentem, audituri.

Die autem altera, V. Novembris, hora ante meridiem X. in *Seminarii Regii theologici,* circa recolendam sacrorum reformatorum memoriam suas sibi partes haud ultimas vindicantis, coenaculo Virum Plurimum Reverendum, *Fridericum Henricum* KERN, *Philosophiae Magistrum, et Repetentem in Sem. theol.,* de argumento dierum festorum magnitudini apto verba publice facientem auscultabimus, et futuris restitutae doctrinae evangelicae praeconibus, ad sancti, cui maturescunt, muneris amorem religiosissimum excitandis, testes aderimus; II^da^ post meridiem ejusdem diei hora *Aulam Novam* repetituri, ubi *quatuor* Academiae nostrae alumni praestantissimi, sedula in studiis suis industria commendatissimi,

Christianus Henricus DOERNER, *Neuffensis, Philosophiae Magister et Theologiae Studiosus in Seminario Regio,*

Joannes Melchior KOHLMANN, *Bremanus, Theologiae in oppido Studiosus,*

Guilielmus de BREITSCHWERDT, *Stuttgardianus, Juris Studiosus,*

Georgius KLETT, *Heilbrunnensis, Medicinae Studiosus,*

quantum theologia et theoretica et practica, quantum Juris prudentia, quantum naturae scientia et philosophia, ceteraeque, quaecunque sint, bonae literae magno sacrorum reformationis operi debeant, publicis orationibus exequi conabuntur; quo facto finem solennibus imponet, qui Rectoris academici nunc officio fungitur, *Ernestus Gottlieb* BENGEL, *Theologiae Doctor et Prof. P. O. Ecclesiae Cathedr. Decanus, Seminarii Regii Superattendens,* complures Viros meritissimos, quibus, ad festam laetitiam simul et observantiam eorum virtutibus debitam publice significandam, singulae academiae nostrae Facultates summos, quos impertiri possent, honores conferre decreverunt, Doctores recens creatos renunciando.

Quibus actibus publicis, ut et Universitatis hujus doctores, studiosi, cives, et, quicunque in Urbe nostra religioni evangelicae, bonis literis ac musis nostris favent, suo quisque ordine honorifice compellandi, adesse frequentes velint communemque exultationem pio consortio suo augere, decentissime eos rogamus atque invitamus.]

P. P. Sub Sigillo Facultatis Theologicae.

Tubingae, d. XXX. Oct. MDCCCXVII.

XV.

OBSERVATIONUM

DE

PAULI AD REM CHRISTIANAM CONVERSIONE

ACT. IX. 1-16. XXII. 3-16. XXVI. 9-20. NARRATA

PARTICULA PRIMA.

In rite aestimandis eventibus illis perquam mirabilibus atque a communi rerum naturalium cursu plane alienis, quibus Jesu Servatoris nativitatem stipatam fuisse narrant evangeliorum nostrorum auctores, dici vix potest, quanti referat, universam unici illius hominis indolem atque historiam divinique consilii, cui exsequendo iste natus esset, immensam magnitudinem repetere animo atque pensitare, cum, quae de alio quovis relata fidem omnem superatura esse viderentur, in illo ipso, prae ceteris omnibus insigniendo, tantum non exspectata haberi debeant At par omnino ratio est eorum etiam, quae, illo rebus terrenis erepto, ad condendam ipsi ecclesiam totumque, quod instituerat, negotium conservandum atque promovendum facta divinitus esse legimus, quippe quae, utut remota a consueto naturae ordine, cum divini sospitatoris in orbem terrestrem introducti ibique degentis historia apprime profecto concinunt; quo fit, ut et magnopere inde confirmentur ipsa, et illam vicissim uberrime collustrent atque corroborent. Accedit, quod haec magnam certe sui partem ex viva eorundem, quibus acciderant, et a quibus effecta perhibentur, narratione proxime excepta, quid? quod ipsis ipsorum verbis nobiscum communicata esse cernantur, ne forte traditiones, multorum narrantium repetentiumque oribus exaggeratas, exornatas et adulteratas, subodorari posse tibi videaris.

Quod cum praecipue valeat de Pauli Apostoli ad fidem christianam conversi historia, et a Luca, quem discipulum ille itinerumque comitem habuit sibi familiarissimum, et ab ipso, quem Lucas loquentem induxit, magistro pluribus istis Actuum apostolicorum locis relata, qua haud scimus,

an ulla alia plus facere possit ad divinam Jesu Christi dignitatem et auctoritatem plenius perfectiusque confirmandam, nequaquam alienum esse putavimus a solemni hujus scriptionis opportunitate, si huic rei, quamquam permultorum eorumque doctissimorum hominum operis ad nostram usque aetatem tritissimae, non nihil lucis commodare nos etiam conaremur.

Praemonere liceat, quod jam innuisse quidem videri possumus, in dijudicanda ea, quam nunc tractemus, historia pleraque, si in quacunque altera, referri ad animi sinceritatem aut mentis sanitatem, in illo ipso, de quo res sit, homine aut agnoscendam aut addubitandam. Ut enim taceamus Apostoli ipsius de se ad castra Jesu Christi mirabiliter traducto relationes, Capp. XXII. et XXVI. obvias, quas a fidelissimo discipulo Luca pro suo arbitrio subditas illi esse, quis sibi persuaserit? ea profecto, quae Lucas C. IX. tanquam suo nomine de eodem facto tradit, non minus ex ore Apostoli, vicissitudinem vitae suae longe gravissimam creberrime sine dubio recordantis atque praedicantis, depromta censere, *mythicae* itaque interpretationi in hoc omni negotio valedicere oportebit. Neque ab hac sententia ullo modo dimoveri posse nobis videmur iis, quae in Lucae narratione cum Apostoli ipsius dictis pugnare non nulli arbitrati sunt [1]). In quibus conciliandis etsi diversis modis periclitati sint interpretes tum antiquiores tum recentiores, minime tamen colligere inde licebit, vel, neminem eorum, quid verum sit, vidisse, vel (quod *Drusio* visum erat) non posse omnino illa ratione satis firma secum componi, vel, quae pugnent, ornatui et adumbrationi historicae simpliciter irroganda esse [2]). Nobis quidem, ut verum fateamur,

---

1) Cf. praeter alios S. V. Ammon in commentatione exegetica ante hos septem et viginti annos scripta, et opusculis theologicis, Erl. 1793., inserta: de repentina Sauli ad doctrinam christianam conversione, p. 6 ss.

2) Fac enim, nullam, quae hucusque tentata sit, conciliandi rationem plane satisfacere, nec aliam ullam reperiri, in qua possit acquiesci; nos tamen mallemus in dubio relinquere, quomodo tandem cohaereant, quae Paulus et quae Lucas discipulus retulerint, quam hunc scriptorem, ακριβειας historicae studiosissimum, in re a magistro saepius audita, eidemque maxime propria, intempestivae exornandi libidinis, qua abreptus verbis illius, *a semetipso eidem libro inserendis*, male memor contradixisset, arguere.

quae ex hoc genere prolatae sunt, dubitationes, facili negotio dilui persuasum est. Quod enim attinet ad verba Cap. IX. v. 7.: „οἱ δε ἀνδρες οἱ συνοδευοντες αὐτῳ εἱστηκεισαν ἐνεοι, ἀκουοντες μεν της φωνης, μηδενα δε θεωρουντες," collata cum narratione ipsius Apostoli C. XXII, 9.: „οἱ δε συν ἐμοι ὀντες το μεν φως ἐθεασαντο και ἐμφοβοι ἐγενοντο, την δε φωνην οὐκ ἠκουσαν του λαλουντος μοι," — ut non inviti concedimus, quaesitiorem esse eorum rationem, qui vel της φωνης nomine C. IX, 7. *Pauli*, cum aliquo colloquentis, vocem significari [3]), vel verbum ἀκουειν C. XXII, 9. de *intelligendo* sumtum esse praecipiant [4]), arbitrariam vero eorum, qui loco IX, 7. conjectura critica mederi maluerint [5]); ita in promtu esse existimamus, priore quidem loco de *sonitu* qualicunque, a comitibus Pauli *audito* sermonem esse, posteriore de *articulata* loquentis cujusdam *voce non audita* [6]). Quae deinde legi-

3) Ita post *Chrysostomum* (ad XXII, 9. hom. in Acta App. XLVII. ed. *Montf.* Lib. IX. p. 353), *Oecumenium* et *Theophylactum*, *Beza*, *Castellio*, *Zegerus*; ex recentioribus *Heumannus*.

4) E compluribus aliis nominamus b. Lilienthal, in libri: die gute Sache der göttl. Offenb. P. III. cap. 7. p. 608 sq. et P. XVI. c. 30 p. 1624 ss. contra Matthiae *Knutzenii* objectiones disputantem, S. V. Kübnoel, in Commentar. ad IX, 7. monentem, ex sermonis hebr. consuetudine verbum שמע saepius ita poni, ut significet intelligere, et S. V. Bretschneider, Handb. d. Dogm. T. I. p. 142. In eandem tamen sententiam aliorum etiam interpretum nonnulli inclinaverant, licet hoc „ἀκουειν" vocabulo *audiendi* vel *percipiendi* reddi debere recte viderent, ut Bullingerus (in Acta App. commentar. ll. VI. Tig. 1535. Fol.) ad IX, 7. „Eadem vox audiri potest et non audiri. Audiri quidem, cum sonus aliquis ad nos defertur incerta tamen significatione. Et non audiri, cum vox audita non *intelligitur* —" et Biscoe, Erläut. der Apostelgesch. aus den Weltgeschichten und Alterthümern, aus dem Engl. übers. von *F. E. Rambach*, Magdeb. und Leipz. 1757. 4. C. 13, §. 446. Verbum autem ἀκουειν, quod nequaquam inficiamur, hebraeo more saepius de intelligendo sumi, hoc loco (XXII, 9.) non de *mentis* intelligentia, sed de eo, quod *auribus* percipitur, vel percipi putatur, capiendum esse, ex ipsa ejus cum verbo: „ἐθεασαντο" antithesi apparet.

5) Quod constat de Laur. *Valla*, qui in annott. ad XXII, 9. locum IX, 7. transpositis similibus vocibus φως et φωνη depravatum et ita restituendum esse censuit: „θεωρουντες μεν το φως, μηδενα δε ἀκουοντες."

6) Non secus, quam ii, qui Joh. XII, 29. in voce e coelo resonante nihil nisi tonitru audiisse sibi visi erant. Caeterum Apostolus, C. XXII, 9. conspecto *lumine* perterrefactos esse referens comites, tantum abest, ut eosdem *sonitu simul audito* haud minus obstupefactos esse negaret, ut potius alteram terroris caussam, quam ipse cum altera copulatam cogitavit, in succincta oratione inconsulte praeteriisse existimandus sit. Quae vero de voce alicujus, secum colloquentis, a comitibus non pariter audita, addidit, eo consilio videtur addidisse, ne forte, si talem vocem a comitibus suis *non*

mus C. IX. 8: „ἀνεῳγμενων δε των ὀφθαλμων αὑτου οὐδενα ἐβλεπε," cum illis Cap. XXII, 11.: „ὡς δε οὐκ ἐνεβλεπον ἀπο της δοξης του φωτος ἐκεινου" — tum demum pugnare existimanda essent, si Lucam priore loco innuere voluisse oporteret, Paulum, postquam humo surrexerit, apertis oculis circumspiciendo *edoctum convictumque fuisse*, neminem, qui secum collocutus esset, adesse. Quod secus est, sive verba: „οὐδενα ἐβλεπε" ad solum Jesum, sive et ad hunc et ad comites et ad quemcunque alium, tanquam coecitatis jam ortae indicia, referas. Praeoptamus nos quidem prius, cum ipsum „οὐδενα ἐβλεπε" ad antecedens (v. 7.) „μηδενα δε θεωρουντες" non obscure spectet, neque igitur coecitatis Paulo illapsae *necessariam* significationem in his verbis agnoscimus [7]); nihilo tamen minus persuasum habemus, quod Paulus, humo erectus oculosque tollens, Jesum non conspexerit, id cum orta jam coecitate ita connectere Lucam, ut Jesum, si omnino externo sensu conspiciendus adfuisset, a Paulo certe, oculis caligine captis, conspici non potuisse, sequentibus verbis („χειραγωγουντες δε αὑτον εἰσηγαγον εἰς δαμασκον. και ἡν ἡμερας τρεις μη βλεπων") indicaret [8]), eoque moneret, ne ipsum quidem magistrum corporeis oculis conspicatum fuisse Jesum, mirandi igitur locum non esse, qui factum sit, ut comitum oculos fugeret [9]). — *Maxima* de-

---

auditam esse, aliunde compertum fuisset, minus sincere narrasse ipse putaretur. — Quod jam attinet ad Lucae relationem, C. IX. 7., quis erit, qui sibi persuadeat, scriptorem, immemorem eorum, quae ipse Apostolus ingenue professus sit, id sibi velle: vocem Jesu a comitibus etiam auditam fuisse, et *ideo*, quod neminem, a quo ea prodiret, conspexissent, terrorem iis injecisse? Quis contra ambigendum esse duxerit, Lucam mutatis verbis idem cum magistro narrare: comites nempe, repentino sonitu audito (insolitoque lumine conspecto), *quamvis* neminem cum eo colloquentem viderint (audierintque), attonitos atque obstupefactos stetisse?

7) Velut post Grotium cel. Künoel et S. R. Heinrichs ad h. l., immo, quod mireris, ipse cel. Ammon, commentat. laud. p. 8. not. 3.

8) Hoc nexu posito neque versiculum 9, neque versiculum Cap. XXII, 11. obstare posse, quo minus „οὐδενα ἐβλεπε" proxime ad solum Jesum referatur (quod visum est cum aliis interpretibus, tum cel. Künoelio), vix est, quod diserte notemus.

9) Animadvertimus, similiter hujus versus sensum cepisse videri b. Thiess, in annott. ad Act. App. vers. vern. a se editam, Lips. et Gerae, 1800. p. 161. „Er sah keinen, so wenig als seine Begleiter (v. 7.); die Vision war vergangen, er *konnte* keinen mehr sehen, die Gegenstände um ihn her nicht *unterscheiden* (χειραγωγουντες δε αὑτον εἰσηγαγον εἰς Δαμασκον)."

nique [10]) diversitas cum observari perhibetur in tradendo colloquio cum Paulo coelitus habito, cujus argumentum, Cap. IX. 4 ss. et XXII. 7 ss. commemoratum, novis accessionibus auctum et in orationis formam redactum reperiatur Cap. XXVI. 16 ss.; quamvis nolimus inficiari, adesse quandam diversitatem, neque rem omnem confici posse eo, ut, quae Lucas C. IX. et Apostolus C. XXII. brevius tradiderant, ab hoc ipso C. XXVI. *plenius uberiusque* communicari, moneatur [11]); at talem apparere discrepantiam, quae vel Lucam vel Paulum in reddendo Jesu Christi sermone licentiae cujusdam, uno alterove loco admissae, convincat, id quidem negare ac pernegare nobis posse videmur. Nolumus illud. Licet enim fieri per se potuisset, ut Paulus coram populo Hierosolymitano C. XXII. atque ex eo Lucas C. IX. *aliam* ejusdem sermonis Jesu Christi partem, aliam eamque *longiorem* Paulus coram Agrippa verba faciens C. XXVI. referret, in iis tamen ipsis, quae a Jesu dicta posteriore hoc loco leguntur, deprehendimus nonnulla, quae non nisi post visionem in itinere Damasceno habitam animum Apostoli intrasse credibile sit, ea scilicet, quae ad provinciam Paulo demandandam proxime spectarent. Quaecunque enim ad hoc caput pertinerent, de iis ablegatum eum esse liquet ad singularia, quae Damasci demum exspectanda essent, praecepta, C. IX. 6. XXII. 20., ea vero, quae de hac caussa Jesus praecepisse Apostolo narrâtur C. XXVI. 16—18., ita comparata sunt, ut cum illis, quae de munere a Paulo converso subeundo Ananiae a Jesu (C. IX. 15 ss.), ab Anania Paulo ipsi (C. XXII. 15.) indicata esse perhibentur, tantum non ad verbum usque congruant. Quo accedit, quod Paulus in ipsa relatione C. XXVI. 12. ss. pari plane passu progrediatur cum Lucae narratione C. IX.

10) Quod enim comites Pauli, qui Luca auctore C. IX, 7. εἱστηκεισαν ἔνεοι, — Paulus (ipse etiam de se uno prostrato loquens C. XXII, 7.) C. XXVI, 14. secum *humi prolapsos* fuisse memorat, in eo quidem repugnantiam, nisi studiose quaesitam, neminem deprehensurum esse confidimus, cum, utcunque fuerit, et attonitos illos *primum stetisse* maneat, et Paulus, postquam surrexerat, eosdem humo ante se erectos reperire atque ex vocibus saltem cognoscere potuerit; ne moneamus, verbum εἱστηκεισαν premi necesse non esse.

11) Cf. ad h. l. Bullingerum (apposite ceterum notantem, plurimum id praesenti conduxisse expurgationi, nosse, quibus verbis et quo consilio a Deo vocatus esset Apostolus) et Grotium.

3. ss. et sua ipsius priori C. XXII, 6. ss., donec deventum sit ad illa Jesu verba, quibus eum *surgere* jusserit; his autem allatis (XXVI. 16. „ἀλλα ἀναστηθι etc.“ coll. IX. 6. „ἀλλα ἀναστηθι etc.“ XXII. 10. „ἀναστας πορευου etc.“), et omissis, quae IX. 6. et XXII. 10. secuta erant, verbis, *Damascum pergere* jubentibus, jam ad ea transeat, quae sibi de evangelio, Judaeis Gentilibusque promulgando Jesus praecepisset; quo vestigio haud sane obscuro, ea jam se adjicere prodit, quae ipsi, jussum Damascum petendi exsecuto, mandata erant. At salva res est. Ut enim Paulum ipsum, si cum sermone Jesu in itinere audito ea, *quae paullo post ab eodem perceperat* [12]), in brevi et concinna ad Agrippam oratione conjunxit, a rei factae veritate incuriosius deflexisse [13]) nemo aequus arbiter judicabit; ita Lucam, ubi haec eum Agrippae narrantem induxit, scriptorum exornantium atque amplificantium morem secutum esse, partem certe orationis pro lubitu affingentem magistro (quod si voluisset, afficturus certe fuisset, quae convenirent prioribus), multo etiam minus statuere fas erit.

Hisce positis, ad ipsam, de qua agitur, historiam rectius concipiendam, et ad momentum illud, quo ea cum confirmanda divina doctrinae christianae origine et auctoritate cohaereat [14]), firmius certiusque definiendum nonnihil nos collaturos esse speramus, si accuratius inquirere studuerimus: *primum*, an Pauli ad fidem christianam, summumque illud ejus vel gentilibus commendandae studium conversio tam subita, per se ipsa, ex legibus psychologicis spe-

---

12) Sive ea in visione, quae C. IX. 12. memoratur, percepta fuisse cum b. Lilienthal (T. XVI. p. 1626 sq.) conjicias, sive, quod magis placet (cum illa quoque visio ad praeparandum Paulum spectasse videatur), Ananiae Christi nomine docenti vindices.

13) Cf. b. Thiess, p. 290 sq. „Was nun folgt, sind Zusätze, welche die gelegentlich wieder erschütterte Phantasie des Redners, der auch über jene Vision verschiedentlich reflectirte, nach und nach gesammelt zu haben scheint. Bis dahin *referirte* Paulus nur, wie, aus seinem Munde, Lucas, so getreu wie möglich, was bei jenem Donnerschlag, der mit dem Blitz zugleich erfolgte, in seinem Innersten vorgegangen war, nun fängt er an zu *explicirен*, und läfst die Erscheinung eine Rede an ihn halten, *die er auf der Stelle componirt!*“

14) Cf. S. V. Bretschneideri libr. laud. ubi §. 29. argumentum pro divinitate religionis christianae ex conversione et testimonio Pauli petitum denuo commendatur ac singulari diligentia explicatur.

ctata, pro miraculo habenda sit? *tum*, an Lucae ac Pauli relationes, Jesum ab hoc *ipsis oculis conspectum fuisse*, sumi jubeant? *deinde*, an, quae illic acciderunt, cuncta ac singula, ex naturalibus caussis repetere sana artis historicae principia permittant? *denique*, quo potissimum modo universum hoc factum ad confirmandam religionis christianae divinitatem adhiberi queat [15])? Quod igitur

Imam quaestionem attinet, quo minus iis viris eruditis accedere posse nobis videamur, qui tantam conversionem eamque tam repentinam ex legibus menti humanae scriptis naturali modo fieri plane non potuisse, optimo quidem consilio adstruere sategerunt, haud pauca sunt, quae nos prohibeant. Ne vero, quod longius esset, aliorum, qui naturalem admitti explicationem, ostendere conati sunt [16]), recoquamus seligamusve argumenta, nostram sententiam pauca observando fulcire ac defendere sufficiat.

Ingentes nimirum et plane inopinatas in sentiendi, cogitandi, agendi denique modo mutationes haud raro subire et subiisse homines quoscunque omnium temporum, cum nemo humanae naturae atque historiae vel mediocriter gnarus ignoret; ubi dubitatur, an fieri potuisset, ut Paulus, rei christianae ejusque asseclarum acerrimus obstinatissimusque hostis, in constantissimum strenuissimumque ejusdem rei christianae sectatorem, praeconem ac defensorem transiret? eo quidem haec objectio omnis videtur referri, ut, tantam vicissitudinem *tam subito* confici pro mentis humanae natura potuisse, inficias eatur, cum non soleat illa ab una ratione ad alteram contrariam *transsilire*, sed *continuis* potius *passibus transgredi*. Quod quanquam rite sum-

---

15) Haud parum inprimis referre in hac causa, ne quid tanquam historice certum aut ex caussis naturalibus inexplicabile ponatur, quod incertum aut explicabile sit, per se patet.

16) Praeter S. V. Ammon (comm. laud. p. 14—25), Ill. Eichhorn (Allgemeine Bibliothek der bibl. Literatur T. VI. Fasc. I. p. 1 seq.), S. V. S. V. Stäudlin (Geschichte der Sittenl. Jesu, T. I. p. 715 seq.), Heinrichs et Künoel (in commentt. ad Acta Apostolorum) instar omnium nominare licebit S. R. Greiling, in commentat. non parum acuta, quam b. Henkii Museo theolog., T. III. Fasc. II. p. 226—262 inseruit: „Historisch-psychologischer Versuch über den plötzlichen Uebergang des Apostels Paulus vom Pharisäismus zum Christianismus.“ Add. quae nuperrime monuit S. V. Planck, Gesch. des Christenthums T. II. p. 90 ss.

tum verissimum sit, primum tamen atque universim non negligendum erit, gradus illos, quibus mutationes in animo humano perficiendae procedant, non numero solum et sequendi celeritate, sed eo quoque diversissimos esse, quod et in ipsius, qui mutationem subit, hominis et aliorum animadversionem vel manifesto incurrant, vel plus minus eam fugiant (quo fit, ut in opinionibus moribusque mortalium convertendis saltum facere natura non tam raro videatur). Deinde, quod Paulum praesertim attinet, vix negari poterit, et probabiles quasdam conjici posse rationes, quibus magna illa, quae in eo exstitit, sententiae omnisque mentis mutatio, donec prospero forsitan accedente casu perficeretur denique atque in lucem erumperet, praeparari tacite ac pedetentim potuerit; neque vero etiam esse, cur omnem illam, de qua res est, Pauli mutationem, cur intimam inprimis illam et purissimam, ad quam evectus tandem esse deprehenditur, imarum evangelii medullarum perspicientiam (qua v. c. de regno Christi vere coelesti omnibusque quarumcunque gentium hominibus patente, de morte Christi, tanquam gravissimo provinciae Messianae capite servitiique, legi Mosaicae debiti, exoptatissimo fine, etc. luculentissime persuasum ipsi esset) in ipso visionis, Damascum proficiscenti oblatae, momento vel saltim ante baptismum ab Anania susceptum *consummatam absolutamque* fuisse existimemus. Quicquid enim statueris de vitae rationibus, quibus Paulus priori adolescentiae aetate usus fuerit; sive cum tot aliorum Judaeorum Hierosolymis degentium vel indigenarum vel peregrinorum millibus et ab ipso interdum visum auditumque fuisse Jesum Christum cogitaveris, sive nunquam [17]); de eorum tamen, quae hic ipse et egerat et do-

17) *Nunquam* prius a Paulo visum auditumve fuisse Dominum, inde certe, quod nullibi, nec iis quidem locis, ubi in auctoritate sua apostolica contra adversarios, aliorum apostolorum cum ipso Jesu familiaritatem opponentes, defendenda allaborarit, ejus rei sibi honorificae injecerit memoriam, satis tuto colligere vix licebit, cum, quod cum innumeris aliis, a re christiana alienissimis, commune habuisset, eo provocandi parum caussae adfuturum fuisset. Gloriabantur adversarii de suis apostolis, familiarissima et plane singulari cum Christo conjunctione insignibus (cf. b. Storr. notitt. hist. ad epp. ad Cor. Opusc. T. II. p. 252 ss.). Quod *his*, se quoque Christum interdum vidisse, docentemque audiisse, tantum abest ut regerat Apostolus, ut potius non obscure fateatur, se non ἐγνωκεναι κατα σαρκα χριστον (2. Cor.

cuerat et expertus erat, haud pauca dudum ei innotuisse, nemo erit, qui dubitare posse sibi videatur, immo etiam pleniorem quodammodo doctrinae illius imaginem, si nusquam alibi, at in Gamalielis certe schola, offerri ei facile potuisse, vix quisquam inficiabitur. Quae semina, quanquam educationis, quae legis Mosaicae reverentiam in religiosorum Judaeorum filio ac nepote a teneris foverat (2 Tim. I. 3.), reliquiis et Pharisaica, qua deinde usus est, disciplina suppressa aliquamdiu essent, et fervido de avita religione bene merendi studio, quod hominem, viribus affectuumque vehementia abundantem ad novatores sacrilegos vinculis ac nece insectandos abripuit, prorsus, ut videbatur, exstincta, resedisse tamen in magno, et sublimiorum de Deo colendo ultimisque hominum finibus assequendis praeceptorum capacissimo animo, novis, quae forte accederent, nutrimentis atque incitaminibus facile refocillanda, alenda ac, interno mentis dissidio prospere diremto, in flores fructusque tandem agenda, mirum profecto putari non potest. Pharisaica certe religionis patriae forma, licet ex ore magistri, doctrinae, prudentiae et pietatis laude [18]) ac summa apud universum populum auctoritate (Act. V. 34.) florentissimi, juvenili ardore arrepta, ingenio Paulino, (quod, utut auctum postea et adjutum credamus et ipso evangelii lumine et divini spiritus dotibus plane singularibus, nativo tamen vigore ac celsitudine eminuisse liquet) omnibus ex partibus perpetuo, vel postquam longe meliora et altiora delibaverat,

V. 16. coll. 12. X. 7.) immo ad visionem a Christo gloria conspicuo sibi concessam, confugiat (1. Cor. IX. 1. XV. 8.), eo *omnem*, qui Paulo olim contigerit, Christi adspectum excludi, nobis quidem eo minus persuadere posse videmur, cum Apostolum, sub *Stephani* necem νεανιαν (Act. VII. 58.), vix alia, quam, quae cum Christi publice docentis tempore congrueret, aetate, Hierosolymis educatum et in Gamalielis schola eruditum (Act. XXII. 3.) ponere queamus (cf. S. V. Cludius, Uransichten des Christenthums p. 146 s.); quod tamen ipsum longius exsequi et adversus secus sentientes (v. c. illustr. Eichhorn, Einl. ins N. Test., T. III. p. 10. et al. loc.) defendere, alienum esset ab hoc loco. (De conversionis Paulinae tempore, unde et haec potissimum pendent, ablegare liceat ad Magnif. D. de Süskind commentat. „Neuer Versuch über chronol. Standpuncte für die Apostelgeschichte und für das Leben Jesu" in libro, quem edimus, periodico „Archiv für die Theol. T. I. p. 174 s. 303 ss.). Manet ceterum, *frequentem* Pauli cum Christo in terris versante conventum sumi omnino non posse.

18) Cf. Lightfoot Chron. tempp. et ordo text. N. T., Opp. T. II. p. 101. ex Thalm. Tr. Sot. c. 9.

satisfacere haud valuit. Neque etiam aequabiles illae ac sobriae Gamalielis de nova disciplina et secta sententiae, ab intempestivo hujus exagitandae furore dehortantes (Act. V. 34. ss.)[19]) a discipulo adolescente, rerum gerendarum avidissimo, quantumcunque migratae, ita prorsus eidem excidisse putari poterunt, ut nec aliunde oblatis, quae rem christianam commendarent, rationibus, dubiisque, an bona esset, quam ageret, caussa? ingruentibus recrudescerent. Difficulter autem admodum fieri poterat, ut plane deessent, quae animum persecutoris ancipitem redderent, et ad caussam Christianorum magis inclinarent. An v. c. innocentiae, pietatis, firmissimaeque Jesu Christi fiduciae exempla, in hominibus familiisque hostili consilio a se visitatis inventa, an vel unius Stephani admirabilem magnanimitatem, in exantlando, cui ipse cum applausu interfuerat, mortis supplicio probatam, plane immota reliquisse putes talis hominis praecordia? An eum, qui altiori de rebus sacris indagini ex Gamalielis schola dudum assuetus esset, doctrina, quam insectaretur, propius cognoscenda omnino contumaciterque supersedisse imagineris? Quae omnia quidem si in tanto ejus pectore pridem fermenti instar agitata fuisse sumas, antequam iter Damascenum iniret; nonne hoc ipsum reluctante quodammodo meliore animi parte, quin ad compescenda illius obloquia constantiaeque laudem servandam institutum fuisse, et vero eo citius etiam in ipsa via subrepere eum coepisse poenitentiam quandam inhumani, forsan et injusti, quin nefasti conaminis, ultro prorsus, nec ullo alio urgente aut incitante, (Act. IX. 1. s.) suscepti, augureris[20])? Quo posito, extraordinaria quadam et repentina,

---

19) Nolumus nimii esse in Gamalielis erga rem christianam benevolentia praedicanda. Quae si tanta fuisset, quantam fuisse inde a Pseudo-Clemente (Recognitt. l. I. c. 65.) haud pauci sumserunt, quin, si omnino tam liberaliter ac sane ille sensisset de rebus divinis et moralibus, quam sensisse etiam a S. V. Greiling (p. 245 s.) ponitur; multo sane difficilius intellectu foret, quomodo Paulus, quo erat et ingenio erecto et animo nobili, ad atrox illud novae disciplinae odium delabi unquam potuisset (cf. S. V. Bretschneider, l. c. p. 146 s.). Ut taceamus, illam sententiam aliis etiam argumentis historicis dudum satis refutatam esse, maxime a Lightfooto Hor. hebr. ad Act. V. 34. Commentar. ad Acta App., ad C. V. 34. et VIII. 1. (Opp. T. II. p. 703. 777. 793.).

20) Excipi posset, Apostolum non una vice, quaecunque in Christum

quae forte peregrinantis sensus perculerit, externae rerum naturae vicissitudine, tali maxime, qualis pro omine mentisque divinae significandae instrumento haberi solita esset (בת—קול) [21]), et quae subitam obcoecationis poenam comitem haberet [22]), fieri potuisse, ut animus, antea jam anceps secumque discors, a prosequendo, quod initum fuisset, consilio et agendi genere omni divinitus absterritus, immo ad amplectendum id, quod hostiliter persecutus esset, tractus sibi videretur [23]), haud sane inviti concesserimus.

---

ejusque asseclas hostiliter egerit, ea omnia coeco quodam Deo serviendi fervore abreptum et per ignorantiam se egisse profiteri (Act. XXII. 3. XXVI. 9. 1. Tim. I, 13. Gal. I. 13 ss. Phil. III. 6.). At neque uno aliquo temporis momento in animis hominum meliores, quas amplectantur, notiones atque sententias gigni ac perfici, et multos variosque esse solere vel in optimis quibusque mortalibus semetipsos latendi et minus recte aestimandi modos, quis est, qui nesciat? Quis erit, qui negare audeat, Paulum, ubi de ignorantia, qua victa statim ad meliorem frugem transierit, loquatur, illud etiam temporis spatium spectare, quo, an vere hucusque senserit, recteque egerit, *dubitare demum occepisset;* ubi filium Dei *ab ipso manifestatum sibi esse* praedicet (Gal. I. 16.), non primas hujus cognitionis persuasionisque scintillulas, sed consummatam tandem in se fidem innuere? Verba Cap. IX. 1. 2., quae S. V. Bretschneider (p. 143.) urgentem videmus, nihil certe, nisi quod *in oculos ceciderit*, spectant, neque igitur internis quibusdam, qui in animo Pauli antecessisse queant, alius generis motibus contradicunt.

21) Solemne omnino illis temporibus fuisse, ut, si qua inopinate accidereut in externa rerum natura, insoliti v. c. in aëre soni, strepitus, fragores, pro divinae voluntatis indiciis, vaticiniorum vicem explentibus, haberentur, *Josephi* testimoniis (Antt. XIII. 18. de bello Jud. II. 12.), quibus complura *Thalmudis* loca, voces ex coelo (בת—קול) memorantia (cf. Tr. Sanhedr. fol. XI. col. J.), accedunt, extra dubium positum est. cf. S. V. Ammon, l. c. p. 21 ss. not. 13. Tales vulgi Judaici opiniones in explicandis illis N. T. locis, quae de vocibus coelitus delapsis narrant, ne ab iis quidem plane negligendae sunt, qui e solis naturae legibus narrata intelligi posse negant.

22) Qualemcunque demum statueris visus, qua Paulus affectus sit, jacturam, ejusmodi tamen, illo ipso ac Luca testibus, fuisse concedes, quae poenae aut terriculi instar habere videri posset. Quae enim C. IX. 9. XXII. 11. relata legimus, ad *oculos per meditabundum quendam stuporem pertinaciter clausos* cum S. R. *Greiling* (l. c. p. 233 ss.) restringere nemo facile ausit, qui (nè quid aliud moneamus) verba illa C. IX. 12. „ἐπιθεντα αὐτῷ χειρα, ὅπως ἀναβλεψῃ," (quibus *caussa*, cur Paulus ab Anania adeundus sit, et Paulo, *consolando* videlicet, et ipsi Ananiae indicatur), nec non illa Cap. XXII. 11.: „ὡς δε οὐκ ἐνεβλεπον ἀπο της δοξης του φωτος ἐκεινου," ut decet, perpenderit.

23) Eo se trahi crediturum fuisse Paulum, *nisi jam prius praeparatum*, ut cum S. V. Bretschneider (p. 143.) valde dubitamus, immo negamus potius; ita, praeparatum et ancipitem animo trahi potuisse, eo certius persuasum habemus. Nec est, quod dubitemus, de Jesu coelitus apparente cogitare illum potuisse (l. c. p. 144); quaerebatur enim, utrum sua, quam hucusque fovisset, opinio, an Christianorum de Jesu e mortuis revocato *et in coelos sublato* sententia praeferenda esset?

Sin dixeris, firmam constantemque in Jesum Christum, mortuum et e mortuis revocatum, fidem, nedum solidam illam ac profundam religionis christianae cognitionem et ejus propagandae ac defendendae studium acerrimum, quibus Paulum mox eminuisse constet, hisce omnibus minime explicata sisti, consentimus lubentissimi. At, ne urgeamus, quantum ingenii Paulini solerter eruditi nativa felicitas, quantum animi ejus ad bona quaeque ac magna proclivis praestantia eo conferre potuerit, ut e tenuibus, quas pridem acquisiverit, evangelii notitiis, mente semel mutata, opinione ocyus assurgeret ad fortissimam Jesu Christi fiduciam et ad doctrinae ab illo traditae imaginem sibi informandam egregie aptam atque concinnam; neu nimium tribuamus ipsi Pharisaicae disciplinae odio (quod eo majus in eo fuisse oporteat, quo vehementius istorum facinorum, ad quae instigatus ab illa esset, puderet eum ac poeniteret), magno certe doctrinae divinae plenius puriusque cognoscendae et strenuissime propugnandae adminiculo atque incitamento; annon in ipsa urbe Damasci, quo jam illum, non hostili consilio perrexisse, sed, discendi divinaeque erga se voluntatis ulterius experiundae cupidissimum, deductum esse novimus (IX. 6. 8. XXII. 10. s.), deinde in Arabia, quo se mox secessisse ipse auctor est (Gal. I. 17.), tum denuo Damasci (ibid.), et, tribus post conversionem annis, Hierosolymis (v. 18. coll. Act. XXII. 17 — 21.), haud pauca accessisse putanda sunt, quae fidem genitam alerent et corroborarent, veri cognitionem prospere inchoatam augerent atque perficerent? Nolumus iterum uberiori, qua usus esset, *Ananiae* institutioni (quae eo certe plus valere poterat, quod ille rei christianae fidelis assecla, sed idem ob pium legis Mosaicae studium omnibus etiam Judaeis, Damasci degentibus, probatissimus esset (XXII. 12.)), plus justo vindicare, cum, non ab hominibus, sed ab ipso Deo et Christo suam Evangelii scientiam se hausisse tam graviter professus sit Apostolus (Gal. I. 11. 12.). At ipsum illius viri, antea, ut videtur, Paulo incogniti [24]), ultro jam eum adeuntis, ami-

24) Plus certe caussae adesse videtur, hoc, quam contrarium, cum viris cell. Ammon (p. 24.), Eichhorn (p. 6 ss.), Heinrichs (ad IX. 12.), Künoel

cum alloquium, et videndi facultatem, eodem temporis momento recuperatam; ceterorum Christianorum Damasci incolentium arctiorem consuetudinem, post reditum ex Arabia insuper instauratam, quos homines efficiat fides in Evangelio posita, vivis exemplis monstrantem; otium Arabicum, minime illud sine dubio otiosum, sed rebus, quae gravissimae ac sanctissimae jamjam viderentur, pie meditandis diligenterque investigandis impensum[25]); luculentas denique consilii divini de gentibus, in salutis christianae consortium vocandis, significationes, Hierosolymam reduci, ipsa incolarum contumacia ansam praebente, oblatas (Act. XXII. 17.—21. coll. 29.), ea quidem omnia ac singula magnam vim habuisse ad consummandam demum in animo Apostoli fidem lucemque Evangelii opinionum nebulis[26]) liberandam, non tam conjicere, quam credere licebit. Sed quamquam fieri per se potuisse arbitremur, ut Paulus naturali modo, auxiliantibus talibus fere, quales ab ipso et Luca narrantur, casibus, in J. Christi asseclam praeconemque constantissimum

(ad eund. l.) aliisque sumendi. Etenim C. IX. versiculus 12., quo provocare solent, qui vel facie cognitos sibi invicem fuisse Paulum et Ananiam statuunt, tantum abest, ut illis suppetias ferat, ut potius nostram sententiam confirmet. Virum Ananiam nomine Paulo in visione ostendi potuisse negant, nisi prius ei a facie notum, cum ejusmodi visa nihil omnino reddere queant, nisi quod antea animo sui conscio cognitum fuisset. At ne universae huic visorum legi examinandae inhaereamus, quis tandem dubitet, fieri posse, ut cuipiam in viso alter aliquis vel nomine cognoscendum se sistat? Quod autem ipsi Ananiae in visione ei oblata dicitur: „εἶδεν" (Paulus) „ἐν ὁράματι ἀνδρα ἀνανιαν ὀνοματι εἰσελθοντα etc." cum dici in promtu fuisset: „εἶδεν ἐν ὁράματι εἰσελθοντα σε etc.," eo non obscure indicatur, virum, cujus species oblata esset Paulo, peregrinum illi prius, et nomine nuncupato demum insigniendum fuisse. Omittimus, si a facie notum sumamus Paulo Ananiam, inde familiaritatem aliquam, quae inter utrosque antea intercesserit, minime consequi, neque igitur minus inopinatum videri potuisse Paulo, quod ab hoc viro tam amice conveniretur.

25) Non negamus, Paulum in Arabia commorantem, Evangelium, cui etiam Damasci illico testatus esse narratur (IX. 20.), Judaeis saltim (cf. 20. 22. et S. V. Planck, l. l. p. 109 ss.) coepisse tradere; sed cum et ipse de rebus in hac regione gestis taceat, et Lucas illius secessus mentionem faciat plane nullam, haud multum a vero abfuturi nobis esse videmur, si tempus istud non minus sibi, in doctrina christiana ulterius confirmando, quam aliis, illo imbuendis, tribuisse conjecerimus.

26) Summum inprimis illud cognitionis christianae fastigium, in quo semel constitutus salutem Evangelii omnes quarumvis gentium homines pari lege complecti, persuasissimum haberet Apostolus, licet forti fervidoque ejus animo ex ipso, quem tantopere odisse didicerat, Phrisaeismo facilius ascensu factum sit, non uno tamen passu vel volatu ascensum ab eo fuisse, plura sunt, quae doceant (cf. S. V. Planck, p. 110 ss.).

tum evangelii constantissimus, sed et praeco evaderet, quo ad *exteras* potissimum *gentes* in ejus consortium adducendas nemo plus valeret atque proficeret?

At, ut vel omittamus, ad ea, quae *antecesserant,* studiosius respicere, remque, de qua quaeritur, *per se* potius, et ex eo, quod *ipsa effecerit,* spectemus; vix profecto diffiteri poterimus, Sauli conversione, quae et tantis efficientiae divinae plane singularis speciminibus insignita fuerit et Evangelio ad gentes remotissimas propagando tantum commodi non proxima tantum, quae insecuta sit, aetate praestiterit, sed nec nunc desierit praestare, Dei ipsius in rem christianam studium luculentissime confirmari.

His tamen longius immorari, aptissimumque, quo divina religionis christianae origo et auctoritas e Pauli conversi historia confirmetur, argumentandi modum per singulas partes exponere, cum hujus loci esse nequeat, id jam absolvendum est, quod ansam dedit scriptioni nostrae.

Quicunque igitur per festos praesertim, qui instant, dies unigenito Dei filio, in terras introducto (Ebr. I. 6.), tanquam ἀρχηγῷ καὶ σωτῆρι (Act. V. 31.) et constituto divinitus, et, praeeunte potissimum Sauli conversi ministerio, innumeris etiam, quae σκοτος ante fuerant, gentibus, immo et nobis manifestato, exultamus, Cives optimi! consertis, agite, dextris sancto non minus quam laeto ejus lumine sancte laeteque fruamur et (Eph. IV. 15) ei, qui caput est, Christo, juncti, sapientiae, virtutis, beatitatis incrementa ex omni parte capiamus!

P. P. Sub sigillo facultatis nostrae evangelico-theologicae
d. XX. Dec. MDCCCXX.

XVII.

SYMBOLARUM

AD SOLVENDAM QUAESTIONEM ILLAM:

AN JUDAEI JESU ET APOSTOLIS ANTIQUIORES IISQUE AEQUALES NATURAM DIVINAM VEL HUMANA SALTIM MAJOREM IN MESSIA APPARITURAM PRAESTOLATI SINT?

PARTICULA PRIMA.

1.

Quae librorum Novi Foederis auctores, Joannes praesertim ac Paulus apostoli, de divina Jesu natura praecipiunt, ad ea dogmatice aestimanda quam plurimum referre, ut ipsos Judaeos, Jesu et apostolis vel coaevos vel aetate praecedentes, mentem humana superiorem in Messia apparituram exspectasse recordemur, haud pauci hodienum sunt, qui moneant. Inde scilicet effici existimant, non alia ex caussa ita de magistro locutos esse discipulos, quam quod in adumbranda legati divini ceteris omnibus longe anteponendi imagine ad obvias illas de Messia opiniones aut consulto sese demiserint, aut populares illas qualescunque notiones, a semetipsis imbibitas, ultro expresserint. Quorum alterutrum an rite concludatur? hoc loco anquirere supersedemus [1]), ad eam solum quaestionem, num illud ipsum, quod in facto ponitur, ponere revera liceat? certius solvendam nonnihil collaturi.

2.

Jam, si ad illam futuri Messiae imaginem, quae in canonicis V. T. libris obtinet, velimus respicere, haud admodum multos fore auguramur, qui quidquam, quod huc pertineat, ei inesse contendant. Constat enim jam inter plurimos librorum istorum interpretes, magnificentissimas quasque et celsissimas, quas ibi legimus, Messiae descriptiones non assurgere ultra notionem *hominis* ex avita Davidis stirpe oriundi et divini Spiritus dotibus prae aliis omnibus in-

1) Perpendere et hic juvabit, quae dudum observata sunt a Magnif. Süskind in commentat.: Etwas über die neuern Ansichten der Stelle Joh. I, 1—14. in libr. period. Magazin f. christl. Dogm. und Moral, Fasc. X. p. 51 ss. 73 ss.

structi, qui subactis quibusque populi hostibus regnum amplissimum, potentissimum, idemque perpetuo duraturum condere, sapienter non minus quam juste gubernare, adversus quaevis pericula intactum tueri omnique felicitatis genere cumulare, ac veri Numinis cultum, vitae sanctitate conspicuum, non inter cives tantum instaurare, sed inter exteras quoque gentes longe lateque propagare et valeat et haec tanta omnia reapse perficiat. Et quamvis haud pauca sint V. T. loca, in quibus doctrinae de divina Christi natura satis clara vestigia deprehendere sibi visi erant antiquiores praesertim theologi; ea tamen ejusmodi sunt, ut vel valde dubium sit, an de Christo loquantur, vel saltim attributa humanis majora, re accuratius considerata, in iis desiderentur, vel utraque dubitatio obstet. E quibus ea, quae de nuntio quodam Dei, quasi ab ipso Deo nequaquam distinguendo, dicebantur narrare [2]), nedum, quibus pluralitas in summo Numine cogitanda indicari putabatur, in nostra, quam tractamus, caussa tantum non praetermittenda censemus, cum id solum quaerendum sit, an ipsi *Messiae* natura humana sublimior in canonicis V. T. libris adscripta passim videatur? Sed et cetera, quae de certo quodam homine loqui apparet, quem Messiam esse contendebant, rei probandae neque per se spectata, neque scriptorum Novi Testamenti interpretamentis adjuta suffecerint. Prae aliis [3]) nempe laudari solebant haec loca: Ps. II. 7. Mich. V. 1. Es. IX. 5. Ps. CX. 1. 4. 5. XLV. 7. 8. Mal. III. 1. Dan. VII. 13 s.

3.

At ut haec primum per se ipsa examinemus, quod ad

2) cf. S. V. Schott in epitome theol. chr. dogm. ed. II. §. 95. not. a).

3) Loca Jer. XXIII. 6. XXXIII. 16. quibus Messias יהוה צדקנו appellari dicitur, et similia omittenda putamus, cum ea omni probandi vi carere, nimis liquido appareat, unde et in auxilium vocari a theologis dudum desierunt. Ut unum moneamus, si illa Jeremiae ad Messiam referenda sint (quod ipsum valde dubium est, cum ad *populum* referri non minus facile possint. cf. b. Jahn, app. ad herm. s. Fasc. II. p. 97 s. 106 s.), quidni Messiae nomen: יהוה צדקנו impositum iri eodem sensu dici poterat, quo Moses Exod. XVII. 15. altari nomen: יהוה נסי inscripserat, vel quo Ezechiel C. XLVIII. 35. Hierosolyma appellatum iri: יהוה שמה, vaticinatur (cf. S. V. Eckermann Handbuch der chr. Glaubenslehre, T. II. p. 622.)?

primum illum attinet, quo regem, a Jehova institutum gentibusque rebellibus tremendum, eo sensu sisti dicebant *filium Dei*, ut *ab ipso Deo genitus*, ideoque *naturae divinae* particeps haberi debeat; ipsa, qua v. 7. cum proxime antecedente nectitur, ratio docere profecto poterat, verbum ילד similiter sumendum esse, ac Ps. LXXXVII. 4. 6. (ubi de alienigenis in civitatis Judaicae consortium *adoptandis* idem usurpatum exstat), ut nempe ipsum Dei decretum innuatur, quo eum sibi filium regnique participem *adoptaverit;* quae interpretatio plus quam satis confirmatur addita illa voculà היום, de *aeterna* filii divini generatione contra omnem loquendi usum olim intellecta, at certum potius temporis momentum, quo eum pro filio suo declaraverit Jehova, non obscure innuente. Facile igitur patet, si vel maxime largiamur, Ps. II. de Messia agere, nihilo tamen magis concedendum fore, divinae naturae consortium versu laudato eidem vindicari. Verum enim vero neque id ipsum defendendum susceperimus, de Messia hoc carmen vaticinari, quippe quod, remoto levi illo, quem v. 7. moverat, scopulo, de Davide expeditissime aptissimeque exponi queat [4]) et a judaicis non minus quam christianis Messiae notionibus dissonet [5]).

4) Magnopere sane in argumento Psalmi definiendo inter se dissentiunt recentiores quoque interpretes, cum, ne de iis dicamus, qui complura in eo deprehendere sibi videntur, quae de nullo Judaeorum rege, nisi de Messia, praedicari potuissent (ut v. c. Müntinghius), ceterorum etiam alii de alio Judaeorum rege cogitent (cf. S. R. de Wette prooem. in hunc Ps., in Comment. über die Psalmen, p. 107 ss.). At plane nobis persuasum est, neque illis cessurum esse, quisquis poëticum dicendi genus juste aestimaverit, et facillimam praesertim esse de Davide interpretationem. Quod enim v. 8. gentes regi, si opus foret (שאל ממני), se mancipaturum, terraeque ultimos terminos (remotissimos regionum exterarum tractus) possidendos daturum esse pollicetur Jehova, quid hoc aliud erit, nisi promissi, securitatem ab hostilibus quibusque populis ei spondentis (cf. 1 Sam. VII. 10 s.), amplior expositio? Nec, cum, regi se submittendo Jehovam ipsum venerari jubentur gentes v. 11., eundem illi, qualem huic, cultum praestare jubentur; denique non, qui rege, sed qui Jehova confidant, beati praedicantur v. 12. Quid autem vetet, quo minus (praeeuntibus Grotio, S. R. Eckermanno in symbb. theol. T. I. Clariss. Mollero in Eichhorn. Bib. T. VI. et al.) bello Nesibeno secundo prosperrime absoluto (2 Sam. VIII. 3—8.) carmen nostrum cecinisse existimetur vates aliquis, regi divinitus constituto gratulaturus et de regno theocratico gloriaturus, perspicere nos quidem haud possumus. Omnes enim partes cum temporis illius rationibus optime conveniunt; ea v. c., quae gentes *exteras* adversus regem *rebellantes conspirantesque*, quae *Zionem* sedem regni cultusque divini (cf. 2 Sam. V. VI.), quamvis non tanquam locum,

4.

Quem vero secundum allegavimus, locus Mich. V. 1. licet dubitari vix possit [6]), quin de Messia, e Bethlehemo, Davidis patria, orituro loquatur, an tamen eundem ab aeterno fuisse praedicet, quod e vocibus ומוצאותיו מקדם מימי עולם demonstrari posse videbatur, multo minus liquebit, cum formula: ימי עולם, non secus ac praecedens, cui respondet, קדם, de temporibus *antiquis* saepissime occurrat (cf. ipsius Michae cap. VII. 14.), atque vel ex parallelismi legibus ortu regis nascituri מקדם מימי עולם ipsa ex antiquissima Davidis Bethlehemitae stirpe origo denotari magnificentiusque exprimi putanda sit.

5.

Majorem speciem habet argumentum ex loco Jes. IX. 5., quem pariter de Messia intelligendum esse, exploratum habemus [7]). Ibi nimirum et *Dei* et *patris aeterni* nomen nascituro regi attributum videri poterat. Verumtamen re ac-

---

ubi unctus rex fuerit (quod temere e v. 6. elicitur), quae confirmatum Davidi in populum Jehovae imperium (v. 7. coll. 2 Sam. VII. 8 — 12.) innuit.

5) Recte hoc observatum a S. R. de Wette l. l. „Auch paßt der Psalm weder zu den jüdischen, noch zu den christlichen Vorstellungen von dem Messias. Nach jenen sollte er die Völker erst besiegen und unterjochen; im Psalm aber wollen schon unterjochte Völker sich frei machen; nach diesen ist der Messias kein Völkerbezwinger, den eisernen Scepter führend etc."

6) Qui vel Hiskiam regem, vel Serubabelem innui opinati sunt, immemores profecto vel non satis memores fuere *seculi aurei imaginum*, Capite jam antecedente a versu inde 8. occurentium. cf. not. s.

7) Quamvis hoc oraculum multi interpretes v. c. Grotius, b. Henslerus, S. V. Paulus, b. Jahnius (Append. ad hermen. sacr. Fasc. II. p. 133 — 144.) ad Hiskiam regem, tum prosperrimae spei juvenem, referant, eo potissimum moti, quod cum periculi ab Assyrio imminentis descriptione, Cap. antecedente facta, tam arcto nexu cohaereat, nos tamen in omni, quae C. IX. 1 — 6. occurrit, adumbratione nec deprehendere quidquam valemus, quod Hiskiam proxime designet, nec verisimile putamus, de certo quodam suae aetatis homine talia ac tanta tam confidenter praedicturum fuisse vatem, nec magnum, qui nostrum oraculum inter et illud, quod Cap. XI. sequitur, consensum negligendum existimamus, nec denique videmus, quidni in ipsa jam, quam Assyrii attulerant, angustia, regis cujusdam, e stirpe Davidica orituri, qualis nonnisi Messias soleret concipi, absolutissimum, quod imaginando efformari poterat, regis exemplar reipsa tandem exaequaturi, expectatione et sese et populares erexisse putari possit propheta? Consentientem habemus cel. Eichhorn (die bibl. Propheten, T. I. p. 182.), in eo tamen nec S. V. Gesenio adversantes, quod Messianum loci sensum non continuo deserendum existimet, etsi (quod nobis quidem secus videtur) jam in Hiskia, tum juvene, *Messiam suum* auguratus fuisse ponatur propheta (der Prophet Jesaja, von Gesen. T. II. P. I. p. 362.).

curatius considerata vis probandi valde minuetur. Formula enim אל גבור collatis locis Ezech. XXXI. 11. XXXII. 21. Exod. XV. 15. Job. XLI. 16. (in quibus simillimus est secundus) nihil aliud significare censebitur, quam principem heroa, אבי־עד patrem, s. sospitatorem perpetuum (utpote qui condendo regno Messiano perennem felicitatem populo paraturus sit) [8]). —

6.

Psalmi deinde CX. versu 1. loqui urgebant Davidem de Messia tanquam domino suo, quem ad gloriae et potestatis suae consortium Jehova evecturus sit; quomodo loqui omnino non potuisset, nisi naturam humana longe superiorem, cujus dominio jam ipse subjectus esset, et quae majestatem divinam participare valeret, in magno suo hoc nepote apparituram agnovisset. Davidem scilicet, instabant, ipso titulo Psalmi auctorem prodi, qui cum non de semetipso sed de *domino suo* ad dextram Jehovae evecto vel evehendo glorietur, vel hanc unam ob caussam nihil superesse, nisi ut de Messia tum jam domino suo loqui statuatur; accedere vero, quod et istud dignitatis fastigium, ut quis ad dextram Jehovae sedeat, omnem hominis naturam per se ipsum longe su-

---

8) Ut tertium nomen אבי־עד primo פלא יועץ (consiliator curatorve mirandus), ita quartum, שר־שלום, secundo אל גבור, videtur respondere, quo ipso significatio nominis אל, a nobis assumta, confirmatur. Ceterum, quo sensu rex dicatur: אבי־עד, ex sequenti etiam versiculo discimus (להכין אתה [ממלכת דוד] ולסעדה במשפט ובצדקה מעתה ועד־עולם). Ad יועץ Ps. 16, 7. et 32, 8., ubi hoc verbum item de Deo benigne prospiciente ac curante occurrit, ad אבי Jes. 22, 21. et Job. 29, 16. apposite laudat S. V. Gesenius; nomen tamen פלא sine idonea caussa a יועץ divulserit, ceterarum appellationum, hic enumeratarum, formae compositam dictionem פלא יועץ aptam futuram fuisse negans (quasi non singulae *compositae* essent). Rectissime vicissim celeb. Rosenmüllero, pro notione Dei, voci אל h. l. tribuenda, ad C. X. 21. provocanti, idem Vir doctissimus respondet, isto quoque loco Deum fortis herois nomine notari probabile esse, cum saepissime heros nuncupetur. Addimus, nomen appellativum אֵל vel (quod idem est) אֵיל, (potentia, potens) de vero Deo exochice usurpatum (ut simile שדי) in proprium demum abiisse videri; cf. Gesen. Lex. s. h. v.

peret [9]), et v. 4. aeternum eidem domino sacerdotium a Jehova collatum perhibeatur, quo neque Davides neque ullus alius Judaeorum rex a Jehova ornari potuisset. Addebant nonnulli, vel, versu jam primo pro לאדני legendum esse לאדני, itaque regem, quem Psalmus praedicet, nomine uni Deo quam maxime proprio nuncupari, quod deinde repetitum sit v. 5. (אדני על־ימינך), ut b. MICHAELIS l. c. p. 476. ss. et qui eum sequebantur; vel, ut MUNTINGHIUS, JAHNIUS (l. c.), S. V. KNAPPIUS (die Psalmen, übers. u. mit Anm.) aliique, v. saltim 5. regem hoc unius Dei (Jehovae) nomine compellari (ubi nec, pro אדני ipsum nomen יהוה a quibusdam Codd. et verss. substitui, observare negligebant). At multa tamen esse, quae hisce rationibus recte opponantur, et interpreti historico, per se saltim spectanti Psalmum, alio eundem referre suadeant, inter hodiernos V. T. investigatores constat. Ut enim pauca quaedam moneamus, neque, Davidi auctori tribuendum esse hoc carmen, e titulo satis firmiter adstrui poterit, cum non pauci Psalmorum, saltim LXXII. priores sequentium, tituli serius additi putandi sint, quin ipsa etiam inscriptio לדוד non auctorem constanter, sed subinde materiam, argumentum aut tempus carminis innuere videatur [10]), neque etiam, si et genuinam censeamus Psalmi nostri inscriptionem, et de auctore illam interpretemur, de Davide eum agere omnino non posse, illico sequatur. Modo scilicet omnis color, ut ita loquamur, carminis omnisque, qua insignis est, indoles poetica illi auctori conveniat: quid multum oberit, quo minus ipsum Davidem illud inter sacra publica alternis choris decantandum composuisse, et, quae v. 1. et 2. occurrunt, singulae cujusdam cantoris voci assignasse statuas [11])? — Formulam deinde: „sedere ad dextram Dei" nihil aliud significare, quam *regnare cum Deo*, cum inter omnes cer-

9) cf. b. MICHAELIS crit. Colleg. über die drei wichtigsten Psalmen von Christo, p. 456 s. 482 ss.

10) cf. diss. nostram, ad introd. in librum Psalmorum supplementa quaedam exhibentem, supra p. 15 ss. Argumenta, quae ad confirmandam hanc sententiam attuleramus, a S. V. DE WETTIO, accedere illi dubitante (Comment. über die Psalmen, Einl. p. 19.), non remota videmus.

11) Idem sensisse videtur S. V. HUFNAGEL, Handb. der bibl. Theol. I. Th. p. 383.

tum confessumque sit [12]), quomodo eam in regem Israëlitarum, Davidem inprimis, quadrare, dubitari queat, prorsus non intelligimus, quippe qui nec hoc fugere quemquam posse persuasum habeamus, reges potissimum Israëliticos pro summi regis Jehovae vicariis, in ipsius Jehovae regnum suffectis (1 Sam. XIII. 14. Sam. VI. 21. 1 Chron. XVII. 14.), in ipsius solio sedentibus (1 Chron. XXVIII. 5. XXIX. 23.) [13]), fuisse agnitos. Quod vero ad v. 4. attinet, ubi sacerdotium perpetuum regi demandatum plus difficultatis afferre videri possit, licet non ignoremus, sacerdotium proprie sic dictum in reges Israëliticos non cecidisse, et si quis eorum jura et negotia sacerdotibus priva sibi arrogare ausus fuerit, gravis in legem divinam culpae incurrisse crimen (cf. 1 Sam. XIII. 10 — 14. 2 Chron. XXVI. 16 — 21.), minime tamen negligendum erit, de sacerdotio non Aaronitico, sed Melchisedecici instar referente, sermonem esse, quod, si ulli alii Israëlitarum regi, Davidi certe, ex eo praesertim tempore, quo expugnata urbe Salem, quae prisca Melchisedeci sedes habebatur, et Zione monte in sedem regni electo, arcam sacram solenni pompa, sacerdotem externo etiam habitu imitans (2 Sam. VI. 13.), deduxerat, ac, quaecunque ad cultum Jehovae publicum pertinerent, magnificentissime ibi instituerat, et studiosissime fovere pergebat [14]),

---

12) Plenissime hanc rem illustravit, et b. Michaelis praesertim sententiam, verba: שב לימיני ad solium Jehovae super arca foederis referentis oque confidentius de divini honoris societate, Messiae attributa, intelligenis, refutavit S. V. Knappius in elegante non minus quam docta commentaione de Jesu Christo ad dextram Dei sedente, Opusc. var. arg. T. I. p. 39 ss.

13) Quam multa sint, quae in V. T. libris ad theocraticam hanc regum, sraëliticorum praeprimis, notionem spectent, non est, quod repetamus. iceat tamen in memoriam revocare Ps. II. v. 2. 6. 7. 11., et quae ad hunc salmum monita sunt a S. S. V. V. Paulo (in Clavi philol. ed. II. p. 6 ss.) t de Wette (Commentar. p. 111. 114. 116.). — B. Jahnio in App. ad herm. Fasc. I. p. 16. dubium moventi inde, quod imperii divini in populum sotietas regibus tributa alibi per sessionem *coram* Jehova exprimatur, ut s. LXI. 7. 8., et locis vicinis Ps. LI. 13., XLI. 33. praeter alia facile esponderis, et valde incertum esse, annon his locis formula לפניך favoem potius et tutelam Dei, quam regni consortium spectet, et loea supra lata, (1 Chron. XXIX. 5. XXX. 23.) nostro tam similia esse, ut nihil milius possit desiderari.

14) Quicquid de sacerdotii, Melchisedeco, regi Salemitico, adscripti tionibus statuas (Gen. XIV. 18—20.), aliud plane illud fuisse ab Aaronico, et Davidem regem, rebus sacris tantam operam impendentem, aptissime

adscribi potuerit. Vocem לעולם, ut saepissime, ita et h. l. *perpetuitatem*, temporisque spatium indefinite longum denotare posse, vix est, quod observemus; haec modo addere liceat, primum, si carmen nostrum cum G. A. TELLERO, MOSE MENDELIDE, FRIEDLAENDERO, S. V. ILGENIO (de not. tit. filii Dei, Jen. 1795. p. 31. ss.) S. V. AMMON (bibl. Theol. T. II. p. 73.) S. V. PAULO aliisque ad illud tempus referamus, quo Davides, misso ad expugnandam Ammonitarum metropolin Rabbam Jobo, Zione manserat, re fere confecta ad illam occupandam profecturus (2 Sam. X. XI. 1. XII. 26. ss.), oracula v. 1. et v. 4. laudata huic prae ceteris tempori aptissime convenire, quippe quod solennem arcae sacrae in Zionem montem translationem et cultus divini ibi celebrandi splendidiorem institutionem, a Davide intentam (2 Sam. VI. VII. 1. 2.), ingentibus de regno domo-

---

illi comparari potuisse, inficias ire vix potueris. Certe, quod praedae decimas in suam rem verterit Melchisedecus (cf. b. JAHN. l. c. p. 85.), id neminem morabitur, nisi qui nodum in scirpo quaesierit, et nullam comparationem, quae rei comparatae non ex asse respondeat, admitti posse somniaverit. Licet igitur nec ipsi vocem כהן h. l. sensu illo latissimo sumendam esse putemus, quo quemvis regi vel Deo proximum significet (1 Reg. IV. 5. 2 Sam. VIII. 18.), itaque et regem, Jehovae vices gerentem, innuere possit, quae interpretatio, ut b. STORRIUS monuit (Pauli Brief an die Hebr. ad C. V. 5. not. k), ipsa, quae sequitur, regis, כהן dicti, cum Melchisedeco comparatione removetur; nulli tamen dubitamus, *sacerdotem sensu latiore, sacerdotem in modum Melchisedeci*, recte dici potuisse Davidem (quod novissimorum prophetarum alicui, *Zachariam* dico, occasionem praebuisse videtur, sacerdotii et imperii dignitate eundem Messiam ornandi C. VI. 94.). Unde fit, ut nec S. V. DE WETTIO calculum adjiciendum putemus (Comm. in Pss. p. 470.) de rege potius Hasmonaeo, forte *Ioanne Hyrcano*, cogitandum esse contendenti, quod sc. hi principes, si qui unquam, reges iidemque sacerdotes fuerint. Praeterea ipsae illae formulae, regem Jehovae vicarium praedicantes (v. 1. 2.), aetati Davidicae, et, quae hanc proxime excepit, multo magis conveniunt, quam Maccabaicae, qua principes iidemque pontifices populi, quamvis regum subinde titulo iterum ornati, a Deo tamen constituti esse, ejusque locum tenere non dicebantur, sed aliquantisper tantum (a populo et sacerdotum ordine) in duplex illud fastigium evecti cum posteris erant, usque dum forte propheta divinitus mitteretur, qui, quid facto opus esset, divino nomine decerneret (1 Macc. XIV. 41.). Neque enim e stirpe *Davidica* illi oriundi erant, neque, an sacerdotii cum imperio connubium valeret, liquebat. Accedit, quod singularia quaedam carmini insint momenta, quae tum universim Davidicae aetati, tum (cf. statim dicenda) expugnatae praesertim metropoleos Ammonitarum historiae facillime concinant, in alium vero modum explicationem aeque aptam ac facilem vix admissura sint. Pertinere huc videntur verba v. 6. מחץ ראש על־ארץ רבה et v. 7. מנחל בדרך ישתה על־כן ירים ראש.

que Davidis promissionibus mox remuneratam (VII. 8. ss.), proxime insecutum sit; deinde, decretum illud Jehovae: „Tu sacerdos meus perpetuus eris ad Melchisedeci instar," quod nullo alio loco literis traditum reperimus, licet insignia illa Davidis in publicum Jehovae cultum studia consulto respiciat, intime tamen *cohaerere* cum ceteris istis promissis, fore, ut ipsi ejusque posteris perpetuo conservetur regnum incolume, ab omni hostium impetu tutum, è Zione longe lateque extendendum (v. 1. s.), immo nihil aliud esse, quam eorumdem istorum promissorum novam quandam, qua pia colendi Jehovae cura, in Davide conspicua, simul memoretur, expositionem [15]). Nomen denique אֲדֹנָי tributum esse magno, qui praedicatur, regi, sine omni idonea caussa sumitur. V. enim 1. non לַאדֹנִי, sed לַאדֹנָי primitus scriptum fuisse, refragantibus omnibus et codd. (uno Cassellensi, uno DE ROSSIANO a pr. m. et forsan altero item DE ROSSIANO, qui ליהוה a pr. manu habuisse videtur, exceptis) et versionibus, et Jesu ipsius in Evangeliis allegatione (Matth. XXII. 44. Marc. XII. 36. Luc. XX. 42.), inde solum colligere posse sibi visus erat b. MICHAELIS, quod quaestio, Pharisaeis ll. cc. a Servatore proposita facilis enodatu futura fuisset, si de Domino tantum *suo*, non de Domino optimo maximo (אֲדֹנָי) locutus fuisset Davides, quam argumentationem nimis lubricam esse, non est, quod moneatur. Versiculo autem 5. nihil obstat, quo minus vocem אֲדֹנָי de ipso Jehova, dextrae regis victoris adstante (eum tuente ac defendente in summis belli periculis cf. Ps. XVI. 8. Es. XLV. 1. et ll. alia) intelligamus. Quod enim idem Jehova, cujus dextrae assidere (aut assessurus esse) ille, quem Psaltes canit, v. 1. dictus erat, v. deinde 5. dextrae alterius illius adstare dici nequeat, id eo longius petitum videtur, cum, ne in memoriam revocemus chororum vices [16]), de diversis

15) In similem modum illud: regem Israëliticum (Davidem), tanquam supremi regis Jehovae vicarium, Zione perpetuo dominaturum esse, *ita* v. 1. s. *expressum* videmus, ut, quod proximum carminis consilium secum ferebat, Davidem in praesentia Zione remanere et posse et debere, simul innueretur. Cui non obstat (cf. b. STORRIUM, l. c.), quod posteriore etiam tempore iterum ad expeditiones bellicas ipse Davides exiit (2 Sam. XXI. 15.).

16) Concinne satis carminis partes omnes procedunt, si sumas, vv. 1. et 2. cantorem singulum ordiri, v. 3. respondere chorum, populi personam

saltim temporibus et rerum rationibus utroque versiculo sermo sit, eidemque profecto regi, qui securus ab omni hostium impetu victoriaeque, a Jehova sibi parandae, certus, solio ejus dexter insidere jubetur, Jehova vicissim in multis, quibus prius ipse interfuerit, proeliis dexter adfuisse aptissime dicatur [17]). Quin, si cui forte haec minus satisfecerint, quidni is Jehovam v. 5. *invocari*, et sermone ad eum directo dici statuat regem, e dextera ejus sedentem (v. 1.), die irae suae reges conquassare [18])? Quae si ita sunt, nihil certe erit, quod de Messia, eoque divinae naturae participe, Psalmum per se spectatum intelligi cogat, vel invitet; at hoc ipsum aliam propioremque auctoris aetati personam significatam statuere eo magis suadebit interpreti, quo minus probabile haberi poterit, Deum, si de futuro Messia modo plane extraordinario edocere auctorem voluisset, prorsus omissis iis, quae ad describendum *animorum* humanorum servatorem pertinuissent, in magno bellatore adumbrando fuisse acquieturum.

6.

Neque secus judicandum erit de argumento illo, quod peti solitum erat e Psalmi XLV. versibus 7. et 8., quo utrique Messias compellari videbatur nomine אלהים. Si enim vel maxime demus, Messiam hoc carmine cani (quod autem pro epithalamio, Salomonis cum regis Aegyptii filia nuptias celebrante, et nos agnoscimus [19])), divinam tamen naturam

gerentem, v. 4. pergere singulam, cui iterum succinat populi chorus v additis versiculi 6. verbis prioribus: ירין בגוים, denique v. 6. (a voce מלא גויות et 7. triumphali singuli epiphonemate claudi cantilenem. Q. ita mirabitur, v. 5. regem ipsum subito compellari tanquam eum, cu dextrae inter pugnandum comes adhaeserit Jehova?

17) Non praetermittendum censemus temporis praeteriti in voce ירן et futuri in ירין discrimen, quo ipso posito jam omnis imaginum v. 1 v. 5. occurrentium repugnantia, a b. Jahnio vitata, evanescit.

18) Ita S. V. Ilgen l. c.

19) Quae aptissimae huic, quam Grotius praeiverat, explicationi longo ac studioso in sponsam regiam laudandam atque alloquendam exa (v. 10 — 17.), ut cetera taceamus, inprimis commendatae, a recentioribus etiam quibusdam interpretibus doctissimis opposita sunt, non ita nobis comparata videntur, ut ejus nos poenitere oporteat. Cum v. c. monetur, fortitudinis encomium v. 4 — 6. neque in Salomonem, regem pacificum, quadrare neque carmini nuptiali convenire; non negligendum erit, filiam Aegypti

laudatis versibus illi tribui nequaquam fatendum putaverimus. Non, quod cum plerisque hodiernis interpretibus[20]) quemvis regem nomine אלהים subinde honoris caussa compellatum fuisse consentiamus, quippe qui verum potius vidisse persuasum habemus GROTIUM (ad Ebr. I. 8.), b. STORRIUM (ad Ebr. I. 8. not. z) MÜNTINGHIUM (ad h. l.) et S. V. GESENIUM (ad Es. IX. 5. pag. 364. s.), loca V. T., quibus illud satis comprobari possit, desiderantes[21]). Quae enim huc afferuntur, ea aut omnino in alium sensum interpretanda sunt, aut reges principesve generatim sumtos, non

ctam a Salomone esse *imperii sui initio* (1 Reg. III. 1.), et primariam, quae reges antiquos ornare potuerit, virtutis bellicae laudem nequaquam omitti prae ceteris debuisse. Quod b. DOEDERLEIN (theol. Journ. p. 186. (opposuit, regis Judaici cum virgine extranea nuptias vati, patriae veraeque religionis cultori, vix inspiraturas fuisse sublimem, qualem legimus, hymnum; quamvis id non sine specie dictum sit, facili tamen negotio diluitur. Ipsae enim illae cum filia Aegyptii nuptiae, quemadmodum ad potentiam Salomonis augendam non parum contulerunt (1 Reg. IX. 16 s.), ita, ubi primum memoran-:ur (C. III. 1.), tantum abest, ut ei vitio vertantur, ut potius auctor, eo pso tempore regem, Jehovae amantem patrisque mores imitantem, de templo Jehovae jam exstruendo cogitasse addat (v. 1—3.), et summum, quo usus :it, favorem Dei, non sapientia tantum, prae ceteris bonis expetita, sed ıonore insuper ac divitiis illum cumulare polliciti, praedicet (v. 5—13.); ıbi vero vituperari videntur eaedem nuptiae (C. XI. 1—6.), non *per se* di-:untur illicitae (cum Aegyptii non ad eas gentes pertinuerint, e quibus uxo-es duci vetitum esset Deut. VII. 3. coll. 1.), sed quod permultis matrimo-iis cum feminis Cananiticis exceptae ad idololatriam tandem inclinassent enescentis regis animum (3. 4.) — *Tyriam* fuisse sponsam, non Aegyptiam cf. S. R. PAULI Clav. ad Psalm. nostr. p. 228. 237.), licet, cujatis fuerit, ıodo Salomonis, regis Israëlitici, sponsam cogites, parum referat, e versu altim 13., *exterarum gentium*, Tyriae praesertim (1 Reg. V. 1—10.), enerabunda munera praedicante, non magis efficitur, quam ex voce שִׁגָּל, . 12., de regina *Persarum* usurpari solita (sed cuivis sine dubio uxori apta, t antiquae Hebraeorum linguae propria [cf. verbum שגל Deut. XXVIII. 30. s. XIII. 16.]), aut ex filiis reginae, in principum fastigium efferendis v. 17. ıuod sane non solis Persarum satrapiis, sed regum quoque Israëliticorum ori concinit, conf. 1 Reg. IV. 1—19. 2 Chron. XI. 22 s.), *Persarum* potius iquem regem cani, cum viris S. S. V. V. AUGUSTIO (Prakt. Einl. ins A. T. . III.), ROSENMÜLLERO et DE WETTIO (ad Ps. n.) colligere sustinuerimus. erbo monere liceat, posteriorem hanc sententiam eo minus arridere, quod, ri potuisse, ut rex peregrinus ita (cf. prae aliis v. 7. 8.) a vate Hebraeo lebraretur, et carmen hoc adulatorium in canonem reciperetur, creditu rquam difficile videatur. Ceterum, quam multae et graves rationes Mesanae Psalmi interpretationi obstent, praeter alios luculenter ostendit S. V. ıULUS, in prooem.

20) Praeter alios multos nominare liceat b. MICHAELEM l. c. p. 457. et ibi; b. JAHNIUM, l. c. p. 88. et S. V. KNAPPIUM, ad v. 7.

21) Subtiliter addit S. V. GESENIUS, in Corachiticis praesertim Psalmis men אלהים constanter usurpari de vero Deo, alioquin Jehovae nomine signito.

unum quendam singulum אלהים vocant, aut, ubi de singulis agunt, nomine אלהים non simpliciter, sed addita quadam limitatione ad eos designandos utuntur [22]). Neque etiam calculum adjicere audemus iis, qui v. 7. aut apostrophen ad ipsum Jehovam, a rege distinctum, deprehendere sibi visi sunt [23]), cum, sicut ab initio carminis (v. 3.), ita mox iterum v. 8. sermo ad regem directus sit, aut nomen אלהים nominandi casu sumtum arbitrantes sensum ita constituunt: »Deus thronus tuus (throni tui auctor vel fulcrum) est in aeternum [24]).« Nulli autem dubitamus, praeeuntibus ABENESRA pridem, recentius clar. RICHTERO (in recitat. philol. super Ps. XLV. Lips. 1796.), et Ill. EICHHORNIO (in S. V. JUSTI Blumen althebr. Dichtkunst, T. I. p. 173.) nuperrime S. R. GESENIO (Comm. in Esaj. T. II. P. I. p. 364. s.), vocem אלהים genitivi loco habere, et verba: כסאך אלהים עולם ועד ita vertere: thronus tuus divinus s. thronus tuus, qui idem Dei est, aeternum stabit [25]); et quod ad versum 8. attinet, quidni utrumque אלהים cum multis interpretibus pro nominativo habere liceat, nullo modo intelligimus.

7.

Plus etiam momenti habere videri queat locus Malach. III. 1., ubi Messiam sisti tanquam *dominum* templi (pro quo praeter Jehovam nemo habitus unquam sit) et tanquam

---

22) Primum valet de loco 1 Sam. II. 25. ubi vocem אלהים de judice ipse *Lutherus* intellexerat, quem tamen de ipso Deo intelligere nihil vetat, cf. b. MICHAELIS ad h. l. — Secundum de compluribus locis (v. c. Ps. LXXXII. 1. 6.), ad quae etiam referre licuerit 1 Sam. XXVIII. 13., ubi אלהים pro plurali indefinito sumi potest, nisi malis monere, sagam idololatriae deditam hac regis appellatione, a qua verus Dei unius cultor abhorruisset, facile potuisse uti. Tertium denique de locis Exod. IV. 16. VII. 1.

23) Ita v. c. S. V. AMMON, bibl. Theol. T. II. p. 75.

24) Ut post GROTIUM b. DOEDERLEIN et alii.

25) Nomen regens, si proxime antecesserit, ante genitivum saepe ab Hebraeis non repeti, satis notum est, cf. ex. gr. Cant. I. 15. עיניך יונים, Ps. XVIII. 34. רגלי כאילות, et locum a S. V. GESENIO allatum, Lev. XXVI. 42. בריתי יעקב (foedus meum Jacobiticum, s. cum Jacobo). Add. b. STORR, obss. ad anal. et synt. Hebr. p. 280. et p. 404 s. et S. V. PAULUM ad h. l. Quod autem ad rem ipsam attinet, nulla omnino difficultate pressam, in memoriam saltim revocare liceat loca supra laudata 1 Chron. XXVIII. 5. XXIX. 23. de *Salomonis* solio loquentia.

angelum illum, qui priscum cum Patriarchis et populo Israëlitico pepigerit foedus, nec ipsum a Jehova diversum, post antiquiores interpretes, v. c. COCCEJUM et J. H. MICHAELEM, b. JAHNIUS potissimum (libr. laud. Fasc. I. p. 57 — 65.) omnem lapidem movit, ut demonstraret. At quanquam neminem facile dubitaturum confidimus, quin Messias a vate h. l. annuncietur, templum cum sacris splendidissime restauraturus, et improbos Judaeos, degeneresque praesertim Levitas, gravissimis poenis affecturus; divinam tamen dignitatem eidem a vate vindicatam esse, nequaquam liquet. Quod enim attinet ad formulam illam: מלאך הברית, quae de angelo Deo, prisci cum populo Judaico foederis auctore, in antiquissimis V. T. documentis modo angeli modo Jehovae nomine insignito, intelligenda esse dicitur, quia ex constanti loquendi usu in similibus dictionibus (Ezech. XXX. 5. Gen. XIV. 13. Obad. 7. Malach. II. 14.) non significet »legatum *promissum*,« ut b. BAUERO in Scholiis visum sit, sed: *legatum, quocum foedus* (celebre inprimis illud, quod Exod. XXIII. 20 — 23. XXIV. 1 — 8. describitur) *pactum est*[26]); legati *promissi* notionem exprimi nec ipsi putamus, at multum tamen absumus, ut legatum, quocum foedus *pactum* sit, significari debere existimemus. *Primum* enim nomina, vocem ברית regentia, semper et ubique eos denotare, quibuscum foedus pactum vel pangendum sit, temere sumitur, et מלאך הברית non minus indubie legatum, *per quem* foedus pangitur vel custoditur, significare potest, quam *arca* foederis arcam, foederis leges asservantem, *sanguis* foederis sanguinem, foedus sancientem. Ad illum *deinde* angelum, qui olim Patriarchis, deinde Mosi apparuerat, foedusque Jehovae cum illis ac populo ineundum indixerat, appellationem ἅπαξ λεγομενην: מלאך הברית referendi eo minus profecto caussae suppetit, cum *ne cum ipso quidem illo angelo foedus pactum esse ullibi legamus*, quippe qui, ubicunque de foedere isto feriendo, aut de aliis rebus, Jehovae propriis, prima persona adhibita, loquitur, *Jehovae nomine* verba fecisse habendus sit[27]).

26) cf. JAHN. l. c. p. 16 s.
27) Falli eos, qui loca, Mosaica praesertim, Jehovam et angelum pro-

De legato vero, per quem *pangendum* esset foedus, formulam מלאך הברית certe non minus facile, quam de angelo, per quem *pactum* esset, usurpari potuisse, ultro appareat, ne *tertio* moneamus, iis, quae modo diximus, effici, si celebrem illum angelum significatum esse vel largiamur, licet superiorem quandam humana, at non divinam tamen naturam tribui putandam fore Messiae. E contrario nonne nomine מלאך הברית futurum Messiam aptissime insignire poterat vates eo sensu, ut regem ac sacerdotem (Zach. VI. 13.) innueret, novum illud foedus, a Jeremia et Ezechiele annunciatum (Jer. XXXI. 31. ss. Ezech. XVI. 60. ss. XXXIV. 23. ss. XXXVII. 26. ss.), quod ipsum infra v. 16. s. indicitur, instituturum? Nonne haec ipsa interpretatio vocis מלאך Cap. etiam II. versu 7. confirmatur, ubi (ut propheta Haggaeus, Hagg. I. 13. מלאך יהוה במלאכות יהוה לעם) quilibet *sacerdos* (utpote foederis cum Jehova et ipse internuncius) vocatur מלאך יהוה־צבאות, Jehovae legatus[28])? Si autem urgere velis illud: יבוא אל־היכלו

---

miscue loquentes aut agentes subinde inducentia, ita interpretari posse sibi videantur, eo certe argumento, quo in enchiridio hermeneuticae (Viennae, 1812.) p. 112. usus erat b. Jahnius, et quo in hac caussa nos ablegat (Append. Fasc. I. p. 59.), persuaderi nobis haud potuit. Quum enim monetur, in his locis minime esse sermonem de notario, dicta Dei calamo excipiente, sed de legato, qui non possit jure sibi attribuere opera soli Deo deleganti propria; facile respondebitur, quam primum pro certo sumtum fuerit, nonnisi Dei mandata elocuturos aut executuros apparere angelos, angelum in eloquendis divinis consiliis prima persona utentem, aut, quae aliàs Jehova ipse egisse dicitur, agentem apte satis induci potuisse. Immo non parum subsidii huic interpretandi rationi addi existimaverimus ipso illo loco Exod. XXIII. 21., ubi strictissimum obsequium angelo itineris duci praestandum inculcari videmus ita, ut *ipsum Jehovam ei inesse* asseveretur (כי שמי בקרבו), cum contra difficillimum creditu sit, angelum Jehovae tanquam eundem cum ipso Jehova sisti a scriptore voluisse, metuendi inde periculi, ne plurium Deorum opinioni indulgere videatur, plane immemore et incurioso. — Haud aegre autem valedicimus aliis conjecturis, quibus recentiores aliquot interpretes doctissimi locorum illorum difficultates solvere conati sunt (ut b. Zieglerus, theol. Abhh. T. I. et, qui eum sequitur, b. Bauerus in theol. V. T., primaevam de Deo ipso apparente notionem cum seriore de αγγελοφανειαις opinione adhuc commixtam et quasi certantem augurantes, aut anonymus in commentat. inserta b. Henkii promtuario, T. III. „Abhdl. zur Kritik und Aufklärung der Lehre von den Engeln," p. 152 ss., angelos serius demum interpolatos statuens, aut S. V. de Wette, qui in dogmatices bibl. ed. I. §. 75., angelos nihil aliud primitus fuisse contenderat, nisi naturae vires aut Dei operationes personae forma indutas, licet in ed. 2. §. 108. hanc sententiam aliquantum retractasse deprehendatur).

28) Plane consonat Messiae summi sacerdotis appellatio in ep. ad Ebraeos

האדון; nos quidem neque, quidni Messias, quamquam merus homo, האדון i. e. dominator ac rex prae ceteris omnibus insignis, compellari[29]), aut templum *secundum*, ad summum magnificentiae splendorisque fastigium ab eo evehendum (Hagg. II. 7 — 10. Zach. VI. 12. 13.) *ipsius* templum dici[30]) potuisset, ullo modo perspicimus; neque parallelismum membrorum in duabus formulis: האדון אשר מלאך הברית אשר אתם חפצים et אתם מבקשים adeo premi necesse duxerimus, ut priorem de ipso Jehova, *qui Messia adveniente ipse adventurus erat* (cf. לפני initio versiculi), posteriorem de Messia sumere omnino non liceret.

8.

Danielis denique Cap. VII. v. 13. s. Messiae non obscure tribui coelestem quandam et humana superiorem naturam, non antiquiores tantum interpretes, sed et novissimorum complures, in quibus vel b. BERTHOLDTIUM (Daniel, neu übers. und erkl. T. II. p. 46. 4. et Christolog. Judaeorum Jesu apostolorumque aetate, pag. 98. s.) ac S. V GESENIUM (Commentar. in Esajam l. c. pag. 365.) conspicimus, consentiunt. Sed de hoc quoque argumento contrariam sententiam profiteri liceat. Quamvis enim sub illo ho-

---

obvia: κρειττονος διαθηκης, διαθηκης καινης, διαθηκης νεας μεσιτης, VIII. 6. IX. 15. XII. 24.

29) Quod cel. ROSENMÜLLERUS in Scholiis ad l. n. animadvertit, אדון cum ה articuli alias semper *Deum* notare, morari nos non poterit, cum, ubicunque de Deo occurrit, aliud Dei nomen additum sibi habeat, et *uno* tantum loco אדון sine articulo simpliciter de Deo dicatur (Ps. CXIV. 7.), quod tamen ipsum Jer. XXII. 18. item simpliciter de rege (Joacimo) adhibitum cernimus.

30) DOMINUM *templi* Messiam h. l. dici (quod b. JAHNIUS, p. 58. sumit), si de verbis disertis quaeras, non apparet. De *Messiae* autem *templo* sermonem fieri post *Haggaei* et *Zachariae* aetatem, qui utrique de Messia templum secundum magnificentissime instructuro atque exornaturo vaticinati erant (cf. ll. citt.), et quorum vestigia in oraculis suis omnino premebat *Malachias*, nemini mirum videri poterit. Certe, quod in antiquioribus V. T. libris templum nullius, nisi Jehovae ipsius, templum vocari soleat, satis superque explicatur inde, quod tum *unum* adhuc veri Dei templum memorari potuerit, cum contra exstructo templo secundo hoc ipsum inter atque antiquius illud distinguendi locus esset (cf. Hagg. II. 10.). Quae si ita se habent, vix addere opus erit, Babylonicum etiam templum *Nabuchodonosoris* templum 3 Esr. I. 41. VI. 18., immo ipsum Jehovae templum *Judaeorum* templum vocari ib. C. I. 33. et 3 Macc. III. 17.

mimis simili (כבר אנש), qui in nubibus coeli ad senem (Jehovam aeternum) adductus esse dicitur, neque cum GROTIO (ad l. n.) populum *Romanum*, neque cum clar. S. G. FRISCHIO (in Illustr. EICHHORNII Bibl. lit. bibl. et or. T. IV. p. 685.) *Ioannem Hyrcanum* intelligi posse persuasum habeamus, *Messiam* potius ipsum adumbratum esse verisimillimum etiamnum existimemus [31]); tamen, quod *primum* attinet ad voculas illas: כבר אנש, quibus recentiores potissimum ad illam, de qua agimus, sententiam inducti sunt [32]), verum potius vidisse nobis videtur C. B. MICHAELIS, in Nott. uberioribus in Hagiograph. L. III. ad l. m. ap-

---

31) S. V. SCHOTTIUS (in commentar. in eos Jesu sermones, qui de reditu ejus etc. agunt, Jen. 1820. p. 116.), inde, quod infra, v. 27., ubi visio enarrata explicatur, *nulla Messiae mentione facta*, potestas summa atque imperium in cetera totius terrae regna exercendum *populo sancto* tributum iri, *ejusque* regnum perpetuum fore dicitur, acute conjecit, sub illo subjecto individuo, quod v. 13. homini simile appellatur, non nisi *ipsum hunc populum Judaicum* intelligi, olim (sub imperio Messiae) illustrem futurum ac potentissimum. Cui Viri eruditissimi sententiae, magna veri specie sese commendanti, calculum adjicere vix dubitaremus, nisi 1) versiculi 17. et 18. aliquantum obstare viderentur, qui generalem *totius* visionis antecedentis expositionem continent, cum contra vers. 27. nonnisi singularem, quae desiderata erat (v. 19.), quarti animalis interpretationem claudat. Versu enim 17. magna illa quatuor animalia quatuor REGES (i. e. *regum genera* vel prosapias) denotare dicuntur, cui consequens omnino erat, ut et illud, quod post apparuerat, subjectum, homini simile, *regem* aliquem adumbraret, eumque non ipsum populum, quamvis talem, qui populo quoque potestatem summam atque imperium in ceteros omnes comparaturus esset (v. 18. 27.). Et licet ipso v. 18. Messias rex non separatim a populo sanctorum memoretur, nec illa persona hominis simili proxime significatus dicatur, haud magis tamen *populus* illa *directe* adumbratus fuisse perhibetur, ut v. 17. quatuor animalibus quatuor reges (vel regum series). 2) Ipse diversus apparendi modus, animalium et hominis simulacris tributus, proxime Messiam potius, quam populum Judaicum illa personae homini similis imagine indicari voluisse innuit. Quod scilicet, cum quatuor animalia, quatuor regum *ex terra sese efferentium* (v. 17.) series depictura, *e mari* ascendisse fingantur (v. 3.), ille contra, qui, hominis instar gerens, ad venerandum senem producitur, *in nubibus coeli* advectus sistitur (v. 13.), ei sententiae magis aliquanto faverit, qua rex, *ab ipso demum Deo mittendus*, quam ei, qua populus, licet sanctus, *at dudum tamen in terra degens*, denotari sumitur. Nec denique 3) plane negligendum esse diceremus, quod e solenni, quo Jesus de se usus est, του υἱου του ἀνθρωπου nomine, aut versic. 13. ab ipso de Messia intellectum esse, vel hanc certe interpretationem communem tum temporis fuisse, recte videatur colligi, nisi consilii nostri ratio ferret, ut et hunc Danielis locum per se ipsum tantisper spectaremus.

32) Hanc ipsam ob caussam b. BERTHOLDTIUS vatem nostrum eam sibi finxisse statuit futuri Messiae notionem, ut mentem cogitaret *mere coelestem*, quae nonnisi inani quadam corporis *specie* induta apparitura sit. Quod sane non multum abest, ut sequeretur, si omnino naturam humana superiorem *illis voculis* expressam putare cogeremur.

posite monens, similitudinem, pariter ac Apoc. I. 13. et XIV. 14., non excludere *rei veritatem*, seu *veram humanitatem* [33]), sed *formam* potius ejus, quod visum sit, *describere;* ut, cum supra v. 4. 5. 6. bestiarum prima dicta sit fuisse *sicut leo*, secunda *similis urso*, tertia *sicut pardus*. Verbo, *imaginem* solum futuri regis, in visione oblatam, non ipsum regem hac formula describi tenendum est. — *Deinde*, quod *in nubibus coeli* Grandaevo admotus dicitur ille homini similis, id quidem nolimus eo *solum* referre, quod ipse Jehova *in coelestium concilio sedens* fingatur (v. 9.); satis enim patet, quod jam observavimus (not. 31.), oppositam esse illam apparendi rationem bestiarum e mari ascensui; at, utut aliis locis nubes coelorum, quibus vectus introducitur Deus, coelesti ejus majestati summaeque potentiae depingendae inserviant (Ps. XVIII. 10. Es. XIX. 1. Mich. I. 3.); nostro tamen loco, ubi *omnis* scena in coelo agitur, nihil aliud hac formula innuitur, nisi ipsum illud regum e terra sponte sese efferentium, regisque *coelitus instituendi* discrimen [34]); neque omittendum est, hunc in nubibus advehi Deo *prius*, quam potestas atque imperium ei deferatur. *Regnum denique ejus aeternum ac nunquam destruendum*, sive *Israëlitarum* saltim ac *familiae Davidicae* regni et aurei seculi a Messia condendorum perpetuitatem nullis terminis circumscriptam (Jer. XXXIII. 20—26. Hos. II. 19. s. Joël. IV. 20. Am. IX. 11—15. Mich. IV. 7. s. et all. locc.) exprimere, sive Messiae ipsius etiam vitam ac dominationem nunquam desituram involvere dicatur, [quam involvi proxime a vero abest [35])], *divinam naturam* ei adscriptam esse nequaquam arguit [36]).

33) cf. not. anteced.

34) Consentientem quodammodo habemus S. V. de Wette, bibl. Dogm. ed. II. §. 188. not. a) apposite laudantem ll. Sibyllinorum l. III. v. 590. „και τοτ' ἀπ' ἠελιοιο θεος πεμψει βασιληα" (Messiam), et v. 224. „και τοτε δη θεος ουρανοθεν πεμψει βασιληα" (Cyrum); licet in textu paragraphi Messiam tanquam *divinam mentem* in nubibus apparere et ipse sumat.

35) Maxime huc fecerit spes Judaeorum mortuorum in vitam revocandorum cum regni Messiani exspectatione arctissime ab hoc auctore copulata, C. XII. 2 s. Nolimus tamen negare, *Ezechielem* jam de *ipsius Messiae* aeterno imperio vaticinatum esse C. XXXVII. 24—26.

36) Quod *primus* Adamus, nisi peccasset, assecuturus fuisset, idem

Quae si ita sint, in canonicis V. T. libris, modo illorum effata per se ipsa spectaverimus, nihil occurrit, quo divinam vel humana saltim superiorem naturam Messiae futuro attributam fuisse, ostendi queat. Num forte, collatis quibusdam Novi foederis locis, retractare sententiam cogamur? De eo quaerere, in aliam scribendi opportunitatem eo magis differimus, quod et spatium nunc deficit, et haec ipsa quaestio cum illa: quid Judaei et proxime priores Christo et ipsi aequales de eodem argumento senserint? non parum cohaeret.

Superest, ut congratulemur nobis, Cives, ac pientissimas Deo gratias agamus, quod et vere divinam Jesu Christi naturam, et regni ab eo conditi indolem plane coelestem, facultatem denique summa coelestis regni beneficia participandi cuivis nostrûm concessam illo, quod per festos hosce dies celebrabimus, facto luculentissime confirmavit; superest, ut beatissima ista facultate, omnibus quae nobis insunt, viribus religiose intentis fruamur!

---

profecto nec *alterum* superare videri poterat. Cf. recentiorum Judaeorum loca a b. Bertholdtio, Christol. p. 156. laudata.

P. P. Sub sigillo facultatis nostrae evangelico-theologicae, d. 25. Maj. MDCCCXXII.

XVIII.

SYMBOLARUM

AD SOLVENDAM QUAESTIONEM ILLAM:

AN JUDAEI JESU ET APOSTOLIS ANTIQUIORES IISQUE AEQUALES NATURAM DIVINAM VEL HUMANA SALTIM MAJOREM IN MESSIA APPARITURAM PRAESTOLATI SINT?

PARTICULA ALTERA.

1.

Cum in prima hujus commentationis particula ostendisse nobis videamur, in canonicis V. T. libris, dum *per se ipsa spectaverimus eorum effata*, divinam vel humana certe majorem naturam Messiae futuro nusquam adscribi; proxime jam quaerendum erit, an forte ipsorum auctoribus, ubi *Novi* Foederis testimonia in subsidium vocata fuerint, sublimis illa Messiae notio vindicari nihilominus possit? Qua in re duo praecipue sunt, quae respici mereantur. Primum, an *certa quaedam* canonicorum V. T. librorum *loca* ita in Novo *exponantur*, ut, qui divinam Jesu atque apostolorum auctoritatem salvam esse velit, fateri illud ipsum cogatur? Alterum, an *omnino* Jesus et apostoli istam futuri Messiae notionem Veteris Codicis scriptoribus attribuerint?

2.

Ad *prius* illud quod attinet, laudari videmus 1) nonnulla tum Jesu ipsius, tum auctorum N. T. effata, quibus unum alterumve *eorum, quos hucusque consideravimus, V. T. locorum* ad divinam aut humana certe excelsiorem Messiae naturam relatum esse ajunt. Pertinent huc, quae ipsum Dominum Matth. XXII. 42 — 45. et locis parallelis (Marc. XII. 35 — 37. Luc. XX. 41 — 44.), Petrum apostolum Act. II. 34. s., auctoremque epistolae ad Ebraeos cap. I. 13. V. 6 (add. X. 12. s. 1 Cor. XV. 26.) de Psalmo CX.; quae eundem hunc c. I. 5. V. 5. Paulumque apostolum Act. XIII. 33. de Psalmo II., quae denique iterum illum cap. I. 8. de Psalmo XLV. disserentes legimus.

3.

At valde ambigimus, an ita Matth. XXII. 42. ss. argumentetur magister divinus, ut de se locutum esse Psalmi CX. auctorem, contendere voluisse putandus sit. Omnem enim, qua h. l. utitur, rationem argumentandi, quod et complures alii interpretes [1]) et nos [2]) pridem animadvertimus, hypotheticam prorsus esse, et explicationi carminis Judaicis, quos adversarios haberet, doctoribus solenni innixam, non ipsa tantum verborum structura innui [3]), sed eo etiam confirmari videtur, quod ad solvendum, qui propositus erat, nodum ne hilum quidem profertur, quo ipso fiebat, ut vel improbari illi suam interpretationem, facile potuissent colligere [4]). Neque in aliam opinionem induci-

1) cf. v. c. clariss. Borheck „Exeg. Fragm. über Matth. XXII. 41—46. und Ps. CX." in III. Eichhornii biblioth. T. VI. p. 315 ss. S. V. Ammon, bibl. Theol. T. II. pag. 73 s. S. R. Paulus in Comm. et b. Stolz in illustrationibus ad Matth. l. c.

2) in supplem. ad introd. in librum Psalmorum, p. 30 s.

3) Hypotheticam fuisse argumentationem eo sensu, ut poneretur certe, adversarios de Christo interpretari solere Psalmum, jam inde satis patet, quod vis argumenti collapsura subito fuisset, si illi (quod multum abest, ut fecerint), non de Messia, sed de Davide sive ullo alio quodam intelligendum esse Psalmum respondissent. At eo etiam sensu hypotheticam habendam esse ratiocinationem Servatoris, ut, an et ipse Psalmum de Messia interpretaretur, dubium saltim reliquerit, verborum, quibus, Matthaeo praesertim referente, usus est, structura docet. Cum enim v. 43. quaerit: πως οὖν δαβιδ — κυριον αὐτον καλει; haec verba ex linguae consuetudine ita licere exponi: quomodo igitur Davides illum dominum compellare *potuit?* nemo erit, qui infitietur, nisi qui immemor sit, quemadmodum in omnibus linguis, ita in hellenistico praesertim sermone verba, actum significantia, saepissime usurpari de agendi potestate (cf. b. Storrii obss. de anal. et synt. hebr. p. 15 s.), et interrogandi particulam h. l. adhibitam, verbum activum, quod ab ipsa pendeat, facilius etiam in hanc significationem flectere (cf. Matth. VII. 4.). Versiculo autem 45. conditionis particulam diserte adhibitam deprehendimus. Et licet lubenter fateamur, minus manifestam esse argumentandi rationem mere hypotheticam in verbis Domini, prout a Marco et Luca referuntur; nec hic tamen quidquam est, quod ex sua ipsius de Psalmo sententia ratiocinari prodat magistrum divinum, aut succinctiorem aliquanto Jesu dictionem ex uberiori, quam Matthaeus apostolus suppeditat, illustrare nobis dissuadeat.

4) Licet dubitemus, iis accedere, qui, quaecunque Jesus h. l. disputavit, *eo potissimum consilio* ab ipso disputata esse sumunt, ut falsam esse demonstraret, quam doctores Judaici de Messiano Psalmi argumento teneant, sententiam (cf. cel. Borheck et Stolzium ll. cc.), cum potius, si quid illi propositum fuisset praeter illud, ut malevolam adversariorum, arguta codicis sacri peritia superbientium, arrogantiam nodo inextricabili proponendo omnino confunderet, id maxime egisse nobis videntur, ut, satis lubricam adhuc esse ipsorum de Messia cognitionem, universim ostenderet, et eorum, quae de se Messia regnoque a se condendo ipse doquerat, negligentiam tacite iis exprobraret: attamen, si eorum de Psalmi argumento opinionem suo assensu

mur eo, quod Jesus paullo post, in ipso judicio capitali, (testibus Matthaeo, c. XXVI. 64. Marco, XIV. 62. et Luca XXII. 69. s.) plenam imperii Messiani majestatem, qua ipsum indutum mox conspecturi (et experturi) essent adversarii, formula verbis Psalmi vers. 1. occurrentibus confini expressit [5]). Praeterea enim, quod ipsa verba non ex asse consonant, sane, postquam usu semel venerat, ut futura Messiae majestas sessionis ad dextram divinam imagine, ex eodem illo, quod facile largimur, Psalmo desumta, significaretur, quidni et Jesus, quomodocunque ceterum de Psalmi argumento sentiens, hac imagine uti debuisset, nequaquam liquet.

4.

Quod jam ipsum vetat, quo minus ex constanti *scriptorum N. T.* consuetudine, de Jesu Christo ad divinae majestatis consortium elato ita loquendi [6]), ipsum Psalmum de Messia agere, recte concludi posse censeamus. Si vero ad *singula illa loca* provocetur, quibus Psalmi nostri vv. 1. et 4. ab iisdem scriptoribus curatius adhibiti, disertiusque de Jesu Messia explicati videntur, nolumus quidem, quod longius esset, quaerere: an divina apostolorum vel aliorum etiam N. T. scriptorum auctoritas omnes quoque ac singulas V. T. interpretationes, ab iis prolatas, complecti dicenda sit? nec inviti damus, haud parum momenti accessurum fore versiculorum istorum de Messia divinaque ejus natura expositioni, si apostolos ipsos ceterosve N. F. scriptores eam praeivisse constaret. Sed re propius considerata nullum eorum locorum liquido probare putaverimus, apostolorum aliorumve N. T. auctorum certam sententiam hanc fuisse, ut *ipsum Davidem* illic de Messia cogitasse, quin divinam ejus naturam consulto praedicasse existimarent.

---

fulcire voluisset, additurum eum fuisse existimamus verbum vel unum, quo, verum esse, quod sumerent, et ab iis, qui plus, quam ipsi, saperent, conciliari posse cum origine sua Davidica, significaret.

5) Quod maxime urget b. Jahnius, in app. ad hermen. sacram. Fasc. I. p. 104.

6) Rom. VIII. 34. Eph. I. 20. 22. Col. III. 1 Ebr. I. 3. VIII. 1. X. 12. XII. 2. 1 Petr. III. 22.

5.

Maximam prae aliis speciem habet Petri apostoli, quae Act. II. 34. s. occurrit, disputatio, ubi, quo ipsum etiam Jesu in coelum ascensum priscis jam V. F. oraculis indicatum fuisse ostendat, ad Ps. CX. v. 1. ablegat auditores, diserte monens, *Davidem* quidem non in coelum ascendisse, eundem vero de domino suo ad dextram Jehovae sedere jusso omnesque hostes ab hoc sibi subjectos visuro loqui. At solennis haec fuit apostolis, et aptissima ad convincendos Judaeorum animos argumentandi ratio, ut haud pauca V. F. vaticinia, licet proximo eoque angustiori sensu dudum impleta, *pleniorem perfectioremque*, quam qualem ipsi Prophetae cogitarint, eventum in ipso demum Jesu Christo nacta, inque eum finem a divino, qui vaticinantes afflaverit, spiritu, ipsis insciis, directa esse, monstrarent. Quae sententia, ut omnino Petro praesertim apostolo familiaris fuisse videtur (1 ep. I. 10. ss. 2 ep. I. 20. s.) ita in ipsa, de qua agimus, oratione primum (Act. II. 24—31.) ad Psalmum XVI. [7]), deinde (v. 34. s.) ad Psalmum CX. illu-

---

7) Excipi possit, ipsum Ps. XVI. ita h. l. tractari ab apostolo, ut appareat, non divino solum spiritui, qui verba Psaltae direxerit, sed ipsi Davidi tributam esse Jesu Christi e mortuis aliquando revocandi praesagitionem, cum *Davides* perhibeatur „προφητης ὑπαρχων, και ειδως ὁτι ὁρκῳ ὡμοσεν αὑτῳ ὁ Θεος — προιδων λελαληκεναι περι της ἀναστασεως του Χριστου." At nos quidem ignorare nos confitemur, quidui Davides *tanquam propheta* (προφητης σὑν ὑπαρχων), quo instrumento usus sit divinus spiritus, resurrectionem Christi, quamvis ipsi per se spectato incognitam, *praevidisse* et *praenunciasse* dici potuerit simili modo, quo vel *Esajas* Matth. XV. 7. verbis *aequales* manifesto carpentibus de legis doctoribus et Pharisaeis Jesu aequalibus, vel *Caiphas* pontifex sententia Joh. XI. 50. prolata de Jesu morte, gentem salvatura (v. 51.), προφητευσαι legitur. Verba: „και ειδως ὁτι ὁρκῳ ὡμοσεν αὑτῳ ὁ Θεος, ἐκ καρπου της ὀσφυος αὑτου καθισαι ἐπι του Θρονου αυτου" non obstant; quippe quibus nihil aliud significatum esse videtur, quam, certa (cujuslibet) successoris ex se nascituri fiducia ad spem salutis laetissimam carmine isto eloquendam erectum animatumque illum esse (quod deinde eo cesserit, ut divino spiritu dirigente hanc ipsam spem ejusmodi verbis exprimeret, quae multo majora, e longinquo quasi praevisa, innuerent). Magis obessent, quae in vulgaribus edd. versic. 30. inserta leguntur, verba: „το κατα σαρκα ἀναστησειν τον χριστον," quippe quae, sive illico de Messia *in vitam olim revocando* sumseris vocem ἀναστησειν, sive, quod propius a vero abesset, de eodem ex Davidis stirpe *nasci jubendo*, satis dilucide indicarent, ex apostoli sententia ipsum Davidem in posterorum suorum numero computasse Messiam, immo (cum ita το „προιδοντα λαλησαι περι της ἀναστασεως του Χριστου" tam arcto vinculo copulatum esset cum illa Christi ex sua stirpe nascituri praescientia s. τῳ „ειδεναι, ὁτι ὁρκῳ ὡμοσεν αὑτῳ ὁ Θεος, ἐκ καρπου της ὀσφυος αὑτου το κατα

strandum insignique Jesu Messiae historiae accommodandum transfertur; ac tantum absumus, ut putemus, *merae* ad interpretandi artes inter doctores Judaicos consuetas συγκαταβασει tribuendam esse hanc Petri ceterorumque N. T. auctorum disputandi rationem, ut potius persuasissimum illis fuisse credamus, multis Vet. Test. effatis, licet tempora dudum praeterita proxime spectantibus, sublimiorem tamen, dirigente spiritu divino, subfuisse sensum, in Jesu Christo demum implendum, eique ab aequalibus agnoscendo inserviturum [8]). Ita factum est, ut nostro praesertim loco Jesu Christi in coelos ascensum dicto Davidis e Psalmo CX. allato praenunciatum esse contenderet apostolus, licet, Davidem *ipsum* hunc eventum praevidisse, nollet contendere, igitur nec divinam illius naturam ab eo agnitam esse, confirmaret, quod non nisi tum fecisse putandus esset, si de Messia *tanquam domino suo*, tot, antequam is nasciturus esset, seculis cogitasse illum sumsisset.

6.

Minus etiam supra laudata epistolae ad *Ebraeos* loca huc trahi poterunt. Quanquam enim, ab apostolo, Paulo scilicet, conscriptam eam esse, quod a multis etiamnum negari tirones norunt, neque, si alius auctor haberetur, *omnem* illi in caussa nostra auctoritatem illico denegandam esse, largiamur; minime tamen praetermittendum erit, omnibus illis epistolae locis non tam id agere auctorem, ut divinam Jesu Messiae, qua vel summos angelos antecellat, dignitatem *probet* demum argumentis e V. T. depromtis, quam ut magnificentissima quaeque, quae vel de Deo ipso, vel de populi sancti rege, ejus vices gerente, in V. T. praedicentur, *quadrare moneat* in Jesum Messiam. Atque ut sint inter illa, quibus utitur, Veteris Testamenti effata eorum

σαρκα ἀναστησειν τον Χριστον") *ipsam quoque ejus resurrectionem* distincta cogitatione praecepisse. At spuria esse haec verba, cum et ab antiquissimis gravissimisque omnium familiarum testibus omittantur, et serius interpretamentum omnino sapiant, inter probatissimos quosque arbitros criticos (cf. Millium, J. A. Bengelium, Griesbachium) constat.

8) Conferre juvabit de omni hoc argumento b. Jahn in introd. in ll. V. T. P. II. p. 82. et in append ad herm. s. Fasc. II. p. 271 s. et S. V. Ammon in I. period. Mag. für christl. Prediger, T. VI. Fasc. 2. p. 267 ss.

etiam aliqua, quae *de Messia loqui* recepta apud Judaeos opinio tulerit; non *ideo* tamen ea adhibuisse auctorem subito liquebit, quod his interpretationibus et ipse calculum suum adjecerit; et si adjecerit, eandem rationem, quam Petrus Act. II. 34. s. tenuit, secutum eum esse in promtu erit statuere, quo ipso omnis vis probandi: quid ipsi veteres prophetae de futuro Messia cogitaverint? corruit. Ita cum C. I. 13. Psalmi CX. versiculum 1. eo consilio allegatum cernimus, ut nemini unquam angelorum haec talia dicta esse, sed Messiae vere dici potuisse moneretur; Messiae tamen haec dicta revera *esse*, auctor epistolae tam longe abesse potuit, ut crederet, quam, ut Jehovae, aeterni rerum omnium creatoris, et earundem olim instauratoris laudes, v. 10 — 12. e Psalmo CII. 26 — 28. allatas, de Messia proprie intelligendas esse, aut v. 6. mandatum divinum, ex Alexandrina saltim loci Deut. XXXII. 43. versione repetitum, *Messiam* ab omnibus angelis adorandum stitisse [9]) existimaret, sine dubio abfuit. Sin autem nihilominus, quod et ipsi proximum vero habemus, divino afflamine dirigente ejusmodi verbis usum fuisse putaverit Psalten, quibus divinae majestatis consortium, in Messiam conferendum, porten-

---

9) Locum Ps. CII. 26 — 28. ad filium Dei (v. 10 ss.) applicandi facultatem sibi parasse auctorem eo ipso, quod antea (v. 8.), Deum illum esse, probarit, b. Storrius (Pauli Brief an die Hebräer erläutert, ad C. I.) monuit. Sed nos potius omnia haec, quae C. I. adhibentur, V. T. loca ad Messiam applicare licuisse auctori dixerimus, quod divina ejus dignitas non probanda demum erat, quae sane, nisi aliunde cognita, solo isto loco afferendo vix persuaderi potuerat lectoribus. *Poni* apparet Jesu Messiae, tanquam *filii*, dignitatem v. 1., *atque ex ea ipsa inferri* magnam ejus prae angelis omnibus praestantiam (v. 2 — 4.); quod ut distinctius exponatur, a vers. inde 5. complura V. T. dicta afferuntur, quae in filium, omnium haeredem, mundi conditorem, divinae majestatis imaginem etc. (v. 2 ss.) convenire putari possint, in angelos, utpote ministros (v. 7. 14.), non item. Ita praeparatur, quod C. II. 1 ss. inculcare constituerat auctor, doctrinam scilicet hujus filii longe majore etiam, quam doctrinam, angelorum ope promulgatam, i. e. legem Mosaicam, auctoritate et sanctitate pollere. — His consideratis mirum videri non poterit, quod et Alexandrini interpretis (non vatis Hebraei) verba, Deut. XXXII. 13. obvia, v. 6. ad Messiam trahantur; neque opus est, ut, quod a reliqua auctoris argumentatione alienius esset, hunc ipsum versiculum cum b. Storrio in eum sensum interpretemur, quasi ad hymnos ab angelis in Jesu Christi recens nati honorem decantatos, tanquam ad rem gestam, provocet, non nisi verba ex illo loco mutuans. Ceterum parum etiam interest, an illum Deuteronomii locum, ad Ps. XCVII. v. 7. ante oculos eum habuisse (cum cel. Heinrichs ad Cap. I. 6.) existimemus.

deretur, magnae tamen hujus rei *ipsum Psalten*, cum ita loqueretur, fuisse conscium, ne levissimo quidem indicio persuasum sibi esse significat. Quod idem nec Cap. X. 12. s. eum fecisse, cum per se pateat, similem plane rationem esse versiculi 4. C. V. 6. allegati, monuisse sufficiat. Ibi scilicet, *ab ipso Deo* in summi pontificis locum suffectum esse Messiam (v. 5.), verbis illius versiculi adhibitis exprimitur in eum modum, ut, nisi aliunde probabile esset, sublimiorem quendam, quo Messiam imuerit, sensum tributum fuisse Psalmo ab auctore, ne hoc quidem rite colligere liceret.

7.

Patet ex iis, quae hactenus disseruimus, Psalmi etiam II. v. 7. in ep. ad Ebr. C. I. 5. ad filii, qualem auctor mente conceperat, dignitatem, itaque ad naturam Christi humana altiorem referri; non quod in vocibus: „ἐγω σημερον γεγεννηκα σε" *aeternae* e Patre *generationis* notio quaesita sit, at universim tamen, quod grave istud Dei eloquium, quo regem a se institutum pro filio suo declararit, Jesu Messiae perfectissime convenire crederetur. Sed ita fit haec applicatio, ut ne hoc quidem satis liqueat, an a Spiritu divino hanc notionem significari voluisse statuerit auctor (quamvis hoc probabile sit, cum consueta tum fuerit Psalmi II. de Messia interpretatio); multo vero magis dubium maneat, an homini, qui carmen illud fuderit, haec notio tribuatur? Quod posterius de loco quoque C. V. 5. valebit, ubi idem Jehova, qui „pro filio suo declarasset Christum Ps. II. 7." summum etiam sacerdotium in filium contulisse dicitur.

8.

Neque plus colligi poterit e Pauli apostoli, quae Act. XIII. 32. s. exstat, disputatione. Ibi enim Ps. II. versiculus 7. ad Jesu Christi in vitam reditum, quo promissiones, quae patribus obtigissent, luculentissime impletas stiterit Deus, ita applicatur, ut in filii appellatione, regi concessa, nihil proxime, nisi *Messiae* notio quaeri videatur [10]), ne-

10) „Ἡ προς τους πατερας ἐπαγγελια" Act. XIII. 32. nihil sine dubio

dum, ut sublimior quaedam de divina Messiae natura notio *ipsi Psaltae* vindicetur.

9.

Restat locus Ebr. I. 8. s., quo Ps. XLV. vv. 7. 8. vel prior certe ad deitatem Jesu Christi relatus legitur [11]). Sed et hic plane in medio relinquendum est, quem sensum ab *auctore* Psalmi intentum crediderit epistolae auctor? quippe qui nihil aliud agit, quam ut magnificum illud, quod in Psalmo occurrat, regis cujusdam, tanquam Dei ipsius alloquium [12]) Messiae aptissime convenire et de hoc revera valere contendat.

---

aliud est, quam tritissimum *Messiae mittendi* promissum (v. 23.). Hoc ipsum vero, ait apostolus, *impletum* jam praedicare se collegasque, quod, quae nunc facta sint, plane impletum sistant aut ipso facto repetant illud: „υἱος μου εἶ συ, ἐγω σημερον γεγεννηκα σε," i. e. Jesum filium Dei sive Messiam esse, et a Deo declarari arguant. Praeterea in vocibus praesertim illis: „ἐγω σημερον γεγεννηκα σε" — altioris, immo aeternae naturae indicium non quaesivisse apostolum, inde etiam satis elucere putamus, quod has ipsas *de resurrectione Jesu, tanquam singulari quadam dignitatis Messianae in eum collatae declaratione* sumsisse putandus sit. Quamquam enim sint, qui formulam: „ἀναστησας Ἰησουν" non de resuscitatione Jesu ex mortuis, sed de eodem in vitam prodire jusso explicent (ut e recentioribus interpretibus S. S. V. V. Heinrichs et Küzorl ad h. l.), fatemur tamen, priorem interpretandi modum anteponendum etiamnum nobis videri, cum 1) verbum ἀνιστανειν et synonymum ἐγειρειν, ubicunque ita occurrant, ut „prodire jubere" significent, vel muneris illius aut dignitatis, prodeunti demandatae, mentionem adjunctam sibi constanter habeant (cf. Act. III. 22. 26. III. 37. XIII. 22. Rom. IX. 7. Ebr. VII. 11. 15. add. Act. VII. 18. Rom. XV. 12.), vel de posteris alicui conciliandis usurpentur (Matth. XXII. 24. III. 9. et Act. II. 30., si verba: „το κατα σαρκα ἀναστησειν τον Χριστον" h. l. genuina essent); quod ipsum et rei et linguae naturae prorsus convenit; cum 2), quod v. 30. antecedit, ἐγειρειν ἐκ νεκρων, et quod v. 34. sequitur: ἀνεστησεν ἐκ νεκρων, nostro quoque loco de resuscitatione potius, quam de prodeundi jusso cogitari jubeat, cum denique 3) haec interpretatio haud paulo aptior videatur contextui orationis; quippe quae inde a versu 26. omnis in eo versatur, ut *e Jesu in vitam reditu*, filium a Deo institutum eundem esse, demonstret, ideoque Psalmi isto loco allegando, nisi ad ipsum ejus resurrectionem applicato, non potuisset non interturbari. Quam primum vero formulam: „ἀναστησας Ἰησουν" de Jesu in vitam revocatione capias, vix poteris diffiteri, ad ipsum hoc *temporis momentum*, nec ad aeternum quoddam Dei decretum aut factum referri verba: „ἐγω σημερον γεγεννηκα σε." cf. commentationis hujus partic. I., p. 357.

11) An scilicet prius „ὁ θεος" pro primo, an pro vocandi casu habuerit ep. nostrae auctor, dubitari potest (cf. h. Storrium et Gnomonem h. avi ad h. l.), licet veri similius videatur hoc, quam illud, cum omnis locus in eo versetur, ut, Dei compellationem in filium cadere, urgeat.

12) An forte *Psaltes* verbis: „ὁ θρονος σου, ὁ θεος" etc. *ipsum Jehovam* laudaverit, hujusque imperium aeternum idemque justissimum celebrare voluisse existimaverit auctor epistolae? an forte de eo, quid ipse Psaltes

10.

Quae vero hucusque observavimus de illis V. T. effatis, quae, cum vel per se ipsa spectata divinam aut humana saltim majorem Messiae dignitatem indicare a multis putentur, Novi certe Foederis allegationibus in subsidium vocatis eo referenda dicuntur, eo magis etiam perpendenda erunt 2) in *aliis* quibusdam, quae, per se sumta, neminem facile ad illam sententiam, V. T. vatibus vindicandam, inductura fuissent, at in N. F. libris pari modo, quo illa, usurpata deprehenduntur.

11.

Ex horum numero, praeter nonnulla, in Cap. I. ep. ad Ebraeos obvia (ut v. 5. locum 2 Sam. VII. 14., ex sensu literali de Salomone manifesto agentem, v. 6. et 10. loca jam memorata Deut. XXXII. 43. et Ps. CII. 25. s.), in censum maxime venire possint ea, quae, cum de *Jehova* hoc vel illud pronuncient, id ipsum de *Christo* pronunciasse dicuntur a N. T. scriptoribus, velut locus Es. VI. 9. 10. ubi de Jesu Christo, cujus gloriam viderit (1 — 8.), locutum fuisse Esajam *Joannes*, Ev. XII. 41. monet [13]), Num. XXI. 5. 7. ubi Israëlitae *Jehovam* tentasse perhibentur, quod *Christo* factum esse *Paulus* apostolus 1 Cor. X. 9. auctor est; et quae sunt similia.

12.

Sed quid magis convenire putabitur Joannis ingenio, quam statuere, vivacissimam, quam ipse tenuerit, de divina Jesu Christi majestate persuasionem ita eum et h. l. eloqui potuisse, ut, divinam gloriam, quam ipso illo, quo haec profatus esset, tempore, vidisse narretur Esajas (VI. 1 — 8.), filii non minus quam patris gloriam fuisse, atque in eundem modum *et haec*, quae v. 9. s. occurrant, de Je-

---

sibi voluerit, ne cogitaverit quidem? id investigare nec attinet nec proficiet quicquam.

13) Pronomen αὐτου h. l. ad Jesum Messiam spectare, satis probasse nobis videtur b. Storrius in diss. I. in ll. N. histor. aliquot loca p. 87 s., licet in eo accedere dubitemus praeceptori desideratissimo, quod postrema verba: και ἐλαλησε περι αὐτου ad v. 38. respicere existimat.

su Christo, obstinatissimum ac perniciosissimum populi torporem experturo, non minus, quam de Deo patre valere; quod facere potuisse Joannem, quicquid denique de Messiae natura sensisse Esajam ipsum crediderit, per se patet.

13.

Alteri autem loco, Num. XXI. 5. 7. cum ne levissimum quidem *Messiae* tentati vestigium insit; quis comparationem ab apostolo inde petitam (quod Deo tentato et Christum tentatum esse *ipsi* quidem certum esset) [14]), ita interpretari posse sibi videatur, quasi Mosen de Christo Deo loqui voluisse existimaverit?

14.

Verum enim vero his ipsis allegationibus, apud Joannem, Paulum et in ep. ad Ebraeos, sive Pauli haec sit, sive alius auctoris, obviis, sponte quasi deducimur ad *alterum* illud, quod quaerendum nobis esse vidimus: an scilicet omnino V. T. auctoribus naturae Christi humana celsioris notionem Jesus et apostoli tribuerint? Nam praeter singula quaedam Veteris Codicis loca, in Novo Testamento ad Christum translata, universim urgeri possit hoc: ita saepius loqui hujus auctores, ut, quaecunque in V. T. de Deo patribus apparente ac colloquente, praesertim de *populi Israëlitici duce*, tutore ac moderatore, modo Jehovae modo angeli nomine insignito, dicantur, ea omnia de divina quadam natura, Jehovae invisibilis visibili interprete, intelligenda atque intellecta a narrantibus, ideoque, quod sponte sequatur, Messiae etiam, summo illi Jehovae interpreti, divinam dignitatem nunquam non tributam censuisse videantur [15]). Quae nimirum ipsis V. T. libris insint angeli cujusdam, qui idem Jehova agnitus esset, vestigia, si vel in aliam sententiam exponi per se quidem spectata possint, ali-

---

14) cf. de h. l. b. Storr Brief an die Hebr. erl. ad locum persimilem X. 26. not. o).

15) Cf. b. Jahn, app. ad herm. s. Fasc. I. p. 59 ss. et, qui in eandem sententiam inclinare videtur, theologorum nostrorum veterannus summa venerationis tessera nunquam non signandus, J. J. Hessius in l. Kern der Lehre vom Reich Gottes, p. XVI. ss. et 133.

ter tamen exponi eo ipso non licere, quod accedant Novi Testamenti testimonia, angeli illius ἀχτιστου notionem eamque (quod per se quidem dubium foret) ad ipsum Christum trahendam confirmantia, quo praeter loca jam laudata (Jo. XII. 41. 1 Cor. X. 9.) alia etiam complura, ut Ebr. XII. 16. 1 Cor. X. 4. 1 Petr. I. 11. etc. referenda sint. At cum ipsae illae V. F. narrationes, ut in prima hujus scriptionis particula ostendimus (supra p. 367. s.), neque in se habeant quicquam, quod eas, ex auctorum certe consilio, hoc sibi voluisse, ut nuncium Jehovae, qui idem Jehova sit, describerent, lectoribus persuadere queat, neque Messiae ullam mentionem vel levissimam injiciant (cf. part. I., p. 356.); audacius justo judicaturi nobis videremur, si iis *Novi Testamenti* locis, ubi eaedem ad Christum, jam quidem pro Deo agnitum, transferuntur, *Veteris* quoque Testamenti auctoribus hanc sententiam tribui statuerimus. Accedit, quod, licet quaedam, quae in V. T. subinde *angelo* Israëlitarum duci adscribi cernimus, in N. T. ad Christum, Dei filium, translata sint (ut ipsa deductio populi, Exod. XXIII. 20—23. XIV. 19. Num. XX. 16. 1 Cor. X. 4.) [16]), his tamen *N. T.* locis *ne angeli quidem mentio fiat*, sed simpliciter res gesta Christo vindicetur; aliae vero hujus generis narrationes, quas ad Christum adhibitas legimus in N. T., ut Jo. XII. 41. 1 Cor. X. 9. Ebr. XII. 26. 1 Petr. I. 11. [17]) in *Vetere* nonnisi *ipsum Jehovam* agentem sistant, unde eo minus caussae suppetere patet, cur rationis cujusdam plane singularis, quae inter nuncium illum divinum et Jehovam ipsum intercesserit, cogitatio priscis V. F. auctoribus tributa existimetur.

Idem fere respondendum erit, si, eam fuisse, moneamur, apostolorum de *nominis Messiae* dignitate notionem, ut illud quovis alio honoris nomine (Eph. I. 21. Phil. II. 9.)

---

16) „ἐκ πνευματικης ἀκολουθουσης πετρας.

17) „το ἐν αὐτοις πνευμα Χριστου" spiritum *Christi*, s. a Christo datum, esse, cum S. R. Pottio aliisque facile concedimus, ideoque inspirationem, qua prophetae gavisi sint, tanquam opus vere divinum, Christo h. l. vindicari ab apostolo persuasum habemus. Eo magis vero dubitamus, an ex prophetarum ipsorum sententia, an suo saltim nomine ita loqui voluerit apostolus?

majus censuerint atque sublimius, quam notionem e nullo alio fonte hausisse putari queant, nisi ex V. T. effatis ita intellectis. Praeterea enim, quod, Messiae nomen omnium, quae *homini* certe tribui possint, longe summum ac magnificentissimum esse, omnibus Judaeis in confesso fuisse dubio careat, apostolorum de Messiani nominis majestate descriptioni eam, quam *ipsi* conceperint, et ex Jesu ipsius institutione hauserint, Messianae dignitatis imaginem ultro sese immiscuisse, quis erit, qui miretur?

Quomodocunque haec sint, et quicquid vel apocryphorum etiam V. T. auctores, vel ipsi Jesu Christi aequales de Messiae persona senserint (quod alio tempore indagandum restat), nos, Cives optimi, quibus satis cognita est coelestis ac divina, quae Christo, humano generi agnato, debetur, salus, pie sancteque illam recolamus per festos hosce dies, eique consequendae, ut decet hominis unice divini cognatos, studeamus!

P. P. Sub sigillo facultatis nostrae evangelico-theologicae, d. 24. Dec. MDCCCXXII.

XIX.

SYMBOLARUM

AD SOLVENDAM QUAESTIONEM ILLAM:

AN JUDAEI JESU ET APOSTOLIS ANTIQUIORES IISQUE AEQUALES NATURAM DIVINAM VEL HUMANA SALTIM MAJOREM IN MESSIA APPARITURAM PRAESTOLATI SINT?

PARTICULA TERTIA.

1.

Superest, ut ad apocryphos Veteris Testamenti scriptores et ad Judaeos, ipsi Jesu Christo apostolisque saltim coaevos animum advertamus, an forte apud unum alterumve eorum naturae humana celsioris, Messiae futuro tributae, vestigia quaedam satis clara deprehendantur, brevibus quaesituri. Jam quod primum attinet *apocryphos* V. T. scriptores strictius dictos, sive eos, quorum libri versioni codicis hebraici Alexandrinae appendicis loco additi deprehenduntur, parcam admodum iis inesse constat futuri Messiae novique rerum ordinis ab eo instituendi mentionem. Hi enim, uno libri *Baruchi* auctore excepto, qui, pro scriptionis suae consilio [1]), multus est in praedicanda, quae immineat, oppressae gentis redemtione, ultione, summaque gloria et felicitate (c. IV. 21 — V. fin.), tum argumentorum, in quibus versabantur, genere, tum ipsa reipublicae Judaicae, qualis ipsorum aetate exstitit, conditione, ad avitam seculi Messiani exspectationem refocillandam atque alendam, imaginemque ejus studiosius exornandam multo minus, quam superiores, invitati impulsique videbantur. Quo fiebat, ut, quamvis *Siracides* et *Tobeïdos* auctor, quorum illum ineunte Syrorum in Judaeos dominatione [2]), hunc eadem nondum certe

1) Quicquid statueris de tempore, quo hic ipse liber vel totus, vel singulae ejus partes conscriptae sint, id sibi propositum habuisse auctorem vel auctores, ut induta *Baruchi*, Jeremiae sodalis, persona, populum ab exilio inde Babylonico afflictissimum, libertatis recuperandae summaeque salutis assequendae promissione confirmarent et ad unius Jehovae cultum fidelissimum Jeremiae ipsius nomine exhortarentur, dubitari profecto nequit.

2) Huic aetati Siracidem vindicavit prae aliis Ill. Eichhorn, Einl. in die apocryph. Schriften des A. T. p. 34 — 41., duobus maxime argumentis nixus, uno, quod *Simonis* cujusdam *pontificis* modo defuncti laudes, cap. L. obviae,

praeterita [3]) floruisse verisimile est, consuetas aevi aurei, attritum et ad incitas redactum populum manentis, promissiones repetere non plane omittant (Sir. XXXII. 19. XLVII 11 [4]) Tob. XIII. 5. 9 — 18. [5])), tamen nec ipsi saepius his

---

collatis, quae passim occurrant, vexationum, eives prementium, indicia (c. XXXVI. XXXI. 11. LI. 6.) non ad *Simonem I.* cognomine *Justum*, sed cujus exitum imperante Ptolemaeo Philadelpho populus Judaicus summa pace et tranquillitate gavisus esset, sed ad Simonem potius II., quo et vivo adhuc et modo defuncto primum Ptolemaei Philometoris, deinde Syrorum, inprimis Antiochi Epiphanis, saevitia grassari in Judaeos inceperit, referendae viderentur; altero, quod nepos auctoris idemque graecus libri interpres XXXVIIIvo *Ptolemaei Evergetae* anno in Aegyptum se venisse in Prologo testetur, hic vero annus, quippe quem de Evergete II. sumi oporteat (cum Evergetes I. non ultra XXV annos imperium tenuerit) ante Christum natum 131mus, posito avum inter et nepotem quinquaginta circiter annorum intervallo, illum centesimo fere et octogesimo ante Christum anno floruisse innuat. Consentiunt S. R. Bretschneider in Prolegg. ad l. Sirac. a se editus et perpet. annot. illustratum (licet altero magis, quam primo laudatorum argumentorum motus) p. 7 ss. S. R. de Wette, (aliis partim rationibus adhibitis), Lehrb. der hist. krit. Einl. in die kanon. u. apocryph. Bücher des A. T. p. 344 s. et b. Bertholdt, hist. krit. Einl. T. V. S. 2288 ss. Diversi b. *Jahnii* (Einl. in die göttl. Bücher des A. B. II. Thl. S. 930. ss.) sententia qua Simonis I. aetate, uno circiter seculo prius, Siracidem floruisse, dubitantius licet, conjecit, et cum allato Prologi loco (ubi annum 38. ad ipsius nepotis nativitatem referri, aegre concesserit orationis contextus) et cum illis de populo exagitato querelis difficilius certe conciliatur, nec iis, quae Simone I. memoria tradita habemus, tantopere fulcitur, ut receptioni annioni praeferenda videri possit. Quicquid vero sit, ante Maccabaeorum certe tempora scripsisse Siracidem, extra controversiam positum est.

3) Tobeidos aetatem definire quamvis tam plenum opus aleae sit, attamen id quidem satis constare videatur Ill. Eichhornio (Allg. Bibl. der bibl. Lit. II. Thl. S. 427 ss. Einl. S. 408 s.), an ante Chr. natum scripta exstiterit, proxime tamen a vero abesse censuerimus, auctorem, in adhibenda ad exornanda angelologia et daemonologia omnino nimium, sed immortalitatis et resurrectionis notionibus tam vacuum adhuc, eo tempore scripsisse, quo Persica de angelis malisque spiritibus doctrina dudum invaluisset apud plerosque Judaeos, doctrina vero de vita post mortem speranda ne ab iis ipsis quidem, qui illi assenseriut, vulgo recepta jam esset; quo ipso in dominationis Syriacae aetatem deducimur, cum hac finita resurrectionis etiam iis certe Judaeis, qui ceteris disciplinae Persicae capitibus recipiendis [illegible] bant, adoptata fuerit. Congruit Ragarum, urbis Medicae, mentio cap. I. injecta, diu saltim post Seleucum Nicatorem auctorem vixisse innuens. Ill. Eichhorn, ll. cc. b. Jahn, Einl., S. 903. et al.).

4) Quae cap. XXXII. 19. legimus: „καὶ ταῖς ἐθνεσιν ἀντεποδωσει [illegible] σιν, ἕως ἐξαρῃ πλῆθος ὑβριστων και σκηπτρα ἀδικων συντριψῃ. ἕως ἀνταποδωσει ἀνθρωπῳ κατα τας πραξεις αὐτου, καὶ κατα τα ἐνθυμηματα αὐτων. ἕως [illegible] νῃ την κρισιν του λαου αὐτου, καὶ εὐφρανει αὐτους ἐν ἐλεει αὐτου“ — nihil esse, nisi generalem admodum populi ab eorum dominio tandem vindicandi et ad summam felicitatem potestatem evehendi promissionem, ex solennibus de aevi Messianae vaticiniis depromtum; quae vero cap. XLVII. v. 11. occurrunt, consuetam throni David per longam successorum seriem duraturi laudem repetere, per se clarum. Unus locus, c. XLVIII. 10. 11., si quidem genuinus habeatur, praenotissimum illud, quod *Malachias* (c. IV. 5.) animo conceperat, „fer-

immorarentur, nedum Messiae dignitati et negotio describendo operam navarent, et ceteri omnino aut satis haberent, modo *magnum quendam*, qui appariturus sit, *vatem* popularibus annunciare, ut *I. Maccabaeorum libri* auctor, Cap. IV. 46. XIV. 41.[6]), modo communem omnium Judaeorum in exteras terras dispersorum reditum, tanquam felicissimae, *quae jam reipublicae Judaicae obtigerit*, restaurationis laetissimum *complementum* sperare jubere, quod factum cernimus *II. Macc.* II. 17. 18.[7]), aut denique de Messia et iis

licet, ut Messiae judicii caussa appariturо praecurrat propheta, alterius Eliae nomine signandus, qui animos popularium ad evitandas Numinis iras emendando praeparaturus sit," Siracidae quoque menti sese infixisse, et ita ab eo sumtum fuisse, quasi *ipsum Eliam*, Messia appropinquante, ad Judaeos rediturum eosque restituturum, et ad summam felicitatem in regno Messiae percipiendam instructurum praestolari sibi jam coaevisque suis (cf. diss. nostram, quid immortalitatis doctrina religioni christianae debeat, monstrantem, P. V. Sect. I., p. 171 s.) liceret. Sed serius interpolata haec verba fuisse, S. V. Bretschneiderus in notis criticis ad h. l. argumentis non contemnendis conjecit, assentiente S. R. de Wette, bibl. Dogm. §. 179.

5) Haud alia, quam quae Sir. XXXIII. 19. exprimitur, sententia huic quoque Tobeïdos loco inest, nisi, quod et universim copiosior est oratio, et Hierosolymorum inprimis recens exstruendorum et exornandorum incredibilis splendor audacioribus haud paulo coloribus depingitur v. 15 — 18. „ὅτι οἰκοδομηθήσεται Ἱερουσαλὴμ σαπφειρῷ καὶ σμαραγδῷ, καὶ λιθῷ ἐντίμῳ τὰ τεῖχη σου, καὶ οἱ πύργοι καὶ οἱ προμαχῶνες ἐν χρυσίῳ καθαρῷ. Καὶ αἱ πλατεῖαι Ἱερουσαλὴμ ἐν βηρύλλῳ καὶ ἀνθράκι καὶ λιθῷ ἐκ Σουφὶρ ψηφολογηθήσονται. Καὶ ἐροῦσι πᾶσαι αἱ ῥύμαι αὐτῆς ἀλληλουϊὰ καὶ αἰνέσιν, λέγοντες, εὐλογητὸς ὁ θεός, ὃς ὕψωσε (,) πάντας τοὺς αἰῶνας," quae ipsa verba, dudum cum loco Apoc. XXI. 18—21. comparata, minime tamen ita cum eo convenire, ut apocalypseos auctor ex Tobiae libro hausisse putari debeat, rectissime post cel. Eichhornium observavit b. Bertholdtus.

6) Priore loco Judaei, Juda Maccabaeo duce victores, altare holocaustorum, quod profanatum semel esset, destruere, ejusque lapides in monte templi asservare decernunt, *donec adveniat propheta, de iis responsum daturus*; altero comperisse dicitur *Demetrius*, ὅτι εὐδόκησαν οἱ Ἰουδαῖοι καὶ οἱ ἀρχιερεῖς, του εἶναι Σιμωνα ἡγουμενον και ἀρχιερεα εἰς τον αἰωνα, ἑως του ἀναστηναι προφητην πιστον. Quae utrobique non de summo, qui idem Messias futurus sit, propheta, (quod praeter antiquiores interpretes, v. c. Lutherum, S. V. adhuc Ammonio in theol. bibl. T. II. p. 221. 227. et b. Bauero in theol. bibl. V. T. p. 409 s. visum erat), sed de quocunque, qui post aetatem oraculis divinis destitutam tandem appariturus sit, propheta, modo fide digno, capienda videntur (cf. Grotium ad h. l., b. Michaelis ad XIV. 41., S. V. Bretschneider, Dogm. u. Moral der Apocryphen, p. 69 s. 344 s., S. R. de Wette, bibl. Dogm. ed. II. §. 143. 189., S. V. Gaab, Handb. zum philol. Verstehen der apocryph. Schr. d. a. T., ad XIV. 41.). Verum ipsa prophetia, quod e compluribus haud obscuris vestigiis elucet, sub Messiae demum tempora revictura existimabatur (cf. Joël. III. 1. 2. Mal. III. 1. 23 s. Joh. I. 22. Matth. XVI. 14. Marc. VI. 15. VIII. 28. Luc. IX. 8. 19. add. Grotium ad locos laudd.), quorum temporum imaginem, licet non expressam, illis quoque locis subesse, eo ipso haud alienum fuerit colligere.

7) „Ὁ δε θεος ὁ σωσας τον παντα λαον αὐτου, και ἀποδους την

omnibus, quae ad seculi aurei ab eo condendi imaginem referri solitum esset, plane silerent [8]).

2.

Ejus vero opinionis, de qua nobis sermo est, nullibi in his libris vel remotissimum vestigium apparere, quemadmodum ex iis, quae modo diximus, facile conjici potest, ita ipsis iterum iterumque perlustratis prorsus confirmatur. Qua in re haud veremur, ne quis nobis oppositurus sit illa sententiarum *Siracidae* aut libri *Sapientiae* loca, ubi sapientia vel intellectus divinus *personae forma indutus* legitur.

3.

Siracidae enim, quae huc pertinent, loca nihil aliud sibi velle, quam ut sapientiam, et, quod subinde cum illa commutatur, verbum Dei agentia describant more poetico, inter omnes fere [9]) nostrae aetatis interpretes non minus exploratum confessumque est, quam quae de eadem illa sapientia in Proverbiis Salomonis c. VIII. legimus, ex mero προσωποποιΐας τροπῳ explicanda esse

---

κληρονομιαν πασι και το βασιλειον και το ἱερατευμα και τον ἁγιασμον, καθως ἐπηγγειλατο δια του νομου. ἐλπιζομεν γαρ ἐπι τῳ θεῳ, ὁτι ταχεως ἡμας ἐλεησει, και ἐπισυναξει ἐκ της ὑπο τον οὐρανον εἰς τον ἁγιον τοπον. ἐξειλετο γαρ ἡμας ἐκ μεγαλων κακων, και τον τοπον ἐκαθαρισε." Quocunque demum tempore spuriam hanc Judaeorum Palaestinensium ad Aegyptiacos epistolam (c. I. 10 — II. 18.) conscriptam esse sumseris, Messianas exspectationes tum valde fuisse obliteratas, quin tantum non evanuisse, ex ipsa, quae h. l. exstat, status publici tam civilis quam sacri descriptione satis apparuerit.

8) Velut v. c. libri *Judithae* et *Sapientiae* auctores. Illius enim locum c. XVI. 17., ubi gentibus populo Judaico infestis poenae divinae, stato judicii die exequendae, indicuntur, praeterquam, quod nimis certe communis sit, quin huc recte queat referri, de suppliciis alterius vitae agere proxime a vero abest (cf. diss. nostr. supra cit., p. 178 s.); hujus vero de pio ab impiis deriso et ad necem usque exagitato, at magnificentissime tandem de iisdem triumphaturo perorationem (c. II. 13 — III. 9.) nemo hodienum erit, qui ad Jesu Messiae passionem insecutamque gloriam trahere posse sibi videatur; immo, an vel universale saltim illud, quod spem Messianam comitari solebat, dominationis in gentes hostiles saevaeque vindictae ab his sumendae promissum, *proprio sensu* repetere idem libri Sapientiae auctor voluerit (III. 8. V. 17 — 23.)? valde incertum est (quod adversus cel. Bretschneiderum ostendere conati sumus diss. cit. P. V. Sect. 2., p. 201 s. not. 21.).

9) Ambigere quidem videtur S. R. de Wette, bibl. Dogm. ed. II. §. 254. coll. not. a), at nonnisi uno eorum, quae in contrariam partem a cel. Bretschneider (Lib. Jesu Siracidae, excurs. III. p. 729 ss. et Dogm. und Moral. der Apocr. p. 228 ss.) allata sunt, neque hoc ipso satis remoto.

4.

Quae autem in hoc genere offert Pseudo-Salomo in *Sapientiae* libro, ea sane, si vel maxime largiamur, naturae cujusdam hypostaticae, e summo Numine prognatae eique proximae, notionem iis exprimi, nihil tamen ad nostram caussam valitura essent, cum, quod in prima scriptionis nostrae particula, p. 356., occupavimus, id solum quaeratur, an ipsi *Messiae* natura humana sublimior adscripta videatur?

5.

Praeterea non possumus non fateri, quicquid senserint alii interpretes doctissimi [10]), nondum a nobis impetrare nos potuisse, ut loca, de quibus agitur, Pseudo-Salomonea ita explicanda esse putemus, sed acquiescere potius S. V. *Pauli* rationibus, quibus (Commentar zum N. T. T. IV. p. 29. ss.) et hunc auctorem non nisi audaciori προσωποποιΐᾳ in personae velamine sapientiae induendo usum esse monstravit. In qua sententia eo maxime confirmamur, quod, quotiescunque ille de sapientia ita diseruerit, quasi naturam per se existentem eam haberet, mox tamen, mutato iterum orationis genere, ita loquatur, quomodo loqui profecto haud potuisset, nisi illic πρωσωποποιΐας tantum τροπῳ fuisset usus [11]).

10) cf. praeter alios S. V. Bretschneider, D. u. M. Apocr. p. 233—146. et S. R. de Wette l. c. §. 155.

11) Ita postquam praedicaverat Pseudosalomo c. VII. 7 ss., *intelligentiam* (φρονησιν), *sapientiaeque spiritum* (πνευμα σοφιας) sibi precanti *concessum* esse („εδοθη μοι"), non: — την σοφιαν — soleuni, quod ei proprium esset, nomine appellatam, — ipsi sese adjunxisse, ipsi succurrisse; postquam affirmaverat, *rebus* omnibus, quaecunque magnificae aut pretiosae haberi queant, se eam, tanquam thesaurum omnium maximum, anteposuisse, *personae* mox forma eandem indutam sistit v. 11 s. (και ἀναριθμητος πλουτος ἐν χερσιν αὐτης — ὁτι αὐτων ἡγειται σοφια, ἠγνοουν δε αὐτην γενετιν εἶναι τουτων). Sed redit mox oratio propria (ut omittamus v. 13 s. ubi προσωποποιΐα continuata forsan videri queat) vv. 15—21., quibus, *Deum* sincerum rectamque *rerum omnium cognitionem* sibi largitum esse, gloriatur, atque, ut ille porro sibi, et *dicere* sapienter (εἰπειν κατα γνωμην) et iis, quae dicerit, pensitatis *rite uti* concedat (ἐμοι δε δωη ὁ θεος εἰπειν κατα γνωμην, και ἐνθυμηθηναι ἀξιως των δεδομενων — ἐν γαρ χειρι αὐτου και ἡμεις και οἱ λογοι ἡμων, πασα τε φρονησις και ἐργατειων ἐπιστημη. — Αὐτος γαρ μοι ἐδωκε των ὀντων γνωσιν ἀψευδη etc.), precatur; iterum se statim conversurus ad sapientiae *magistrae* imaginem v. 22. (ἡ γαρ παντων τεχνιτις ἐδιδαξε με σοφια), quam jam v. 22—27. audacius, quam unquam alibi, exsequitur, *mentem* (πνευμα)

6.

At, ne *alterum* apocryphorum V. T. genus, *Pseudepigraphorum* plerumque nomine veniens, omittamus, frequentior sane in his deprehenditur notionis speique Messianae non mentio tantum, sed et tractatio atque exornatio; cujus rei rationem non improbabilem in eo facile agnoveris, quod, vergente aetate, postquam in pejus iterum labi coeperat, quin Romanorum mox servituti cesserat res Judaeorum publica, a Maccabaeis restituta, antiqua auxilii divini omnibus partibus absolutissimi nec unquam eventu suo privandi, verbo, Messiae regnique ab ipso condendi promissa in memoriam revocari atque ad erigendos civium animos denuo adhiberi in promtu fuerit.

7.

Eminent in hoc argumento *Psalmorum Pseudo-Salomoneorum*, *IV Esdrae* atque *Enochi* libri; e quibus ceterum ne unus quidem est, quem christiana aera priorem esse satis certae rationes arguant [12]).

---

huic magistrae *inesse* dicens intelligentem, sanctam, sui generis unicam etc., *halitum* eam nuncupans potentiae divinae, purum majestatis, summo universi Domino propriae, *effluvium*, aeternae lucis *repercussum splendorem* (ἀπαυγασμα), immaculatum efficientiae Dei *speculum*, bonitatisque ejus *effigiem*. Pergit in poetica ista adumbratione, sub personae forma inducens sapientiam sequentibus capitibus VIII — X., sed ita tamen, ut intermisceat subinde verba magis propria, velut VIII. 18., „περιηειν ζητων ὁπως λαβω αὑτην εἰς ἐμαυτον" — IX. 4. „δος μοι την των σων θρονων παρεδρον σοφιαν" — 17. „εἰ μη συ ἐδωκας σοφιαν." Quae cum ita sint, quomodo illae nominatim sapientiae laudes, quae c. VII. 25. leguntur, tantopere urgeri possint (cf. cel. Bretschneider, l. c. p. 324 ss.), eo minus perspicimus, quo minus hanc ipsam sapientiam, quanquam non pro natura per se existente habitam, bonitatis tamen divinae effigiem aeternique luminis ἀπαυγασμα compellari aptissime potuisse dubitare licebit ei potissimum, qui, non de sapientiae tantum *virtute*, *Deo ipsi attributa*, sed de perfectissima rectissimaque cognoscendi atque agendi ratione, quae et *insit* summo Numini, et ab eodem magistro *proficiscatur*, sermonem esse meminerit. Neque magis movemur ista, quae c. I. 6. occurrit, formula, qua φιλανθρωπον πνευμα dicitur σοφια. Quidni enim, ut hoc unum moneamus, πνευματος nomen h. l. similiter positum esse existimetur, ac רוח חכמה ובינה רוח עצה וגבורה רוח דעת ויראת יהוה Es. XI. 2., nulla probabilis ratio suppetit. Verba c. VII. 22. „ἐστι γαρ ἐν αὑτῃ πνευμα νοερον" κ. τ. λ. jam attigimus, προσωποποιΐας ab auctore adhibitae culmen in iis agnoscentes; at, si vel in eum sensum illa cum S. V. Bretschneidero interpretemur, ut ἐν αὑτῃ positum putemus pro αὑτη, quae ad c. I. 6. monuimus, sponte recurrent.

12) Cf. diss nostrae supra cit. p. V. sect. I., p. 168., not. 4. *Psalte-*

8.

Primus eorum, *Psalterium* nempe *Salomonis*, praeer unum locum Ps. XVII. 41., ubi Messias, Davidis nepos,

---

ium Salomonis, e codice Augustano, Constantinopoli allato, primum cum ers. lat. et scholiis editum a Joh. Lud. DE LA CERDA in Adversariis sacris ugd. 1626., recusum ex hac ed. in J. A. FABRICII Cod. Pseudepigrapho . T. p. 917—999., quod aliquanto post Christi tempora scriptum conjeerat jam P. D. HUETIUS in Dem. Evang. et nostra aetate b. CORRODI (Beiräge zum vern. Denken in der Rel., Fasc. IV. p. 200 s.), non carere videur internis quibusdam vestigiis, quae omnino post Hierosolymorum demum xcidium ortum illud esse prodant. Praeterea enim, quod a scriptoribus ecesiasticis sero satis memoretur (primum sc. omnium in Synopsi Pseudo-*thanasii*, IV. certe seculum haud antegressa), quod aliter sine dubio se abiturum erat, si ante Christi et apostolorum exstitisset aetatem, Hieroolymorum et omnis reipubl. gentisque Judaicae status Ps. praecipue II. . 1—3. 20.) et XI. ita describitur, quomodo stante republica et urbe escribi vix potuisset (unde nec S. R. BRETSCHNEIDERO facile accesseris, mox ost exilium Babylonicum judaico sermone conscriptum, sed post excidium ierosolymorum in graecum translatum esse librum existimanti, dogm. hist. uslegung des N. T. p. 121.). Christianum tamen auctorem fuisse, nihil est, uod indicet. Plus caussae suppetere videri queat, ut hoc de *IV. Esdrae bro* statuamus, nisi loca huc valentia (c. I. II. VII. 28. 29.) cum b. CORODIO (Versuch einer Beleuchtung der Gesch. des jüd. und christl. Bibelkaons, T. I. p. 145 s.) interpolata serius conjeceris; inferiorem vero Christi mpore auctorem esse, ex indiciis haud contemnendis cum eodem colligi oterit. *Librum* denique *Enochi* (cujus exemplar Aethiopicum, ex Abyssia reportatum a BRUCIO, Angelico sermone nuper edidit Clariss. LAWRENCE, ib titulo: Mashafa Henoc Nabiy, the book of Enoch the prophet, an apoyphal production etc. Oxon. 1821.), ut largiaris translatori modo laudato, ib ipsa rei christianae initia, primis imperii Herodis M. annis, a *Judaeo* onscriptum esse, vix tamen dubitare potueris, quin haud pauca contineat, uae a christiana manu interpolata sint, quod praeter alios (v. c. S. R. BRETCHNEIDER, hist. dogm. Ausleg. des N. T. p. 121 s. S. R. VOGEL in commentat. ber 1 Petr. III. 18 s., inserta S. V. GABLERI diario theol. noviss. T. XI. 323 s.), nuperrime ex ipso illo exemplo Aethiopico a Clariss. LAWRENCE anslato ostendit Illustris DE SACY (Journal des Savans, 1822. Octobr.), ed iis, qui a *Christiano* potius Exjudaeo librum hunc consarcinatum esse idum conjeceraut (ut HERMANN. WITSIUS, Melet. Leid. p. 501 s. et b. STORUS, in diss. de catholicarum epp. usu atque consilio, Tüb. 1780. p. 39 ss., ipsa Judae Apostoli epistola libri ejusmodi fabricandi ansam Christianum Judaeis arripuisse autumans), Aethiopico textu Parisiis solertissime inspecto editionis curandae caussa transscripto accessisse videmus S. R. GESENIUM f. literas viri celeberrimi excerptas in Archivo, quod edimus, theol. T. V. 261.). Qua de quaestione quanquam certi quid vel apud nos ipsos stare nondum nobis liceat, cum versionis *Lawrencianae* adeundae opportunitas nondum nobis contigerit, editionem a cel. *Gesenio* promissam praeolemur demum; interpolatum certe et similiter fere ac libros Sibyllinos ultis partibus sensim sensimque auctum, si non conscriptum ab uno sive uribus Christianis esse librum, ipso viri eruditissimi judicio magis etiam ploratum confectumque habemus. — *Testamentum XII. Patriarcharum*, et multum prae aliis in rebus Messianis, quin *divinam Christi naturam uribus locis apertissime profitens*, noluimus tamen speciatim memorare, m sive foetum illud esse mere christianum (quod b. CORRODIUS ostenre sategit, Beitr. zum vern. Denken in der Rel. Fasc. V. p. 81 ss. annuente V. SCHMIDT, Handb. der chr. Kirchengesch. T. I. p. 491.), sive a chri-

peccati expers futurus esse praedicitur [13]), nihil plane continet, quod naturam Messiae humana superiorem innuere videri queat. Sed et illud ipsum facile patet, non dogmatico ἀναμαρτησιας sensu sumi oportere, sed solennem Prophetarum Hebraicorum de futuro Messia sententiam, qua vitae morumque summa sanctitate ipse conspicuus, populum emendaturus purgaturusque esse cogitabatur (cf. v. c. Esaj. LIII. 9. 11. XI. 2. ss. Mal. III. 1. ss), brevibus repetere.

9.

Quartus vero *Esdrae* liber licet, qualis nunc legitur haud pauca complectatur, quae *christianas* de Messia ejusque regno notiones, praesertim gentilium Judaeis exclusis ad illius consortium vocandorum opinionem exprimant v. c. I. 30—37. (ne memoremus, C. VII. 28. ipsum *Jesu* Messiae nomen compellari), ultra humanam tamen futuri Servatoris naturam nusquam ascendit [14]).

10.

Quod denique *Enochi*, qui dicitur, librum attinet, memorabilia sane sunt aliquot ejus de *divina Trinitate* loca, ille nominatim, qui c. XLVIII. in exemplo Aethiopica cel. *Lawrencio* translato, legitur, ubi in numine divino distinguuntur 1) *Dominus omnium spirituum*, 2) *hominis filius*, electus, occultus, tempora omnia et quaecunque ante ta unquam sunt, existendo praeiens, 3) *tertia* denique, *testas*, una cum filio a mundo inde condito aquis impendens [15]). Quae sane eo magis huc referenda sunt, quod secunda, quae distinguitur, persona *filii hominis* non venit, nulla igitur dubitandi caussa adest, eandem eam

stiana manu retractatum uberrime atque interpolatum (cf. Grabium in P. ad hist. 12 Patr. in Spicil. Patrum sec. I. Oxon. 1698. p. 131 ss. et ap. Fabricium in Cod. Pseudepigr. V. T. p. 499 ss.), inter omnes constet.

13) ap. Fabric. l. c. p. 967. „και αὐτος καθαρος ἀπο ἁμαρτου ἄρχειν λαου μεγαλου, ἐλεγξαι ἄρχοντας και ἐξαραι ἁμαρτωλους ἐν λογου."

14) *Filii Dei* nomen, quod compluribus locis illi tributum videre c. II. 47., ubi filius Dei confessoribus mortali tunica exutis coronas indicitur), quidni latiori sensu ad summam Messiae *regis* dignitatem desumdam usurpatum putemus, nulla ratio adest.

15) Cf. Hl. de Sacy excerpta, Journal des Savans, Sept. 1822.

beri cum Messiae ipsius persona. At, quis tandem erit, quin ex *christiana* disciplina haec in librum Enochi transfluxisse judicet, sive *christiana* manu interpolante, quod, nisi foetus *omnis* Christianum auctorem habeat, proxime nobis a vero abesse videtur [16]); sive sequioris aetatis *Judaeo* christianas notiones adhibente, quod fieri subinde potuisse, non prorsus infitias iverimus [17]).

11.

Cum vero a pseudepigraphis illis V. T., quippe quae, nisi infra rei christianae originem collocanda sint, parvo tamen intervallo, vel genuinis antiquissimisque sui partibus, illam superare putari possunt, ad ceteros Judaeos, Jesu Christo ejusque apostolis circiter coaevos, sponte deducamur; qui jam proxime se nobis offerunt, *Philo* et *Josephus*, parum negotii nobis facessent. Satis scilicet notum est, hos, ut parci omnino sint in commemorandis rebus Messianis, ita nihil plane suppeditare, quod ad dignitatem

16) Quod Vir cel. modo laudatus monet, christianum interpolatorem apertius explicitiusque in hoc argumento versaturum fuisse, eos minus nos moratur, cum 1) ponere liceat, primo jam aut secundo post Christum n. seculo (qua aetate ecclesiastica de Trinitate doctrina nondum tantopere exculta erat) inserta haec loca esse, et 2) dari aliquid queat consilio interpolatoris, christiana sua prisco Hebraeorum vati probabilius affingendi; qua in re unum prae altero dexteriorem temperantioremve fuisse satis constat, nostrum vero haud cupidissimum pinguissimumve fuisse, alia iudicia persuadent, velut, quae C. XCII. de septima et octava totius aevi mundani hebdomade praedicuntur, satis quidem manifeste, ipso viro sagacissimo augurante, ad Jesu Christi mortem, exaltationem, judicium regnumque spectantia, at ita, ut nec plane absonum videri possit, si quis Judam Maccabaeum resque populi Judaici usque ad templum ab Herode M. exstructum gestas innui conjecerit (cf. Journ. des Savans, Oct. 1822.).

17) Ut enim, primis praesertim post Christum natum seculis, a recipiendis Christianorum dogmatibus aut ritibus non parum abhorruisse existimandi sunt Judaei (cf. lib. nostrum über das Alter der jüdischen Proselytentaufe, p. 40 ss.), ita noluerimus negare, fieri potuisse, ut, cum intermixti illi perpetuo viverent Christianis civibus, progrediente aetate, unus eorum alterve hoc vel illo doctrinae Christianae capite, suis quidem consiliis accommodate, uteretur, et, quicquid illi inesset veri, eo nec se popularesque unquam caruisse, prae se ferret; quod vel in ipso trinitatis dogmate, licet a Judaeis exprobrato plerumque Christianis, at philosophematis quibusdam tum orientalibus tum Platonicis in sublimiorem Judaeorum theologiam dudum receptis contiguo, locum subinde habuisse non longe absumus ut credamus (cf. R. Judae Sancti, quae dicitur, sententiam a S. R. Bretschneidero allatam; dogm. hist. Ausl. des N. T. p. 140.). Dubitamus tamen hoc ad istum libri Enochi locum illustrandum adhibere, ea maxime de caussa, quod secunda in Deo persona *filii hominis* titulo illic insignitur.

humana celsiorem, futuro Messiae ab ipsis vindicatam, ulla veri specie trahi possit [18]).

12.

Quae cum ita sint, oculos, agite, convertamus ad librorum V. T. *paraphrases chaldaicas*, quarum una certe, *Onkelosiana* nempe, nisi antiquior rei christianae origine, tamen Christi et apostolorum aetati propinqua haberi fortasse possit [19]). Hi igitur interpretes non tantum *de verbo Jehovae*, tanquam natura per se subsistente, saepissime loqui, sed et hanc ipsam divinam naturam, מימרא דיהוה, cum Messia intime conjunctam cogitasse dicuntur [20]). At ingenue fatemur, *ne unum quidem* nobis cognitum esse lo-

---

18) *Philo* scilicet ultra communis popularium omnium in patriam reditus seculique aurei, ab emendatis eorum animis moribusque sponte profecturi, praesagitionem, duobus inprimis locis expressam (de praemiis ac poenis, ed. opp. Paris. 1640. p. 922 ss. et de execratt. p. 937 ss.), cui semel *speciei coelestis*, qua duce reversuri sint, imago dicamus allegorica, an opinio? adjuncta est (p. 937.), nusquam progreditur; immo has ipsas quoque spes *hypothetice* magis quam *prophetice*, moniturus nempe, quanta exspectanda forent bona, si verae virtutis sapientiaeque compotes fierent omnes, et eo ipso vetus etiam oraculum (Num. XXIV. 7.), ut videtur, accommodans, non, quae reapse futura sint? indicturus, effatur. De Messia plane silet, nec ansam quidem praebet quaerendi, an forte λογον illum suum (sive pro natura per se existente, sive pro facultate divina habitum, sive quocunque alio modo conceptum) cum Messia copulandum finxerit? cf. Magnif. Schmidtii christolog. Fragmente in l. Bibliothek für Kritik und Exeg. des N. T. etc. T. I. p. 8 ss. S. R. Bretschneider, Dogmat. und Mor. der Apocr. p. 358 s. et S. V. de Wette bibl. Dogm. p. 164 s. — *Josephum* autem *vulgares* de Messia Romanorum mox regnum abolituro notiones, quibus imbutum ipsum fuisse, tum inde, quod Pharisaicae sectae adhaerebat, tum ex magno, quod Danielis oraculis tribuit (Antt. l. X. 10, 4. 11, 7.), momento atque ex ipsa, quam secutus esse videtur, visionis Dan. II. interpretandae ratione (X. 10, 4.) colligere fas est, Romanorum praecipue metu suppressisse, ab aliis dudum recte observatum cernimus (cf. cel. Schmidt, l. c. p. 2. b. Bauerum, Theol. des A. T. p. 412 ss. et S. R. Bretschneider, capp. theol. Jud. dogmat. e Fl. *Josephi* scriptis collecta, p. 36.).

19) Cf. b. Jahn, Einl. in die Schriften des A. B. T. I. p. 188 ss., *Onkelosi*, Thargum seculo post Christum natum I. aut II., *Jonathanicum* tertio fere vindicantem (accedente S. R. Augusti, Grundr. einer hist. krit. Einl. ins A. T. p. 99 s.), et b. Bertholdt, prius illud dimidio circiter *ante* Christum natum, posterius secundo aut tertio dehinc seculo ortum esse censentem (Einl. T. II. p. 575 ss.); quorum uterque a cel. Eichhornio dissentit, qui neutrum ante annum a Christo nato trecentesimum exstitisse judicat (Einl. T. I. p. 222.).

20) Cf. praeter alios auctores antiquiores, velut Schoettgenium, in l. Jesus der wahre Messias, p. 6 ss. inprimis b. Corrodi, in l. kritische Gesch. des Chiliasmus, T. I. p. 215. et b. Bertholdt, in Christologia Judaeorum Jesu apostolorumque aetate, Erl. 1811. §. 23. 24.

cum vel *recentiorum Thargumim*, ne dicam Onkelosiani vel Jonathanici, ubi nomine isto מימרא דיי natura per se subsistens luculenter expressa, nedum haec appellatio ad Messiam satis certo translata sit. Facile scilicet ostendi potest, et *ubicunque* apud hos interpretes occurrat formula מימרא דיי, ibi ipsum Deum modo, quem ament, periphrastico, orationis contextui magis minusve accommodate [21]), describi [22]), et, ubicunque Messias hoc titulo ornari videa-

---

21) Fit enim nonnunquam, ut pro Jehovae in textu hebraico occurrentis nomine מימרא דיי ponatur ita, ut *effatum s. jussum Jehovae* revera intelligi possit, quod tamen aliis similibus locis secus se habet, cf. S. V. Paulum, Comment. zum N. T. T. IV. Tub. 1804. p. 9 ss.

22) Idoneis id argumentis demonstravit prae aliis Magnif. Süskindius, in Commentat. Etwas über die neuern Ansichten der Stelle Joh. I. 1—14. inserta l. Magazin für christl. Dogm. u. Moral, Fasc. X. Tub. 1803. p. 17 ss., postquam, *saepe* saltim in hunc sensum explicari posse Paraphrastas, b. Flattius docuerat, in commentat. Etwas über die Beziehung der Lehre Jesu von seiner Person auf die Denkart der paläst. Juden, inserta libro: Vermischte Versuche, Leipz. 1785. pag. 253 ss., cui et S. V. Paulus ita adstipulatus est, l. c., ut inter antiquiora Onkelosi et Jonathanis Thargumim, et recentiora, Hierosolymitanum praesertim, studiose distingueret. At nec ea ipsa loca, quae vel ab hoc Viro celeberrimo, vel a b. Bertholdo afferri videmus, ut nihilominus verbum Dei ὑφισταμενον subinde innui demonstrent, multum probare censuerimus. Cum enim ille *Thargum Hierosolymitanum* ad Gen. III. 22. simplicem *Onkelosi* paraphrasin: וָאֲמַר יְיָ אֱלֹהִים הָא אָדָם חֲוָה יְחִידַי בְּעַלְמָא מִנֵּיהּ לְמִדָּע טָב וָבִישׁ verbis: וָאֲמַר מֵימְרָא דַיְיָ אֱלֹהִים הָא אָדָם דְּבָרִית יָתֵיהּ יְחִידִי בְּגוֹ עַלְמַי הֵיךְ מַה דַּאֲנָא יְחִידִי בִּשְׁמֵי מְרוֹמָא etc. ita amplificare monet, ut istud מימרא דיי manifesto appareat tanquam ὑποστασις *in suo genere unica* (יְחִידִי), hic eundem Thargum Hierosol. locum in rem suam vertit §. 23. not. 32); nos quidem perspicere nequaquam possumus, quidni et hoc loco מֵימְרָא דַיְיָ positum putetur *pro ipso Jehova*, qui Adamum, ut unicus in mundo esset, sicut ipse (*Jehova*) unicus in coelis, se creasse pronunciet? Majorem speciem habet loci Gen. I. 1. interpretatio apud eundem Thargumistam obvia: בְּחוּכְמָא בְּרָא יְיָ etc., unde elucere videri possit, Alexandrinorum rationem, qua την ἀρχην (ראשית) eandem habuisse dicuntur cum τῃ σοφιᾳ ὑποστατικῃ, ab eo adoptatam fuisse (cf. cel. Paulus, l. c. p. 14.). Sed ut largiamur, Alexandrinos, Philone fere duce, την σοφιαν *hoc sensu* commiscuisse cum τῃ ἀρχῃ, ut demus praeterea, Thargumistam in sapientiae mentione h. l. facienda *illos* secutum esse (cum e communi potius fonte, Prov. VIII. 22. coll. seqq., hausisse non minus videri queat); an tum eum ipsum, tum omnino Palaestinenses Judaeos, *eodem plane sensu* ejusmodi formulis usos esse; satis certo colligere licebit? An, quod b. Bertholdtus, l. c. monuit, non: cum sapientia (sapienter), sed: per sapientiam creasse dici Deum, ullo modo morari quenquam poterit? — Cetera loca, a b. Bertholdto ibid. producta, Tharg. Onk. Deut. XXXIII. 27. דמלקדמין במימריהּ אתעבר עלמא

tur, aut omnino de Messia sermonem non esse, aut verbi divini certe nomen; licet in eodem contextu occurrens, ad illum tamen nulla probabili ratione referri licere [23]). Ma-

---

„qui in principio; per verbum ejus creatus est mundus" — Tharg. Jonat. Es. XLVIII. 13. במימרי שבללת ארעא „per verbum meum perfe terram" et Es. XLV. 12. אנא במימרי עבדית ארעא in censum ven non posse, per se patet.

23) In interpretatione loci *Num. XXIII.* 21. (al. 25. יְיָ אֱלֹהָיו עִמּוֹ וּתְרוּעַת מֶלֶךְ בּוֹ), ab *Onkeloso* data: מימרא דיי אלההון בסעדהון ושכינת מלכהון ביניהון nihil est, quod illud מימרא דיי pro me quae tam solita huic interpreti est, Dei descriptione sumere vetet, cum vel maxime concedendum sit, שכינת מלכהון *Messiae* majestatem notare, nullo tamen modo sequatur, prius hemistichium tam exacte resp dere debere posteriori, ut nec מימרא דיי aliud quicquam esse possit q Messias, praeterea vero ne probabilis quidem habenda sit haec verbo שכינת מלכהון explicatio, cf. b. Flattium, l. c. p. 255 s. S. R. Pa l. c. p. 16., quorum monitis hoc unum addimus, apud Onkelosum cetero interpretes Chaldaicos formulam שכינא, שכינת דיי (quae commo nem, s. *praesentiam divinam* denotat) ibi quoque frequentissime pro *sese manifestante* usurpari, ubi nihil plane de Messia cogitare suade ita hoc etiam loco pro תרועת מלך (regio tubae clangore), praes supremi Regis *indice* (Num. X. 8—10.), formulam magis propriam et spicuam שכינת מלכהון positam esse. Quod autem deinde eandem ctionem (תרועת מלך) ad *Messiae* in populo praesentiam traxit Ps *Jonathan* (מימרא דיי אלההין בסעדהון ויבבות מלכא משיחא מיבבא ביניהון), inde profecto nequaquam sequitur, nomine מימרא דיי in piori jam hemistichio Messiam vel ab eo ipso designari ve nedum *Onkelosum* quoque in hanc sententiam exponi debere; Tha que *Hierosolymitani* paraphrasin: מימרא דיי עמהון ויבבות מן איקר מלכהון מגין עליהון (verbum Jehovae est cum vociferatio a gloria regis illorum protegit illos) nihil novi *Onkelosia* dere, per se patet. — Alter, quem b. Bertholdtus (post b. Corrod Gesch. des Chiliasm. T. I. p. 215. add. über die jüd. Theol. in Be Beförd. des vernünft. Denkens, fasc. V. p. 26.) prae aliis ursit, lo in Tharg. *Jonathanis* ad Ps. CX. 1., ubi legitur: מימרא דיי במימריה quae verba postquam b. Flattius (l. c. p. 256 ss.) contra *Corrodium* derat, nullo modo ita verti posse: „Dominus locutus est *ad* verbum (Messiam), cum non de Messia, sed de Davide sumtum a Thargumis mum esse in aprico sit, et S. V. Paulus, hac ipsa sententia inde confirmata, quod pro לאדני non במימריה, sed למימריה pos fuisset, ita transtulerat: „dixit Dominus *apud se* = decrevit Dominus," tia potius: לשואה יתי רבון על־כל־ישראל aut לי רבנותא (duplicem enim hanc interpretationem affert Jonathan) hebraico.

vel maxime ostendi possit, a *recentioribus* haldaicis מימרא דיי pro ὑποστάσει sub- Messia unitum sisti, nihil plane hoc las Judaeorum Christo apostolisque na Messiae notiones [24]).

s, b. Bertholdtus ita eadem explicanda censuit (l. c.), o Jonathanis haec esset: „Dominus effatus est *cum* Memerah Davides) ad dextram meam" eumque igitur hebraicum לארני m natura sua sublimiore Deo insolubili vinculo junctum retulisse pu- at haec sumta, non probata sunt. Facillime enim, si quid videmus e S. V. Pauli expositio longius repetita habeatur), ita exponetur in- etatio Jonathanica, ut ipsa verba: נאם יהוה לארני de eo, quod hova *apud semetipsum* (במימריה) locutus sit, i. e. *decreverit* (cf. Gen. VIII. 21. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־לִבּוֹ et nomen loco pronominis positum v. c. Hos. I. 7. Zach. X. 12.), sumsisse putetur. — Glossam interpretis *Hierosolymitani* ad Gen. XLIX. 18.: אמר אבונן יעקב לא לפורקניה דגדעון סכית נפשי דהיא שעה ולא לפורקניה דשמשון דהיא פזרקן עביר אלא לפורקנא דאמרם במימרך למיתי לעמך בני ישראל ליה לפורקנך סכית נפשי — in qua cum b. Bertholdt etiam S. R. de Wette Messiae et λογου notiones combinatas agnoscit (bibl. Dogm. §. 200. coll. not. f), minus huc referendam censebimus, quam primum eam contulerimus cum interpretamento ejusdem loci apud *Pseudo-Jonathanem* obvio, ceterum plane consono, ut pro verbis illis: לפורקנא דאמרת במימרך למיתי positum deprehendimus: אלהן לְפוּרְקָנָךְ סכית ואודיקית יהוה דְּפוּרְקָנָךְ פורקן עלמין (Walton. Bibl. Polygl. T. IV. Tripl. Tharg. p. 99.) „sed ego salutem *tuam* expecto et perspicio, *Domine*, quia liberatio *tua* liberatio seculorum;" cum quo prorsus concinunt loca duo in Midrasch Vajikra ad Lev. XVII. III. et in Midrasch Thehillim ad Ps. XXXVI. 10., a *Grabio* citata, ad Testam. Dan C. V. in Spicil. Patr. sec. I. Oxon. 1698. p. 358 s. atque inde in Fabricii Cod. Pseudepigr. V. T. p. 654 ss. Locus denique *Jonathanis* ad Es. XLII. 1. הא עבדי משיחא אקרבינה בחירי דאתרעי ביה מימרי videri sane posset illam του λογου cum Messia unionem exprimere, modo vera esset, quam Magnif. Schmidtius (Christol. Fragm. l. c. p. 359.) praeiverat, b. Bertholdtus (l. c. §. 24. not. 3) repetiit, graeca ejus versio: ὁ Χριστος· ἐγγυς εἰμι αὐτῳ· ὁ ἐκλεκτος μου· εὐδοκησα ἐν αὐτῳ ειναι τον λογον μου. Sed meminem, verbis chaldaicis בחירי דאתרעי ביה מימרי accuratius aliquantum inspectis, dubitaturum esse confidimus, quin ita illa capienda sint (prorsus accommodate hebraicis): electus meus, *quo verbum meum delectatur* (i. e. quo delector). Cf. Buxtorf. Lex. chald. Thalm. ad v. רעה.

24) Cf. b. Flattium, l. c. 259 ss., apud recentiorum seculorum Judaeos sublimiorum de persona Messiae notionum vestigia satis certa occurrere recte concedentem, ejusque rei rationes probabiles acute monstrantem, et S. V. Paulum, l. c. p. 8 s. 55 s.

13.

Ablegamur tamen ad *aliqua ipsorum N. T. librorum loca*, quibus jam Jesu Christi et apostolorum aetate celsioris quacunque humana, quin divinae Messiae naturae notionem parti certe Judaeorum, et Palaestinensium quidem, cognitam ab iisque receptam fuisse, concludere cogamur; ut Matth. XXVI. 63. s. XXII. 43. s. Joh. X. 33. Eph. I. 21. Phil. II, 9. Col. I, 15. s.[25]). Sed nec his in aliam sententiam induci nos posse confitemur.

14.

Fac enim, servatoris testimonium Matth. XXVI. 63. obvium, eam ipsam ob caussam pro βλασφημια sumtum a summo pontifice esse, quod *Messiam* se esse illo professus sit; haud tamen inde sequeretur illico, pro *divina* natura haberi solitum fuisse Messiam, cum ad βλασφημιας crimen Jesu movendum falsa mendaxque dignitatis Messianae, a Deo in se collatae, jactatio satisfacere sine dubio infensissimo adversario potuisset; ne dicamus, additum a Domino fuisse: „visuros esse Judaeos se ad dextram divinae majestatis sedentem et in nubibus coeli venientem," quod quamvis nec ipsum *divinam* proprie dignitatem significaverit (cf. hujus comment. Partic. I., p. 360. s.), summum tamen, quod demandari homini unquam a Deo possit, imperium, revera ipsi demandatum magnificentissimis terminis expresserat, et supplicia Dei nomine a populo electo sumenda non obscure innuerat (cf. b. *Flattium*, l. c. p. 246. s.).

15.

Idem vere valet de altero loco finitimo, Matth. XXII. 43. s., qui, ut consuetam fuisse Judaeis Psalmi CX. 1. de Messia expositionem, satis manifesto docet (cf. comm. nostrae Partic. II., p. 376. s., not. 3.), ita, dignitatem humana majorem, in Messia quaerendam, iisdem Judaeis interpretibus eo minus indicare videri poterat, cum, si de hac cogitassent, nodum a Servatore propositum haud difficili negotio soluturi fuissent (cf. b. *Flattium*, p. 266. s.).

25) Cf. praeter alios Lückiani in evang. Joannis commentarii censorem sagacissimum, in ephemeridd. literar. Jenensibus d. a. 1821. p. 166.

16.

Quis vero demonstrare suscipiat, Joh. X. 33. ejusdem illius criminis της βλασφημιας *ideo solum* incusatum a Judaeis fuisse Dominum, quod Messiam simpliciter se praedicasset, non quod *unum cum Patre Deo* sese dixisset, quod vitam aeternam suis se daturum esse, quod eos, cum Patris potestati eripi posse nequeant, nec suae ereptum iri affirmasset (v. 28 — 30)[26]?

17.

Nec plus praesidii cetera loca, Eph. I. 21. Phil. II. 9. Col. I. 15. s. iis praebuerint, qui Judaeos Christo apostolisque aequales *naturam humana quavis sublimiorem cum Messia copulatam* cogitasse sumunt. Ut enim Pauli apostoli formulas, Christum in coelos evectum omnibus ἀρχαις και ἐξουσιαις και δυναμεσι και κυριοτησι και ὀνομασι superiorem, et nomine, quod omni alio majus sit, ornatum sistentes, aut omnium creatorum primogenitum, per quem vel condita sint cetera omnia, salutantes eundem, cum similibus formulis, in Rabbinorum libris de Messia usurpatis, *partim* convenire largiamur, primum tamen propius convenire concedere non possumus nisi in iis, quae de Messia *tanquam homine*, si quando ad summum dignitatis Messianae fastigium elatus fuerit, praedicari potuissent[27]; nec

26) Formula certe, qua Jesus ipse v. 36. utitur: „ὑμεις λεγετε ὁτι βλασφημεις, ὁτι ειπον, υιος Θεου ειμι“ [cf. b. Bertholdt, §. 22. coll. not. 3)], nihil probat, nisi, Jesum *ipsum*, cum se Dei filium, aut; quod eodem redibat, Deum patrem suum (v. 29 s.) nuncuparet, sublimiori illo sensu, qui v. 28—30. pluribus verbis expressus erat, hoc fecisse eaque ipsa de caussa, quae v. 28—30. de se dixisset, jam (v. 36.) simplici hac formula complecti; non, *Judaeos* in mero filii Dei s. Messiae nomine Dei significationem (v. 33.) quaesivisse. Cf. C. V. 18. (ὁτι πατερα ἰδιον ἐλεγε τον Θεον, ἰσον ἑαυτον ποιων τω Θεω — „quod *ita* patrem suum diceret Deum, *ut* Deo parem se faceret“). Addere liceat, si v. 36. interpungendi et interpretandi rationem a S. V. Paulo (Commentar. ad h. l.) praeitam (quae tamen difficilior aliquantum videtur) sequi malimus („Weil ich mehrmals gesagt habe, ich bin ein Sohn der Gottheit, so glaubet mir nicht, wenn ich nicht handle nach Art meines Vaters“), quicquid argumenti ex hoc versu ad v. 33. relato peti possit ad sublimiorem Judaeis de Messia notionem vindicandam, citius etiam evaniturum esse.

27) Pertinent huc complura illa loca, post alios a S. V. Schmidt (l. c. p. 34 ss.) et b. Bertholdto §. 22. not. 4—8. ex libro Sahar, Breschith Rabba, Jalkuth Schimuni, aliisque recentioribus Rabbinis allata, ubi omnibus ceteris hominibus, populi patribus, immo angelis ipsis et toto mundo

13.

Ablegamur tamen ad *aliqua ipsor* ... qui-
loca, quibus jam Jesu Christi et apos ... Mes-
ris quacunque humana, quin divin ... odum
tionem parti certe Judaeorum, et ...
cognitam ab iisque receptam f ... Joan-
ut Matth. XXVI. 63. s. XXII. ... ionium,
Phil. II, 9. Col. I, 15. s. 25) ... nturum,
tiam induci nos posse cor ... , celsio-
... sserere a
Fac enim, serv ... centiori-
obvium, eam ipsa ... videmus,
summo pontifice ... ndamus 28), bre-
sit; haud tame ... versiculi 30. 29) contex-
haberi solitum ... piendam nobis videri ejus sen-
Jesu moven ... ubs quo, quamvis me sequatur, an-
Deo in se ... us me esse dixi, quod major (praestan-
mo adv ... 31)," tum vero, nequaquam nos perspicere,
fuisse ...
stati ... storque futurus esse praedicatur Messias: quae licet summam Mes-
vis ... gnaturi majestatem summis laudibus exornent, *naturam* tamen humana
... rem illi tribuere velle vix dici possunt. Rerum vero creatarum omnium
h ... cipium aut conditor non *Messias ipse* praedicatur a Rabbinis (cum, ubi
... ritum Messiae *aquis incubuisse* perhibent in l. Sohar ad Gen. XLIX. 11.
... 2., inde sane nequaquam argui possint ipsius creationis Messiae vindica-
... ne), sed *Metatron* aut *Schechina* (cf. loca ex libro Sohar allegata apud
b. Bertholdt, §. 23. not. 29. 31.), quibuscum *eundem* esse Messiam, an vel
Cabbalistae docuerint, haud satis liquet, quod loca, a b. Bertholdto allata
§. 23. not. 3., curatius inspecta, facile ostendent.

28) Cf. praeter alios S. R. Künoel Comm. ad Joh. I. 15.

29) Hic enim versiculus proxime spectandus est, cum v. 15. Evangelistam nonnisi praelibare appareat, quod deinde v. 30. suo ordine allaturus erat Baptistae eloquium.

30) Respicere Joannem baptistam ad ea, quae Synedrii legatis die praeterito professus esset v. 27., ex sermonis v. 30. prolati initio („οὗτος ἐστι περι οὗ ἐγω εἰπον") eo magis apparet, cum Evangelista, in testimoniis illius gradatim recensendis omnino solertissimus, v. 27. illud ipsum praemittere voluisse putandus sit, quo posterius (v. 30.) referendum esset. Sed ita respexit eloquium prius, ut sententiam repeteret verbis aliquantum mutatis, et ingeniosiori quadam ἀντιθεσεως formula adhibita, quod profecto in vate, sententiarum floribus conspicuo, mirum videri non debet.

31) Verba: „ἐμπροσθεν μου γεγονεν, ὁτι πρωτος μου ἠν" illis v. 27.: „οὐ ἐγω οὐκ εἰμι ἀξιος, ἱνα λυσω αὐτου τον ἱμαντα του ὑποδηματος" (add. ἰσχυροτερος μου ἐστιν, οὐ οὐκ εἰμι ἱκανος τα ὑποδηματα βαστασαι, Matth. III. 11. Marc. I. 7. Luc. III. 16.) ita respondent, ut ingentem istam Messiae secuturi *praestantiam* formula, quae τῳ ὀπισω ἐρχεσθαι diserte opposita sit, et dignitatis tamen praestantiam, dilucidiori insuper illa: „ὁτι πρωτος (προτερος)

maxime concedatur, verbis: „πρωτος μου ἦν,“
Messiam significari, prius exstitisse dici
ipso dignitatis ordine[32]), denique, si
iamur, sublimiorem naturam in Messia
ore a Joanne baptista fuisse, ab ejus
udaeorum opiniones concludere nos

19.

eque in canonicis hebraei co-
occurrant, quae, sive per
vocatis N. T. allegationi-
majorem Messiae natu-
ocrypha et *pseudepi-*
uae a *Judaeis* Chri-
s profectae putari
); neque *Para-*
ue Christi et apo-
nteriores esse constat,
ns inspecti, praebeant[37]);

38. 1 Tim. I. 15.) statim illustrata, innuere
ρευεσθαι ἐμπροσθεν, 2 Sam. VI. 4. de ducibus,
ι ἐμπροσθεν, Gen. XLVIII. 20. de anteponendo usur-
nt. Aoristus verbi εἶναι (πρωτος μου ἦν) eo minus difficul-
quod ad antecedens illud: *anteversum* se *esse* a secuturo, ac-
ius haberi debeat.

32) Hoc sensu v. c. septem res ante reliquum mundum creatae perhibentur in Pirke Elieser, c. 3., lex scilicet, infernus, paradisus, thronus gloriae, templum, poenitentia et *Messiae nomen* (cf. Eisenmengeri entd. Judenth. T. I. p. 316 s.); hoc Messias ante רוחו exstitisse fertur in Nezach Israël. c. 35. (cf. Magnif. Schmidt, Biblioth. T. I. 38 s. et S. V. de Wette, Messiae in paradiso commorationem, apud recentiores Rabbinos obviam, a προϋπαρξει illa mere intelligibili probe distinguendam esse, recte monentem, bibl. Dogm. §. 200. not. g).

33) Longe enim *ultra* Judaeorum sibi coaevorum multitudinem in iis praesertim, quae ad Messiam ejusque regnum spectarent, sapuisse prophetam celebratissimum, sive ab ipso jam Jesu Christo, quem cognatum habebat, et cujus consuetudine subinde saltim, nisi frequentius (cf. S. V. Planck, Gesch. des Christenthums in der Periode seiner ersten Einführung, T. I. p. 117 ss.) usus esse poterat, sive a divino, quo singulariter instructus erat, spiritu edoctum, sive quacunque alia via ad puriorem cognitionem emersum illum statuerimus, extra controversiam positum habemus. Cf. quae monuimus in Arch. f. die Theol. T. I. p. 772 ss.

34) v. commentat. hujus Partic. I., p. 356 ss.

35) v. Partic. II.

36) v. supra p. 392 ss.

37) v. pag. 398 ss.

deinde negligendum esse arbitramur, loca Rabbinica, quibus haec ipsa continentur, nimis nova esse, quin ad Messiam suum christiano adaequandum a Judaeis postmodum efficta existimari queant.

18.

Haud paulo probabilius referri huc videri queat *Joannis baptistae* de Messia, a se annunciato, testimonium, Joh. I. 15. 30.; ubi ille Messiam, quamvis post se venturum, ideo tamen se antecessisse, quod *prior se exstiterit*, celsiorem itaque, quae prius exstiterit, naturam ei inesse asserere a multis certe interpretibus tum antiquioribus tum recentioribus existimatur. At, ne in varias, quas tentatas videmus, hujus loci explicationes examinandas descendamus[28]), brevibus tamen fateri liceat, tum ipso versiculi 30.[29]) contextu suadente[30]) ita potius capiendam nobis videri ejus sententiam: „Hic est ille, abs quo, quamvis me sequatur, anteversum nihilominus me esse dixi, quod major (praestantior) me esset[31]),“ tum vero, nequaquam nos perspicere,

major celsiorque futurus esse praedicatur Messias: quae licet summam Messiae regnaturi majestatem summis laudibus exornent, *naturam* tamen humana majorem illi tribuere velle vix dici possunt. Rerum vero creatarum omnium principium aut conditor non *Messias ipse* praedicatur a Rabbinis (cum, ubi *spiritum* Messiae *aquis incubuisse* perhibent in l. Sohar ad Gen. XLIX. 11. I. 2., inde sane nequaquam argui possint ipsius creationis Messiae vindicatae), sed *Metatron* aut *Schechina* (cf. loca ex libro Sohar allegata apud b. Bertholdt, §. 23. not. 29. 31.), quibuscum *eundem* esse Messiam, an vel Cabbalistae docuerint, haud satis liquet, quod loca, a b. Bertholdto allata §. 23. not. 3., curatius inspecta, facile ostendent.

28) Cf. praeter alios S. R. Künoel Comm. ad Joh. I. 15.

29) Hic enim versiculus proxime spectandus est, cum v. 15. Evangelistam nonnisi praelibare appareat, quod deinde v. 30. suo ordine allaturus erat Baptistae eloquium.

30) Respicere Joannem baptistam ad ea, quae Synedrii legatis die praeterito professus esset v. 27., ex sermonis v. 30. prolati initio („οὗτος ἐστι περὶ οὗ ἐγὼ εἶπον“) eo magis apparet, cum Evangelista, in testimoniis illius gradatim recensendis omnino solertissimus, v. 27. illud ipsum praemittere voluisse putandus sit, quo posterius (v. 30.) referendum esset. Sed ita respexit eloquium prius, ut sententiam repeteret verbis aliquantum mutatis, et ingeniosiori quadam ἀντιθέσεως formula adhibita, quod profecto in vate, sententiarum floribus conspicuo, mirum videri non debet.

31) Verba: „ἔμπροσθεν μου γεγονεν, ὅτι πρωτος μου ἦν“ illis v. 27.: „οὗ ἐγω οὐκ εἰμι ἄξιος, ἵνα λυσω αὐτου τον ἱμαντα του ὑποδηματος“ (add. ἰσχυροτερος μου ἐστιν, οὗ οὐκ εἰμι ἱκανος τα ὑποδηματα βαστασαι, Matth. III. 11. Marc. I. 7. Luc. III. 16.) ita respondent, ut ingentem istam Messiae secuturi *praestantiam* formula, quae τῷ ὀπισω ἐρχεσθαι diserte opposita sit, et dignitatis tamen praestantiam, dilucidiori insuper illa: „ὅτι πρωτος (προτερος)

uidni, si vel maxime concedatur, verbis: „πρωτος μου ἦν,“ *rius exstitisse* Messiam significari, prius exstitisse dici otuisset respecto ipso dignitatis ordine[32]), denique, si el illud insuper largiamur, sublimiorem naturam in Messia ;nitam illo jam tempore a Joanne baptista fuisse, ab ejus ntentia ad ceterorum Judaeorum opiniones concludere nos iidem non audere[33]).

19.

Quae cum ita sint; cum neque in canonicis hebraei co- cis libris ulla quaedam oracula occurrant, quae, sive per spectata[34]), sive in auxilium vocatis N. T. allegationi- s[35]), divinam aut humana certe majorem Messiae natu- n vindicare dici possint; neque *apocrypha* et *pseudepi- apha* V. T. in iis certe sui partibus, quae a *Judaeis* Chri- ana aera superioribus aut illi finitimis profectae putari ssint, ejusmodi quidquam suppeditent[36]); neque *Para- rastae chaldaici*, quorum tamen plerosque Christi et apo- lorum aetate compluribus seculis inferiores esse constat, 's opinionis vestigium, diligentius inspecti, praebeant[37]);

ἦν“ (Matth. XX. 27. XXII. 38. 1 Tim. I. 15.) statim illustrata, innuere at (cf. הלך לפני, πορευεσθαι ἐμπροσθεν, 2 Sam. VI. 4. de ducibus, השים ל, θεσθαι ἐμπροσθεν, Gen. XLVIII. 20. de anteponendo usur- m), exprimant. Aoristus verbi εἶναι (πρωτος μου ἦν) eo minus difficul- affert, quod ad antecedens illud: *anteversum* se *esse* a secuturo, ac- modatus haberi debeat.

32) Hoc sensu v. c. septem res ante reliquum mundum creatae perhi- ur in Pirke Elieser, c. 3., lex scilicet, infernus, paradisus, thronus iae, templum, poenitentia et *Messiae nomen* (cf. Eisenmengeri entd. nth. T. I. p. 316 s.); hoc Messias ante תוהו exstitisse fertur in Nezach ;l. c. 35. (cf. Magnif. Schmidt, Biblioth. T. I. 38 s. et S. V. de Wette, ;iae in paradiso commorationem, apud recentiores Rabbinos obviam, a παρξει illa mere intelligibili probe distinguendam esse, recte monentem, Dogm. §. 200. not. g).

33) Longe enim *ultra* Judaeorum sibi coaevorum multitudinem in iis ;ertim, quae ad Messiam ejusque regnum spectarent, sapuisse prophe- celebratissimum, sive ab ipso jam Jesu Christo, quem cognatum habe- et cujus consuetudine subinde saltim, nisi frequentius (cf. S. V. Planck, h. des Christenthums in der Periode seiner ersten Einführung, T. I. 17 ss.) usus esse poterat, sive a divino, quo singulariter instructus erat, tu edoctum, sive quacunque alia via ad puriorem cognitionem emersum statuerimus, extra controversiam positum habemus. Cf. quae monui- in Arch. f. die Theol. T. I. p. 772 ss.

34) v. commentat. hujus Partic. I., p. 356 ss.

35) v. Partic. II.

36) v. supra p. 392 ss.

37) v. pag. 398 ss.

nec denique *Novi Testamenti* scripta perlegenti quidpiam obveniat, unde, ita de Messia futuro vel partem Judaeorum sensisse, colligere liceat[38]); desinamus, quaeso, Judaeis doctrinae christianae originem aut antegressis aut ipsi coaevis obtrudere sententiam, ab iis omnibus, quae illos de divino honore, uni Jehovae privo, ac de futuro praesertim Messia suo sensisse *revera novimus*, alienam[39]).

Jam vero, Cives optimi, ad id proximè conversi, quod haec scribendi ansam nobis praebuit, sublimi aeternumque salutari consilio, cui exsequendo *Christum nostrum* et missum et parem esse et totum se dare, insignis quoque ista, quam festis hisce diebus recolemus, historia egregie testatur, pie laetemur, et τῷ πνευματι ἁγιωσυνης, quo ille tum declaratus est Dei filius (Rom. I. 4.), tum suos se implere posse ac velle luculentissime declaravit, animos nostros emendandos, confirmandos, et ad divina quaeque evehendos prorsus committamus!

---

38) v. pag. 402 ss.

39) Ubicunque Judaeos de Messia in N. T. loquentes audimus, potentissimum *Davidis nepotem* (υἱον Δαυιδ), regnum proavi magnificentius quam unquam restituturum, ceteras gentes illi subjecturum, qui, ut efficere tanta ac talia queat, summis simul prophetae et θαυματουργου dotibus instructus foret, exspectatum deprehendimus. Quae de Messia, tanquam rege mere humano, opinio ita Judaeorum illius temporis mentibus infixa erat, ut ne ii quidem, qui ad puriorem celsioremque regni Messiani notionem inclinarent, et futuri Messiae negotium gravissimum in ipsis popularium animis moribusque emendandis, verique Dei vero cultu restaurando et ad exteros propagando, haud obscuris quorundam veteris Test. prophetarum effatis moniti, ponere didicissent, ab ea recedendum esse putarent (cf. v. c. Zachariae hymnum Luc. I. 68 — 79.). Verbo addere liceat, nec *Samaritanos*, qui *summi* potius *prophetae*, *quam regis* notioni in imagine Messiae sibi efformanda inhaesisse videntur (Jo. IV. 25. 29. cf. b. Bertholdt, Christol. Judd. §. 7. et prae aliis S. V. Gesenium in commentat. lectu dignissima ad indicendum festum Christi. nat. 1822. scripta de Samaritanorum theologia ex fontibus ineditis, p. 41 ss.), quantum e parcis, quae conferri possint, monumentis colligere liceat, sublimiorem humana dignitatem Messiae suo unquam vindicasse; quod ipsa cel. Gesenii, ex *Liturgia*, quae dicitur, *Damascena*, scriptorum Samaritanorum tantum non antiquissimo, referentis opera confirmatum l. c. nuperrime vidimus. Quod enim clariss. Friedrichius in discussionum de christologia Samaritanorum libro, Lips. 1821. p. 70. loco Gen. XV. 17., de Messia a Samaritanis exposito, *divinum* Messiae *ortum* descriptum ab illis putari auguratur, qua ratione hoc rite colligi possit, nemini facile liquebit.

P. P. Sub sigillo facult. nostrae evangelico-theolog.
d. XVII. Maj. MDCCCXXIII.

XX.

OBSERVATIONUM DE ΛΟΓΩΙ JOANNEO

PARTICULA PRIMA.

(*eaque unice restans.*)

Materiem, quam illustrandam sumsimus, quamquam et gravissimam esse et cum solenni hujus scriptionis occasione conjunctissimam, neminem infitias facile iturum existimemus, eandem tamen nimis vel hac nostra aetate tritam esse, quam ut repetitam expositionem aut flagitet aut admittat, vix fieri poterit, quin unus alterve censeat. Sed visi nobis sumus nihilo magis operae pretium esse perdituri, si, quid de ea censendum sit, in tanto, qui etiamnum superest, virorum doctorum de illa dissensu denuo inquiramus, modo afferre nonnulla contigerit, quae certiorem veri inveniendi viam aliquatenus munire queant.

Quod ut factum iri sperare liceat, primum omnium leges quasdam conemur constituere, quae, quomodo in definienda, quam Joannes apostolus tenuerit, notione του λογου progredi debeamus, praecipiant.

Harum in numero illam plerumque ceteris omnibus anteponi deprehendimus, qua vocem λογος, a Joanne de Jesu Christo usurpatam, nonnisi eo sensu accipere jubemur, quo sub aetatem apostoli de natura aliqua hominibus superiore *usurpari consuesset;* quippe quoniam vix exspectandum fuisset apostolo, fore, ut lectores, huic sensui semel assueti, alium nescio quem suboleant. Quam legem ne nos fundamenti loco ponamus, non unum est, quod nobis dissuadeat. Primum enim haud negligendum erit, facile fieri potuisse, ut idem illud vocabulum eadem aetate ab aliis vel ejusdem gentis scriptoribus alio sensu adhiberi soleret, quod ubi locum habeat, nova illico quaestio orietur, *quosnam* potissimum illius temporis auctores duces sequi oporteat? Deinde vix negari poterit, licuisse auctori, v. c. Joanni apo-

stolo, voce quadam, ut illo ipso λογου nomine, in *antiquiorem*, *modo cognitum lectoribus*, sensum uti, si vel *orationis contextae*, *vel universi*, quem eum sequi constiterit, τροπου παιδειας ratio huic sensui seu unice, seu maxime saltim patrocinaretur. Nos igitur ita potius versandum existimaverimus in constituenda vocis λογου ad Jesum Christum servatorem a Joanne adhibitae notione, ut

primum dispiciamus, quaenam notionum in lingua graeca vel hebraeo-graeca ista voce exprimi solitarum *contextui* et loci classici Evang. C. I. 1. ss. et ceterorum, quibus ea in similem modum auctor usus videtur (1 ep. I. 1. Apoc. XIX. 13.) maxime congruat?

deinde, quaenam in universam Joannis de rebus divinis *sentiendi docendique rationem* inprimis quadret?

tertio, quaenam *Jesu Christi aliorumque ejus apostolorum doctrinae* sit accommodatissima? Quibus satis ac sine partium studio expensis

tandem quaerere juvabit, quaenam formulae ὁ λογος in similem modum usurpatae notio sub ipsam Joannis apostoli aetatem apud Judaeos vel Palaestinenses vel Alexandrinos *tritissima* fuerit? et nonne forsitan ea ipsa, quae in hac quaestionis parte ingenuus quisque indagator detecturus sit, ita sint comparata, ut vel locorum Joannis de λογῳ agentium, vel ipsorum, quae illius nomen gerunt, scriptorum authentiam, vel apostolorum cum Jesu et inter semet ipsos consensum, vel disciplinae certe Joanneae constantiam in dubium vocandi causa idonea appareat?

Quem rei nostrae inquirendae modum atque ordinem justissimum rectissimumque esse, paucis, agite, confirmare aggrediamur. Quod scilicet

1) illud attinet, quod *primo* loco posuimus, *primum* ei locum revera competere, omnes facile artis hermeneuticae periti consentient. Variarum enim formulae cujuscunque ab auctore antiquo adhibitae significationum in linguae, qua scripserit, usu obviarum eam ceteris paribus praeferendam esse, quae loci explicandi contextui apprime congruat, et cum aliorum ejusdem auctoris locorum ratione facillime concilianda sit, ex summa illa lege, qua verborum suorum quis-

que interpres optimus habendus est, tam prono fluit alveo, ut huic ipsi regulae ab omnibus etiam scripturae sacrae interpretandae magistris primas deferri mirum esse nequeat [1]). Proximo vero hinc ordine aliorum quoque ejusdem auctoris scriptorum loca, quibus in similem modum eadem formula usus esse videtur, consulenda esse, ex eodem supremo artis hermeneuticae principio rite efficitur. Qua in re licet cavendum omnino sit, ne qua scripta, auctori cuidam adscribi solita perperam ei vindicemus, in nostra tamen, quae agitur, causa, *primam certe, quae dicitur, Joannis epistolam eundem cum Evangelio* Joanneo auctorem habere, tam apertum est, ut nec ab iis in dubium vocetur, qui genuinam Evangelii originem rejiciendam putavere [2]); sin vero de *Apocalypsi* litem moveas, fatendum quidem erit, adversus eos, qui alii auctori eam tribuant, certam quandam formulae nostrae explicationem argumentis ex illo libro petitis haud magis, quam quocunque alio N. T. scripto in subsidium vocato confirmari aut defendi posse; at qui eundem auctorem et Evangelii et epistolarum (primae saltim) et Apocalypseos aut ponunt revera, aut, an idem pluresve sint, in ambiguo certe relinquendum existimant, eos in ipso disquisitionis principio ad hanc quoque respicere, et eam του λογου in Evangelio descripti notionem aliquantisper praeferre ceteris decebit, quam etiam consimili apocalypseos loco aptissimam esse apparuerit. Quodsi

2) universam, qua *Joannes apostolus* usus esse videtur, de rebus divinis sentiendi docendique rationem in definienda του λογου notione spectari postulatur, et Evangelii et ipsius prologi originem Joanneam poni per se patet. Sed licet hanc denuo adversus secus sentientes defendere hujus

---

1) Cf. praeter alios b. Keil, Lehrbuch der Hermeneutik des N. T. §. 36.

2) Cf. S. V. Bretschneider, Probabilia de evang. et epistolarum Joannis ap. indole et origine, p. 164. ss. Ne S. Ven. Cludius quidem, qui in I. Uransichten des Christenthums, p. 50. ss. et Evangelii et 1. epistolae Joannis authentiam impugnat, idem tamen in hac ipsa non pauca, quae ab Evangelio Joanneo dissonent, deprehendisse sibi videtur, unitatem auctoris negare ausus est, cf. p. 56. Unum novimus, b. Lange, qui quum Evangelium Joannis agnosceret, primam epistolam ei abjudicarit (die Schriften des Johannes, Part. III.)

loci non sit[3]), datum tamen nobis iri confidimus, quum externa saltim, quae dicuntur, testimonia authentiae multo magis faveant, quam obsint, non eos tantum interpretes, quibus (ut nobis) de Joannea Evangelii origine persuasum sit, sed eos etiam, qui inter alterutram sententiam, internis potissimum argumentis moti, ancipites etiamnum haereant, consulto primum loci classici ceterorumque, quibus idem auctor de λογῳ similiter loquitur, contextu, reliquam, quam Joannes apostolus tenuisse existimandus sit, de rebus divinis censendi rationem prius profecto debere circumspicere, quam του λογου in Evangelio celebrati notionem, ab illa ratione alienam, arripientes vel adversus libri totius vel adversus prologi authentiam argumentari inde suscipiant: quod plus uni celeberrimorum, quibus aetas nostra gaudet, S. S. interpretum accidisse dolemus.

Nec vero

3) negligenda erit *ipsius Servatoris ceterorumque ejus apostolorum* doctrina, ubi, quid sibi velit formula του λογου, ad illum designandum a Joanne adhibita? erutum iri. Etsi enim non ii simus, qui fieri potuisse negemus, nedum ut ultra magistri divini, quam in sermonibus nostrae memoriae proditis expositam videmus, de rebus divinis doctrinam, in quibusdam capitibus procederent apostoli (quippe quos ad illam non propagandam tantum, sed et pro varia hominum usu amplius explicandam ipse nuncupaverat, ad dito Spiritus Sancti ad majorem usque veri cognitionem pro ducturi promisso), immo, ut, ubi *illustrandi* magis quam *docendi* causa loquebantur, in argumentis, a se adhibitis sententiisque quibusdam, ad ipsum religionis cardinem non pertinentibus, vel deflecterent subinde ab eo, quod in quaestione sibi proposita, fuisset probaturus, et ita, quo inde facillime enascebatur, unus ab altero aliquantum de-

3) Perquam inter recentissimos de hoc negotio meritum esse non sine voluptate agnoscimus indagatorem doctissimum eumque integerrimum, S. Olshausen in libro: die Echtheit der 4 canon. Evangelien, Regiom. 1835 pp. 216. ss., et S. V. Bretschneiderum in institutt. dogmatt. (Handb. Dogm. der ev. luth. Kirche) ed. altera, T. I. p. 217. s. contrariam, quam in Probabilibus professus erat, sententiam, tanquam disputandi potius quam docendi causa propositam, tantum non retractasse cernimus.

creparent; quicquid tamen de inspiratione, qua gavisi feruntur apostoli, proprie sic dicta, statueris, illud impetrare a nobis nunquam poterimus, ut eos in rebus, cum summa disciplinae sanctioris arctissime conjunctis, a mente magistri aut a semetipsis invicem dissentire potuisse statuamus. Quo efficitur, ut nec eam του λογου notionem, quae aut cum ipsius servatoris aut cum reliquorum ejus apostolorum disciplina conciliari nequeat, nostram facere, *hoc* potius *sensu* [4]) obsoletam illam, si placet, legem, qua Sacrae Scripturae effata *ad ἀναλογιαν fidei* exponi veteres theologi praeceperant, in nostra quoque causa constanter tenendam existimemus [5]).

---

4) Cf. b. Keil, l. c. §. 101. et b. Bauerum, Entwurf einer Hermeneutik es A. u. N. T. §. 120. coll. §§. 55. ss., quem tamen in eo errasse putamus, nod analogiam fidei, tanquam interpretationis biblicae normam, *parallelismo*, ut vocant, *reali* prorsus absolvi docet. Haud paullo enim *amplius* ı hoc negotio patere apparet analogiam fidei, in qua tantum abest, ut non isi de conferendis aliis S. S. locis, *idem aut simile argumentum tractantibus*, quaeratur, ut potius eorum auctorum biblicorum, cum quibus quod ad ımmam disciplinae sanctioris attinet, consensisse scriptorem interpretandum robabile est, et Jesu Christi ipsius universum de rebus divinis sentiendi docendique modum, a loci cujusdam interprete consulendum complectatur. Mis etiam adstipulari nos posse fatemur S. V. Bretschneidero, qui (Handb. er Dogm. T. I. ed. alt. p. 261. s.) analogiam fidei, quam in interpretandis . T. locis ducem sequi fas sit, ad sentiendi docendique rationem, *eidem ıctori solennem*, restringere videtur. Cujus opinionis causam quum afferri gimus hanc, quod, unum alteri non contradixisse, haud liceat pro certo ploratoque ponere; facile quidem largimur, quid *idem auctor* alibi docuet? *primo loco* quaerendum esse, at *deinceps* aliorum quoque, et Jesu ipsius ıctrinam eatenus in subsidium vocandam contendimus, *quatenus scriptorem interpretandum ab illa recessurum, illique contradicturum fuisse a ro abhorreat;* nec perspicimus, cur *principium petere* dicendi sint ii, qui *hunc modum* analogia fidei utuntur, sed plane persuasum habemus, ad *stam historice interpretandi rationem hunc* analogiae fidei usum non mis pertinere, quam, ut v. c. priscorum auditorum lectorumque tum opinios ac mores, tum res externae solerter inquisitae facem interpreti porrigant, go interdum incertoque splendore occoecantem potius et turbantem ocu-, quam illustrantem.

5) Immo nec *inspirationis*, qua apostoli gavisi praedicantur, meminisplane alienum erit ab interpretis *vere historici* officio. Ubi enim quaeri-, an una quaedam e pluribus formulae, de qua agitur, notionibus, *linae quidem consuetudini et orationis contextui accommodatis*, amplectenreapse sit, nec ne? quisquis interpretum eos viros, quibus doctrinae diae conservandae propagandaeque cura a Christo demandata est, ab erronus in ea tradenda committendis immunes esse ac peculiari, si et ubi opus rit, Numinis efficientia praeservari debuisse crediderit, magnopere profenotionem illam amplecti dubitabit, si ipsam cum summa religionis ab iis litae conciliari non posse atque ab auctore conciliari non potuisse vide; aliam praelaturus, quae et queat conciliari, et linguae consuetudini contuique pariter respondeat. Quamquam lubentissime concedimus, sedulo

Quae vero in rite eruenda formulae του λογου apud Joannem notione praecipue spectari debere ab interprete hucusque monstravimus, etsi tantum absit, ut eundem supersedere jubeant etiam illud quaerere, quaenam forte ejus dictionis in similem modum adhibitae notio sub ipsam praesertim apostoli aetatem apud Judaeos vel Palaestinenses vel exteros, *tritissima* fuerit? ut potius ad certitudinem quandam interpretationis obtinendam illud quoque ipsum perpendi necessum maneat; ultimo tamen loco id collocandum statuisse nos non poenitebit. Quamprimum enim significationes vocis in linguae usu universo obviae exploratae sunt, proximi jam fontes, ambigentibus nobis, *quae* harum significationum in loco interpretando praeferenda sit, consulendi haudquaquam erunt *alii quicunque,* etsi ejusdem gentis atque aetatis *scriptores*, sed *auctor ipse,* qualem in eodem loco, qualem in eodem opere, qualem in aliis scriptis suis sese stitit, sed is, quo doctore ipse usus est, sed alii scriptores in eodem quidem rerum genere similem sentiendi docendique modum eundemque magistrum secuti, aut quos novisse et ante oculos habuisse auctorem interpretandum, verisimillimum sit. Qui alii si non omnes ac singuli ipsa, quae explicanda est, voce ac formula in similem, quem auctor adhibuit, modum usi deprehendantur, at ita tamen, priusquam ad remotiores transeatur, consulendi erunt, ut, an cum iis, quae illi de eodem argumento, licet diversis adhibitis verbis, aut de cognatis rebus docuerunt, notio quaedam vocis ac formulae, de qua agitur, a linguae usu suppeditata, concinat? investigetur. Quod ubi factum fuerit,

---

cavendum esse, ne nimio loci cujuslibet ad ceteram apostolorum et Jesu Christi ipsius doctrinam, aut tandem ad ipsam, quae cum illa forte confunditur, doctrinam ecclesiae publicam adaptandi studio abrepti, in illo exponendo vel grammaticae interpretationis legibus vim necopinantes inferamus, vel liberae saltim varietatis, in adumbranda disciplina sanctiore apostolis concessae, obliviscamur. — Complura, quae huc pertinent, verissime observata legimus in S. V. Stäudlini commentat. „über die blos historische Auslegung der Bücher des N. T.," inserta libri period. „kritisches Journ. der neusten theol. Literatur," T. I. fasciculo 4. et II. 1. et 2.; quibus, quod ad caput rei attinet, nec ii assensum negare cogentur, qui illud quoque ipsum interpretationis biblicae munus, quod cel. auctor denuo commendavit, maxima ex parte interpretationis *historicae* nomine comprehendi posse ac debere nobiscum consenserint.

jam omnino inquirendum restabit, annon forte illam inter rationem, quam in adhibenda ista voce aut formula auctor, et illam, quam alii complures, iique tempore fere aequales, licet alius generis, scriptores, tenuerunt, *tanta* similitudo eaque auctoris illius *lectoribus* proximis plerisque vel necessario vel probabiliter certe *cognita*, intercedat, ut vix ac ne vix quidem dubitari possit, illum vel *eodem*, quo alii hi scriptores, *sensu* eam sumsisse, quin notionem ea expressam ab iis *mutuatum* esse, vel ad notionem iis solennem *peculiariter saltim* sive refellendi, sive se accommodandi consilio *respexisse?* Qua in quaestione si *prius* illud indiciis sat certis manifestum fiat, notio vero, quam auctor adoptasse hoc modo arguitur, reliquae, qua ipsum libri scriptorem, aut ceteros, quibuscum eum consensisse alioquin praesumi liceat, de eadem materie aut omnino de rebus ejusdem generis sentiendi docendique rationi repugnet, tum quidem aut de loci, si non de totius libri authentia, aut de auctoris in cogitando docendoque constantia, aut de ejus cum magistro, aut denique de ceterorum, qui in ejusdem generis rebus cum ipso et inter se invicem consensisse praesumti erant, vel mutua vel cum isto consensione dubitandi causa apparebit. Sin *posterius* probabile fiat (auctorem nempe ad notionem a suae suorumque disciplinae ratione alienam peculiariter saltim respexisse), ad *ampliorem* certe ac *distinctiorem* vocis aut formulae, de qua agitur, expositionem requiretur, ut et hic ejus usus in subsidium vocetur.

II.

Quibus positis tentare jam liceat, quid futurum sit, ut de notione του λογου Joannea examine *ita* instituto doceamur?

Ordiendum est a loco palmario Evangelii Cap. I. 1 -- 14.

Quum primo statim versiculo legimus: „ἐν ἀρχῃ ἦν ὁ λογος, και ὁ λογος ἦν προς τον θεον και θεος ἦν ὁ λογος," et significationes vocis: ὁ λογος, in linguae graecae et Hebraeograecae s. Hellenisticae penu obvias perlustramus, hae erunt, quae se nobis offerent.

Quodsi

A) Scriptores *mere Graecos* adierimus, λογου vocabulo denotari inveniemus [6])

1) *sermonem* s. *loquelam*, et quidem loquendi s. dicendi mox *facultate*, mox *ipsa actione* et *effectu* spectatis; ita ut, posterioribus potissimum spectatis, significetur

a) *verbum*, *dictum*;

b) *narratio* (vel oralis, vel scripta, inde *liber historicus*, commentarius); *mentio*;

c) *fama*, *rumor*, *fabula*;

d) *oratio*;

e) *colloquium*;

f) *ratio*, *quae redditur*, *causa et ratio rei cujusdam allata*, *praetextus* et *conditio*, sub quibus aliquid fit (quibus significatibus postremis omnibus notio *dicendi* quam maxime *universa* subesse videtur); denique

g) ipsa *materies v. res*, de qua sermo est, *negotium* tractandum; denotari videbimus

2) *cogitationem*, quasi verbum internum; unde

a) *facultate* cogitandi spectata, *rationem* et *intellectum*;

b) *actione* potius, et quidem

α) *per se* spectata,

א) *perpensionem*, *deliberationem*;

ב) *attentionem animi* quamcunque, *rationem* rei vel personae *habitam*;

ג) *rationem subductam*;

ד) *exspectationem*, *reputationem*, *imputationem*;

β) quoad *effectum*,

א) *quod cogitatur*, *conceptum*, *ratiocinium*;

---

6) Qua in re simpliciter provocandum h. l. putamus ad egregia, quae aetas nostra vidit, Lexica graeca, quum, singulos quosque significatus locis auctorum allatis probare, longius et a nostra scriptione alienum foret.

ב) *rationem inter plura intercedentem, proportionem;*

quo accedit, ut

3) conjuncta sermonis et cogitationis notione, οἱ λογοι interdum significent *bonas literas* s. *scientias.*

Si deinde progrediamur

B) ad *Hellenistas*, quos vocant, s. Hebraeos, Graeca lingua usos, v. c. V. T. interpretes Graecos et scriptores Apocryphos, *Philonem* ac *Flavium Josephum*, ipsos denique N. T. auctores;

1) easdem illas, quas apud scriptores mere Graecos usu venisse cernimus, vocabuli nostri significationes, maxima ex parte ab his quoque usurpatas deprehendemus [7]); ubi tamen monendum est, philosophicam rationis, tanquam facultatis intelligendi, notionem nec apud Graecos V. T. interpretes, nec in apocryphis V. T. [nisi librum illum *de imperio rationis*, qui quum alioquin *Josepho* Judaeo adscribi soleret, quibusdam textus V. T. graeci edd. *quarti Maccabaeorum nomine* insertus est, λογου vocabulo subinde, v. c. C. I. 2—III. 1. ita utentem, eo referre placuerit] [8]), nec in ipso N. T. [9]) hac voce designari, idemque etiam valere de cognatis *conceptus* et *ratiocinii* significatibus. Praeterea vero

7) cf. Lexica S. V. Schleusneri in interpr. gr. et apocryphos V. T. et in N. T., S. R. Bretschneideri et Wahlii in N. T.

8) Sirac. IX. 17. λογος denotat *edicta* principis, sapientia instructi; XXXVII. 16., quem locum maxima quidem cum specie laudari videamus a Schleusnero in Spicil. II. ad *Bielii* Thes., λογον *meditationem*, *deliberationem* significare, ipse Vir S. V. in Novo Thes. s. v. λογος docet (quamvis coll. v. 15. nec, si *preces* quis intelligere malit, contradicturum se fore fateatur). Add. S. V. Gaab in l. Handb. z. phil. Verstehen der Apokryph. T. I. ad h. l. apposite monentem, subesse videri hebr. שורה (quod a *Theodotione* quoque Amos. IV. 13. vocabulo λογος redditur).

9) Quam forsan huc referre libuerit, formula: κατα λογον, Act. XVIII. 14., Gallioni Achajae Proconsuli adscripta, ad *opinionis* potius s. *exspectationis* significatum pertinere et exprimere videtur id, *quod exspectandi causa adsit* (ut similis: κατα το εἰκος). Magis colludit adjectivi „λογικος" usus, qualem Rom. XII. 1. atque, ut videtur, 1 Petr. II. 2. (coll. λιθος ζων, λιθοι ζωντες v. 4., οἰκος πνευματικος, θυσιαι πνευματικαι v. 5.) deprehendimus.

2) in eo ceterorum Graecorum consuetudinem transgrediuntur Hellenistae, ut, Hebraeae linguae simplicitatem secuti, hac ipsa λογου voce

a) ubi ad *Deum* eam adhibent, omnem saepe de rebus divinis *doctrinam*, *divinitus patefactam*, intelligant,

b) *diversissimas* quasque *dictorum species*, quas Graeci peculiaribus plerumque nominibus distinguere solent, velut *praeceptum*, *jussum*, *promissum*, *comminationem*, (Dei potissimum) exprimere ament;

c) *imperiosum* praesertim istud *verbum* (jussum), quo uno Deus mundum universum et esse fecerit, et eundem, ut res singulas omnes, conservet, regat, gubernet, mutet, quomodocunque velit, praedicent, atque ita indivulsas *absolutae potentiae* et *sapientiae* notiones uno simplicissimo vocabulo complectantur [10]); prope in hac re accedentes

---

10) Id ita se habere, nemini dubium esse poterit, qui reputaverit, 1) quae *primitus* (cf. Gen. I. 3 ss. Ps. XXXIII. 6.) λογῳ divino (לדבר יהוה) vindicari consuesset, et nunquam desineret ei adscribi, rerum omnium creationem, sequiori aetate plerumque *sapientiae* divinae tribui (Prov. VIII. 22 ss. Sir. XXIV. 3 ss. Sap. IX. 1 s. 4. 9. etc. 2) λογον et σοφιαν Sap. IX. 1. 2. tanquam parallelas formulas in mundi creatione describenda sibi respondere; 3) eadem alibi quoque et praedicata et opera adscribi τῳ λογῳ et τῃ σοφιᾳ, Sap. XVI. 12 „ὁ σος κυριε λογος ὁ παντα ἰωμενος (ἐθεραπευσεν αὐτους),“ coll. C. IX. 18. „και τῃ σοφιᾳ ἐσωθησαν,“ et C. X. toto; C. XVIII. 13. „ὁ παντοδυναμος σου λογος,“ coll. VII. 22. 23. ἐστι γαρ ἐν αὐτῃ (σοφιᾳ) πνευμα — παντοδυναμον;“ 27. „μια δεουσα παντα δυναται;“ XVIII. 15. „ὁ παντοδυν. σου λογος ἀπ' οὐρανων ἐκ θρονων βασιλειων εἰς μεσον της ὀλεθριας ἡλατο γης.“ coll. IX. 4. „την των σων θρονων παρεδρον σοφιαν;“ 4) την σοφιαν ἀπο στοματος ὑψιστου se dicere ἐξελθειν (tanquam λογον), Sir. XXIV. 3. 5) *Philonem* praesertim Judaeum τον λογον, quem mundi creatorem praedicat, non raro cum τῃ σοφιᾳ του θεου commutare solere, ut v. c. allegor. l. I. ed. opp. Francof. 1691. p. 52. et in l. quod deterius insidietur potiori, p. 176.; 6) denique, πολυθρυλλητον illud מימרא די יהוה in circumloquendo Nomine supremo apud Chaldaicos interpretes saepissime rediens, cui, ubi Graece reddendum esset, nullum nisi λογου vocabulum substitui potuisse pronum sit, ita ab iis usurpari, ut *internam quandam* eamque amplissime patentem *Dei virtutem*, in decernendo agendoque conspicuam, quid igitur aliud, quam ipsam illam omnipotentiam sapientissimam, vel σοφιαν παντοδυναμον, cum ipso Deo revera unam, in mundo creando, conservando, regundo manifestam, denotare debuisse videatur? Etsi nimirum, ubicunque apud Thargumistas formula מימרא די יהוה Dei no-

ad linguae pure Graecae usum, quo λογου vocabulum et *loquendi* varia genera, et *rationem* vel *intellectum* variosque ejus actus significat. Denique [11])

d) a *Philone* Judaeo [12]) του λογου nomen com-

---

mini, in textu hebraico occurrenti, substituatur, ipsum Deum modo periphrastico describi alibi (in programm. pentecost. anni superioris, symbolarum ad solvendam quaestionem: an Judaei etc. naturam divinam vel humana saltim majorem in Messia apparituram praestolati sint? part. III. sistente, p. 399 ss.) professi simus, *notionem* tamen quamcunque interpretibus istis, hac περιφρασει utentibus, obversatam fuisse, nemo erit, qui infitiari sustineat; at eam notionem aliam vix esse potuisse, quam, quae intelligendi, volendi, agendi vim summam conjungeret, perpensis, quae modo dicta sunt, facile concedetur.

11) Quas enim τῳ λογῳ apud Joannem obvio viri et antiquioris et recentioris aetatis celeberrimi tribuere posse sibi visi sunt significationes vel *doctoris* (quasi του λεγοντος), ut post *Origenem* b. Doederlein, b. Morus, b. Storrius, et (prius quondam, in Memorabb. fascic. I.) S. V. Paulus, vel (legati s. servatoris divinitus) *promissi* (quasi του λεγομενου), ut post Laur. Vallam, Bezam, Ernestium, recentissime, quantum novimus, b. Tittmannus (v. c. in Meletematis sacris in Evang. Joann. Lips. 1816. p. 27 ss.), eae quidem, etsi ex linguae Hebraeae et Hebraeo-Graecae *analogia* speciem quandam sibi conciliare queant, ipso tamen *linguae usu* nequaquam confirmantur.

12. Quidni persuadere nobis queamus, hanc ipsam, de qua nunc sermo erit, aut similem saltim του λογου notionem jam in scriptis V. T. *apocryphis*, in sapientiae praesertim libro, reperiri, in commentat. modo cit. p. 393 ss. ostendimus, nec, quae nuper a Plur. Rev. Rauchio (in commentat. doctissima ac lectu dignissima, „über den Logos des Evangelisten Johannes," inserta libri periodici a *Zimmermanno* et *Heydenreichio*, VV. cell. editi: Monatschrift für Predigerwissenschaften, Tomi VII. fasc. III. et IV. p. 210 ss. 267 ss. et all.) in contrariam sententiam monita sunt, a nostra nos revocare potuerunt. Quum enim loco illo Cap. XVIII. 15. manifesto doceri dicimur, verbum Dei pro hypostasi habitum esse, quin pro natura, quae „cognosci utique ac describi" queat; quid προσωποποιΐαν hic agnoscere vetet, eo magis ignoramus, quum mere poëticum sit totum hujus loci ingenium, et vivida, quae pingitur, του λογου imago nil nisi imago sit, sive ὑποστασιν ipsum esse putes, sive vim Dei omnipotentem. Quum autem argumento isti, quo et nos quodammodo nisi sumus, quod nempe, quae Sapientiae tanquam personae tributa videantur, statim in eodem contextu ipsi Deo tribuantur, Vir clarissimus opponit: eundem loquendi morem solennem esse Philoni quoque et ipsis apostolis, ut, quae a λογῳ fieri aut facta esse modo dixissent, ea mox Deum ipsum (quippe qui illo administro et interprete utatur) inducant facientem; animadverti velimus, vim argumenti non in alternante illo loquendi genere per se spectato, sed in eo potius poni, quod auctor et eandem sapientiam, quam vixdum sub personae forma descripsisset, jam eodem quasi oris halitu tanquam *rem*, a *Deo intensissime expetendam* sistat, et tantum absit, ut sapientiam *magistram sibi mitti* precetur a Deo (quamvis nec hoc προσωποποιΐας fines necessario excessurum esset), ut contra, divinitus eam sibi *donari*, simpliciter petat. Quum denique ablegamur ad simplicem illum, quo antiqua aetas usa sit, philosophandi modum, non puras scilicet, sed quae imaginibus in sensus cadentibus et corporeis quasi formis involutae sint, ideas foventem (p. 167.), unde sequi innuitur, nec sapientiae, qualis in Proverbiis, in Siracidae, in Sapientiae libris delineatur, ὑποστασιν denegari posse; hoc quidem argumento aut *nimium* probari existimaverimus, aut *justo minus*, quam aut,

pluribus locis ita videtur [13]) adhiberi, ut *mentem* significet *intelligentem*, ex ipsa Dei natura prognatam, ceteris mentibus creatis omnibus superiorem, qua in mundo condendo usus sit, in conservando regundoque haud desinat uti Deus, et quae tum hanc ob causam, tum quod ipsa sit ratio divina ὑποστατικη, seu intellectus ὑποστατικος, θεου δευτερου nomine et honore gaudeat. Neque desunt loca ejusdem auctoris, in quibus omnino *angeli* των λογων nomine appellentur [14]).

Jam si quaeramus, horum significatuum omnium quinam aptus prae aliis futurus sit loci nostri contextui? mox sine dubio inveniemus, optionem nobis maxime dari penultimam inter atque ultimam (utramque quidem generali *verbi* significatione nitentem), cum in eo sit auctor, ut λογον illum et rerum omnium creatorem (v. 3.) sistat (quo *mera* rationis notio metaphysica minus certe, quam duae illae, ceterae vero plane non collineabunt), et in summo, quem celebraturus esset, Servatore humana natura indutum apparuisse (v. 14.) doceat, cui consilio iterum absolutae sapientiae cum absoluta efficientia junctae (pro natura per se exsistente sive habitae, sive non habitae) notio proxime responde-

---

quascunque inter Dei virtutes et res aut personas per se exsistentes nullum omnino discrimen antiquitus cogitatum fuisse, colligi ex eo ipso liceat, aut nihil inde sequatur, nisi, minus exacte ac sollicite, quam recentiorum scholarum disciplina jubeat, distinctum olim fuisse signa inter et res signatas, notiones inter ac personas ipsis indutas, quod ipsum et nos facillime largimur, quamvis vel incrementum illud, quod την του λογου s. της σοφιας προσωποποιΐαν succedente tempore nactam esse Vir doctissimus ipse fatetur, nec infitiari nos sinat, *sequioribus* demum *temporibus* ad ὑποστασιν τῳ λογῳ vindicandam propius fuisse accessum.

13) Confidentius scilicet nondum loquimur, sub finem commentationis propius de hac re visuri.

14) Eodem etiam locum Sap. XVIII. 15., Grotio, J. M. Fabero, J. A. Eichhornio (Einl. in die Apokr. Schriften des A. T. p. 156.), S. V. Bretschneidero (Dogm. und Moral der Apokr. p. 181. s.) aliisque praeeuntibus, traxit S. V. Schleusner (in Novo Thes. ad v. n.). Sed (ne multa) conferri velimus, quae nota proxime anteced. observavimus; nihil addituri, nisi quod (cf. ipsum Bretschneiderum, l. c. p. 171.) abs *toto* Sapientiae libro exulent angeli, iis omnibus, quae his adscribi solita essent, uni sapientiae s. λογῳ transcriptis.

ɔit. Neque addere dubitamus, purum ejusmodi λογου, tanquam *ɔirtutis* divinae, conceptum cum orationis Joanneae serie *haud ninus* certe convenire, quam ipsam mentis cujusdam intelligentis, in qua ista virtus per se subsistat aut substiterit, deam. Ut enim a 1. statim versiculo ordiamur, ubi legimus: „εν αρχη ην ο λογος, και ο λογος ην προς τον θεον, και θεος ην ο λογος," quidni credamus, omnipotentem illam sapienıam, ut olim a Salomone, a Siracide, ab Pseudo-Salomoe, ita etiam a Joanne in ipsis mundi principiis exstitisse cf. Prov. VIII. 22. s. 27. 30. Sir. I. 4. 8. XXIV. 3—6. 9. Sap. X. 4. 9. al.), et cum ipso Deo intime conjunctam (cf. Prov. 'III. 30. Sir. I. 1.), quin, quum divinam naturam omnem ea omplectatur quasi atque absolvat, Deum ipsum fuisse [15]) :f. Sap. VII. 16 — 21. coll. 22., VII. 27. IX. 11.) perhieri? An citius forte genium quendam licet celsissimum, ıundo nondum condito arctissima cum Deo necessitudine sum, Dei ipsius illico nomine laudasse putandus erit? Quodvero, quae causa sit, instes, quod sententiam, quae ita ppareat, quam maxime tritam atque communem in fronte vangelii sui ponat apostolus? facile profecto responsu est, raemitti illam, ut eo vividius graviusque enuncietur, *prorıs divinam* illam esse sapientiam potentiamque, quae in *esu* manifestata sensibusque admota fuerit; haud secus ac ɜteres illi Joannis antecessores ideo potissimum in sapienıae, creationis administrae, laudem excurrerant, ut *legis sapientiae patriae* praestantiam et auctoritatem eo magis ɔmmendarent. At quid sibi velit, quod v. 2. repetatur: ɔύτος ην εν αρχη προς τον θεον?" mirari quosdam audimus. ihil vero, si quicquam videmus, aliud, nisi, ut *transitus at* [16]) ad id, quod proxime sequitur v. 3.: nihil sc. esse,

---

15) Parum profecto eorum, quae hic aguntur, vel nihil refert, in sententı: „και θεος ην ο λογος" an vox „θεος" *praedicati* (quod omnis omnino rmonis ordo postulaverit) partes teneat, an *subjecti* (quod nuper censor erutissimus in diario literario: „theol. Annalen" a. 1822. p. 904. ss. denuo dendere sategit).

16) Abrupto subinde favere dicendi generi auctorem (quo apparet, hoc rsu, quamvis nulla addita sit conjunctionis particula, transitum fieri poisse), praeter alios cel. Schulzius in l. der schriftstellerische Charakter ıd Werth des Johannes, p. 110. observavit. Cf. ex ipso prologo nostro . 6—11.

quin per illum λογον factum conditumque sit; unde deinceps, *creatricem* sapientiam et efficientiam *in Jesu homine apparuisse*, liqueat. Quod ipsum statim ulterius instruitur addendo (v. 4.): *vitae* praesertim omnis principium in illo λογῳ situm ab aeterno fuisse, et, quum vera *hominum* vita sine *lumine* (s. salutari cognitione) esse nequeat, illum vitae fontem eundem *lumen quoque hominum* nunquam non esse potuisse (quod longe plenius, quam unquam, factum esse, quum tandem homo evaderet ὁ λογος).

In quibus omnibus ut nihil inesse largiendum erit, quod de natura quadem per se existente (de concreto s. subjecto individuo) loqui Evangelistam suadeat; ita nec continuatam orationem quicquam ejus generis continere, parvo negotio ostendi posse videtur. Si enim provoces ad versiculos 7. 8. 9.[17]), quippe qui „το φως" nihil aliud esse monstrent, quam *personam*, *quae lucis fons sit* (lucem afferat), (v. 7—9.), et, quos *creasset* homines, *ab iis repudiata* cernatur (v. 10.); si, inquimus, ad hos versiculos provoces et inde cogas, versiculis jam 5. et 4. *eodem plane modo* sumendam fuisse eandem vocem, *ergo* nec totum illud, quod praedicetur (subjectum) aliud esse posse, quam personam (concretum); valde veremur, an recte concluseris, neque *hoc* esse existimamus ex contextu interpretari, ut in una orationis serie non nisi eodem plane modo eandem vocem adhibuisse auctor ponatur[18]). Quod minime omnium in *nostro* auctore interpretando locum habere, omnes ii largientur, qui, qua ille usus sit, et cogitandi et cogitata adumbrandi formam a sicca dicendi distinguendique subtilitate alienam, atque ad poëticum potius loquendi genus pronam, *praesertim* etiam uni eidemque voci eodem momento varie usurpandae amicam[19]) reputaverit. Accedit, quod, post-

17) cf. e recentissimis S. V. Schott in epitome theol. dogm. ed. alt. p. 131.

18) cf. v. 9. 10. voc. κοσμος, et, quae ad eam animadversuri sumus not. 23. ac Magnif. Süskind „über die neuern Ansichten der Stelle Jo. I. 1—14." Magaz. Fasc. X. p. 79. vocem „ζωη" eodem versu 4. duplici sensu sumentem, eamque interpretationem ibidem not. 113. compluribus exemplis nominatim allatis, aliisque apud b. Storrium conferendis munientem. Add. p. 81. s.

19) cf. praeter alios cel. Schulzii l. c. p. 117. ss. 128. ss. et S. V. Wegscheideri Einl. in's Evangelium Joh. p. 278. ss.

quam το φως jam v. 4. et magis etiam v. 5., etsi sensu adhuc abstracto (ut brevitatis caussa hoc termino utamur) sumtum, attamen tanquam *in hominibus*, aliorum doctoribus, immo (v. 5.) in ipso Jesu agens conceptum esset, facillime intelligi potuerit auctor, quum mox hanc vocem v. 7. 8. ad ipsum, in quo illud sese plenissime exeruerit, designandum adhiberet [20]); et quod, si vel illud detur, jam v. 4. το φως esse subjectum individuum, idem quoque valere de τη ζωη, et ipso λογῳ, non necessario concedendum sit [21]). Ceterum haec ipsa, quae inde a v. 5. usque ad v. 13. leguntur, parentheseos, sive potius *digressionis* loco habenda [22]), et, quod ad nexum sermonis attinet, in hunc fere modum explicanda erunt. Auctor scilicet, postquam aeternum illum Deoque ad unitatem usque conjunctissimum λογον tanquam universi mundi, praesertim vero omnis vitae ideoque etiam (ubi de *hominum* vita ageretur) veri cujusque luminis principium praedicasset, jam ad cardinem ejus rei, cujus causa haec praemisisset, perrecturus, eundem itaque hunc λογον in Jesu homine tandem hominem factum esse gloriaturus, ipsa illa luminis aeterni *medias tenebras* pervadentis cogitatione aliquantisper abripitur, ut doleat atque queratur, quam malevole improspereque hoc lumen a tenebris, quibus illuxerit, omni aetate plerumque exceptum sit (v. 5.), hinc vero novissimum praesertim idemque miserrimum mali hujus exemplum deploret, illud nimirum, quod *lumen verissimum* ad *omnes homines collustrandos in terras missum* (v. 9.), *quamvis Joannis* (baptistae), *qui non, quasi ipse lux esset, sed hac sola de causa, ut de lumine* illo terras jam ingresso *testaretur,*

20) Quamvis et in ipsis etiam hisce versiculis, ne dicamus, in nono abstractam notionem adhuc translucere arbitremur. Quum scilicet v. 7. ut hoc exemplo utamur, του φωτος nomine innuitur Jesus, is proxime intelligitur, non qui *ullo modo* illustraverit ceteros, sed *in quo aeternum illud* φως *sedem* suam *fixerit*, plenissime, solis meridiani instar, collustraturum omnia, aut qui cum illo lumine unus fuerit idemque (v. 9.). Nec quicquam nos morabitur masculinum: „αὑτον" v. 10. 11. 12.; quo, quomodocunque sit, *eum, in quo* summa lucis esset, animo auctoris continuo obversantem, innui lector quisque non potuit non videre.

21) Cf. Magnif. Süskind l. c. p. 79. ss.

22) Quomodocunque nexum orationis omnem constitueris, *anticipare* auctorem vv. 9. ss., quae v. 14. de λογῳ homine facto dicturus erat, consentiendum erit. Sed *quomodo*, ut concinnitas quaedam sermonis servetur, anticipasse putandus sit? quaeritur.

divinitus legatus esset, peculiari testimonio instructum, fideique omnium ab eo commendatum (v. 6. 7. 8.), *a mundo*[23]), *in quo coram versaretur, immo qui per ipsum factus esset*, quid dicas? *ab ipsis popularibus*[24]), *quos inviserit, agnitum non esset* (v. 10. 11.)! Quibus tamen querelis haud impetrare a se potest, quin statim annectat magnae pauciorum illorum beatitatis praeconium, qui, melius sibi consulentes, fidem suam magistro unice divino addixerint (v. 12. 13.). At redux tandem ab hoc excursu, in quem discipulus amantissima non minus, quam devotissima magistri ac Servatoris divini reverentia perfusus ultro quasi et inopinate inciderat, *resumit* v. 14. *orationis filum*, eandem illam, ajens, potentissimam sapientiam, quae una reapse cum Deo, rerum omnium creatrix, vitae omnis et lucis praesertim salutaris, quaecunque unquam hominibus exorta esset, sola scaturigo exstiterit, *hominis imbecilli natura indutam apparuisse*[25]), *sedem inter populares fixis-*

---

23) Retinendum esse arbitramur ipsum *mundi* vocabulum, etsi in fine versic. 10. *hominum vulgus* του κοσμου nomine intelligendum sit. Versiculo enim 9. sine dubio ὁ κοσμος idem est cum *orbe terrarum*, neque ipso v. 10. prima quidem et secunda vice rediens aliam significationem agnoscere videtur (coll. v. 3.), quippe quae tertia demum vice (και ὁ κοσμος αὑτον οὑκ ἐγνω) subrepit.

24) τα ἰδια sine dubio *patriam* h. l. denotant, quanquam et ipse κοσμος tanquam per verissimum illud lumen creatus (v. antec.) *peculium ejus* appellari potuisset, atque idem lumen (quod S. R. Künoel ad l. n. monet) „το φως των ἀνθρωπων jam v. 9." nominatum, et v. 9. „παντα ἀνθρωπον φωτιζειν" dictum esset. Crescit enim oratio una cum indignabundo dolore. Adde quae a Siracide XXIV. 7. 8. de domicilio suo praedicans inducitur sapientia: — „ἀναπαυσιν ἐζητησα, και ἐν κληρονομια τινος αὑλισθησομαι. Τοτε ἐνετειλατο μοι ὁ κτιστης ἁπαντων, και ὁ κτισας με κατεπαυσε την σκηνην μου και ειπεν· ἐν Ιακωβ κατασκηνωσον, και ἐν Ισραηλ καταλληρονομηθητι." Quo satis liquet, non Jesu modo, in quo το φως apparuerit, sed *ipsius* του φωτος, s. του λογου *patriam* Palaestinam, *populares* Judaeos dici posse.

25) Longe *arctiore vinculo* haec formula: „και ὁ λογος σαρξ ἐγενετο" τον λογον cum homine jungere, quam illo, quo vel maximi prophetarum cum divina sapientia juncti existimari potuissent, cum ipsa formulae natura, tum etiam superioris orationis progressus arguit. Postquam enim primum fons ille vitae *generatim* dictus esset *lumen* hominum (v. 4.), idque lumen *mediis in tenebris lucere* (v. 5.) (quod dudum, per prophetas potissimum, evenerat), *postea demum in ipsum mundum* (terrarum orbem) *intrasse* idem perhibetur, v. 9. Quo eodem pertinet, quod summum prophetarum, Joannem, non το φως ipsum fuisse, sed de lumine isto, *in terras ingresso*, testatum tantum esse jam occupatum esset. — Ceterum simillimae de eodem argumento formulae: „θεος (vel ὁς) ἐφανερωθη ἐν σαρκι," 1 Tim. III. 16. „μετεσχε σαρκος και αἱματος." Ebr. II. 14. „ἐν αὑτῳ κα-

se[26]), *majestatemque suam divinam spectandam iis stitisse, majestatem profecto primogenito Dei filio*[27]) *dignam eandemque clementia et benevolentia*[28]) *abundantem.*

In quam rationem si omnis loci nostri capiamus nexum tenoremque, non tantum expedite illum fluere, et a jejunae loquacitatis opprobrio (quod b. *Storrius*[29]) aliique ei metuerant), etsi ne ullos quidem adversarios tangi aut refelli voluisse ab auctore sumas, valde tutam esse, sed nec tantillum, quod notioni του λογου a nobis positae obstet, continere, vix quisquam erit, qui diffiteatur. Neminem praesertim futurum putamus, qui aut pronomen illud masculinum, v. 10. ss. adhibitum, obtendat, quum, sive sensu abstracto sumatur το φως aut ὁ λογος, sive minus, ipsum, in quo το φως aut ὁ λογος apparuerit, *proxime* designari ab auctore pateat; neminem, qui ad v. 10. provocet, et, in intelligentem quidem aliquam naturam, hominibus majorem, nec vero in Dei quandam virtutem praedicatum illud: „σαρξ ἐγενετο" quadrare urgeat, quum, quodcunque statuas, de του λογου in hominem *mutatione* cogitari nequeat, *omnimoda vero ac perfectissima* του λογου *in homine aliquo manifestatio et apparitio* (qua factum sit, *ut hic cum ipso* τῳ λογῳ *idem habendus esset*) *utrinque* poni et possit et debeat[30]). Immo, quum orationis Joanneae, ex ipsa par-

τοιχει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως," Col. II. 9. etc. satis cognitae sunt. Cf. Magnif. Süskind l, c. p. 34. ss., docentem praeterea, nihil plane lucraturos esse, qui vel Cabbalistarum vel Gnosticorum vel Philonis formulis exiliorem istam loci nostri expositionem tueri tentaverint; quod tamen ipsum uberius disquirere huc non pertinet.

26) Cf. locum not. 24. laudatum et Prov. VIII. 31. Sap. X. 16.

27) Formulam: „μονογενους παρα Πατρος" tum hoc versu, tum sequente ad ipsum Jesum, tanquam *Christum*, ideoque dilectissimum Dei filium, referendam esse, proximum vero habemus, coll. C. III. 16. 18., cui interpretationi nec locus 1 Jo. IV. 9. obstat; quamvis refragandi causam minime habeamus, si quis τον λογον ipsum, tanquam primum eorum omnium, quae a Deo prognata sint (Prov. VIII. 22. s. Sir. I. 4. XXIV. 9), intelligere malit.

28) חסד ואמת Ex. XXXIV. 6. coll. XXXIII. 18. ss. Add. antithesin infra, v. 17., obviam.

29) v. Zweck des Evang. und der Briefe Joh. p. 431.

30) Unde nec opus esse crediderimus ad abstractam του λογου notionem tenendam, ut (quod per linguae quidem leges licere ostendit Reverendiss. Süskind, l. c. p. 80. ss.) v. 14. vocem σαρξ pro subjecto, alteram: „ὁ λογος" pro praedicato habeamus, et verbum ἐγενετο latino: „fuit" reddamus.

tium suarum cohaerentia in hunc fere modum intellectae, consilium in eo vel maxime positum esse agnoscatur, ut, longe perfectissime ac saluberrime in Jesu Christo hominibus manifestatum esse ostendatur *Deum*, eam, quam hactenus sumsimus, notionem του λογου *magis* potius quam alteram, cum loci nostri contextu convenire, non procul absumus, ut censeamus. Accedit denique, quod ad consulendum orationis contextum illud etiam suo quodam jure referatur, ut videamus, nonne *in eo ipso* vestigia insint, quae ad prioris cujusdam auctoris scripta respexisse auctorem ejusque docendi et adumbrandi modum secutum esse suadeant, dubitari vero haud facile queat, universam, quae in loco nostro conspiciatur, *sententiarum seriem* illi, quam apud Proverbiorum auctorem, Siracidem et libri Sapientiae scriptorem, de sapientia canentes, deprehendimus, *tam* similem esse, ut imitatio, magis minusve conscia, vix possit latere; unde et ipsa του λογου notio a nobis sumta novo momento augetur.

Quicquid sit, Cives optimi, (cetera enim alii scribendi occasioni reservanda cernimus) de incomparabili, quod Jesu Christi natalibus debemus, generis nostri cum ipso supremo Numine consortio festis praesertim his diebus pia mente nobis gratulemur, et divina illa clementia, qua abundantem se praestitit unigenitus Dei filius (Jo. I, 14), filiorum dignitatem tuentes (v. 12.), magis magisque fruamur.

P. P. Sub sigillo facultatis evangelico-theologicae
d. 24. Dec. MDCCCXXIV.

I.

INDEX RERUM ET VERBORUM GRAVIORUM.

A.

Abrahamus num a Paulo Gal. 3. etc. aeternae salutis notionem et spem concepisse statuatur p. 33. s.
Academici de animorum immortalitate quid statuerint — 1. *veteres*, p. 119. — 2. *posteriores*, p. 130. 135. s. — posterioris academicae philosophiae inter Romanos auctoritas, p. 135. s.
Acrostichides, in Veteris Testamenti libris obviae, unde derivandae sint, p. 11.
Ἅδης (*orcus*, שְׁאוֹל) (sedes defunct.) apud Aegyptios Amenthes vocatus, qua notione, p. 64. 67. 92, 9.; ejus in V. Testamento creberrima mentio quid indigitet, p. 148.; num in illo animos infantum praeexstitisse putaverint Hebraei, p. 153. ss.; qui sit in V. Testamento, 155, 62., 157., 170, 14. cf. 172, 17.; ex sententia Pharisaeorum et Novi Test., 189, 42. 227, 15.; libri Sapientiae Salomonis, ad pios non pertinens, 203, 23.; apud Philonem, 206, 30., 209, 34.
Adscensus J. C. in coelos cum resurrectione ejus quid faciat ad immortalitatis ect. fidem, p. 237. ss.; ejus certitudo, p. 239. ss.; nec mythica, sed historica veritas, p. 241. s. coll. 339, 1.
Aegyptiorum 1. vulgaris de animorum immortalitate doctrina, p. 63 — 68. — 2. ἐσωτερική, sive ab Indis, sive a Persis derivanda, emanationem profitens, sacerdotum de immortalitate doctrina, p. 89 — 92.
Aeternitatem dei quomodo describat s. scriptura, p. 255, 7. 9.
Africanorum, et quidem Nigrorum, de animorum immortalitate notiones, p. 57, 18.
Ahrimanes, num in nihilum, num in Oromasdis partes transiturus statuatur, p. 81. s.
Ἀΐδιοι οἶκοι, αἰώνιος τόπος, p. 172. 173, 17.
Alphabeti Ebraeorum ordo immutatus, p. 11, 13.
Alphabetica carmina quem usum praestent rei criticae, p. 12, 13.
Ἁμαρτανειν, habitum, consuetudinem peccandi significans, p. 279, 5.
Amenthes, Aegyptiorum ἅδης, p. 64. 67. 92, 9.
Americanorum quorundam de animorum immortalitate notiones, p. 57. s. 60.
Amor, spirituali aliorum saluti studens, singularem ex immortalitatis fide stimulum nanciscitur, p. 268.
Analepsis Mosis, p. 168, 4. 169, 8.
Analogia fidei quo sensu valeat, p. 413. s., 4. coll. 5.
Ἀναμαρτησιαν Messiae num dogmatico sensu pronuntient loca quaedam veteris Testamenti, p. 395. s.
Ananias (Damascenus) qui fuerit, p. 334., Paulo antea incognitus, p. 334. s., 24., 345, 12. 13.; ejus visio, p. 344. ss.
Ἀνάστασις εἰς ζωην 2 Macc. 7. quid sit, p. 178. 179, 30.
Anaxagoras de animorum natura et

immortalitate quid statuerit, p. 99., quid meruerit, p. 104. 105.
Anaxilaus Larissaeus, p. 144.
Andronicus Rhodius, p. 134.
Angelus ἄκτιστος, Jehova, p. 384. s. — *foederis*, p. 367. s.
Angeli qui primitus fuisse perhibeantur, p. 368, 27.; a Philone λογοι nominati, p. 420; abs toto Sapientiae Salomonis libro exulantes, p. 420, 14.; eorum existentia, nec non ob idem animorum immortalitas, a Sadducaeis negata, p. 174, 24., 257, 16.; arctior doctrinae de angelis nexus cum rerum post mortem futurarum fide, p. 257. ss.; angelorum et hominum consortium, p. 258. s.
Animorum in prisca corpora reditum Aegyptii num statuerint, p. 65, 50. — transmigratio, v. μετεμψυχωσις. — animi hominum qui sint, p. 80., et eorum purgatio, ex persica religione, p. 82. s. — animorum ex Platone pristina felicitas et delapsus num Eleusiniorum etiam disciplinae tribuenda sint, p. 95. — ex Anaxagora sentiendi et intelligendi vis, ψυχη et νους, p. 99. — ex Pythagora ἄλογον et φρονιμον, ζωη ac ψυχη distinguenda, p. 99. s. — ex Heraclito animus purissimi ignis particula, p. 100, ex Empedocle, p. 102 s., ex Eleaticis, 104, ex Socrate, 106—108. — ex Platone natura et immortalitas, p. 111. ss. — ex Aristotele, p. 119. ss. — ex Stoicis et Epicureis, p. 123—129. — animi humani in Vet. Testamento praevalens notio, p. 152. ss. — praeexistentia num in Vet. Testamento ponatur, p. 153. ss. — animorum statim post fata ex Pharisaeorum sententia conditio, p. 189. — natura et praeexistentia ex libro Sapientiae Salomonis, p. 195. — ex libro IV. Maccabaeor. et Philone, p. 203. ss., 210, 37. — praeexistentia et μετεμψυχωσις ex Essaeorum sententia, p. 211. — animi humani ex christiana disciplina notio gravissima, p. 218. ss., immortalitatis spem firmans, p. 247. — cet., cf. immortalitas an.
Anniceris, v. Cyrenaici.
Antiochus, Ascalonita, peripateticus, 135, 7. — v. Academici posteriores.
Antisthenes, Socratis discipulus, v. Cynici.
Antoninus, M. Aurel., de animorum immortalitate quid senserit, p. 128. s.
Anubis, p. 92, 9.
Apelliconis bibliotheca, p. 134.
Apocalypsis Eliae, p. 168, 4.
Apocryphorum Vet. Testamenti et palaestinenses et alexandrini scriptores de immortal. animor. quid statuerint, cum Pseudepigraphis, p. 167—203, p. 169. ss.; Barucho excepto ad alendam spem messianam minus proclives, p. 389.
Ἀποθανειν τῳ νομῳ, p. 38, 16.
Ἀποθνησκειν τῳ θεῳ, p. 37, 16.
Ἀποκαταστασις παντων, ex Persarum doctrina, p. 82. ss.
Ἀπολεσθαι, idem quod κρινεσθαι, κατακρινεσθαι, p. 278. s.
Apollonius, Tyan., p. 144.
Apologetae vetustissimi qua ratione religionis christianae laudem quoad immortalitatis doctrinam vindicaverint, p. 29, 1.
Apostolorum solennis quoad vaticinia argumentandi ratio, p. 378. s. — qui et cum Jesu et inter se et consensus, et qui non dissensus ponendus sit, p. 412. s.
Arabum Muhamede antiquiorum de immortalitate animorum notiones, p. 59—61.
Arcanis regni divini a Jesu et apostolis institutio de vita futura annumerata, p. 40. 41.
Arcesilaus, v. Academici posteriores.
Aristippus, Socraticus, v. Cyrenaici.
Aristoteles de animi natura et immortalitate quid statuerit, p. 119. ss.
Aristoxenus, v. Peripatetici.
Arminiani quod discrimen Vetus et Novum Testam. intercedens statuerint, p. 146, 48.
Ἀρχην Alexandrini Philone duce eandem habent cum sapientia, p. 399, 22.
Assaph duo, alter davidicae, alter serae aetatis, p. 13, 17. 20.
Athenaeus, Peripateticus, p. 134.
Athoris Dea, noctem significans, p. 90, 6.
Atticus, amicissimus Ciceronis, Epicureus, p. 134, 3.
Augustiniani Dominicanis indulgentiarum nundinationem invidisse falso perhibentur, p. 294.
Aulberus Matthaeus, Reuttlingensium reformator, p. 315.
Australium terrarum incolae de ani-

morum immortalitate quid sentiant, p. 58, 20.

B.

Baithosus, a quo sadducaeae sectae origo petitur, p. 175, 27.
Baptismus, ad immortalitatem pertinens, p. 267.
Baruch, liber apocryphus, 169. 173.; ejus consilium, p. 389, 1.
Beatorum conditionem quam Jesus Christus et apostoli sapienter describant, et quam illa vim exserat in immortalitatis fidem, p. 262—264.
Beli et Draconis historia, p. 169, 7.
Benevolentia singularem ex immortalitatis fide stimulum nanciscens, p. 268.
Benignitas divina immortalitatis cet. spem firmans, p. 246.
Bernardinus, v. Samson.
Billicanus, Theobaldus, p. 316, 57.
Bion, Borysthenites, v. Cyrenaici.
Blaurer, Ambros., reformator, p. 315, 57.
Brachmani (-es) doctrinae de animorum immortalitate principes, p. 106. s., absolutissimam sibi auctoritatem arrogantes, p. 79, 18., mortis contemtores spe palingenesias, p. 208, 32.
Brackenhemii, oppidi württemberg., reformatio sacrorum per Conr. Samium coepta, p. 316, 57.
Brahmini, v. Brachmani.
Brasilianorum de animorum immortalitate notiones, p. 58, 23.
Brentius, Joannes, Reformator, p. 315.
Brutus, M., academicus, p. 135, 7.

C.

Cabbalistae num idem esse Messiam et Metatron ac Schechinam docuerint, p. 404, 27.
Caledonum de animorum immortalitate notiones, p. 58.
Canticum trium puerorum, p. 169, 7.
Capito, Wolfgangus, p. 304, 23.
Carneades, v. Academici posteriores, et p. 133.
Caroli V., Imperat. German., lenta quoad Germaniae sacrorum reformationem ratio num unice vindicanda sit politicae prudentiae, p. 316. 317, 59.
Castitas corporis singularem ex resurrectionis fide stimulum habens, p. 268.
